DE ANGELIS
ANGELICOQVE
HOMINVM PRAESIDIO
ATQVE CVSTODIA

MEDITATIO

PIA, RELIGIOSA ET ORTHO-
doxa, Canonicæ ſcripturæ & Orthodoxæ Antiqui-
tati conſentanea: quæ cùm Regibus ac Principibus,
tùm cuiuis homini Chriſtiano, perditiſsimis præ-
ſertim luctuoſiſsimisq; hiſce noſtris tempo-
ribus atq; moribus, maximo poterit eſſe
uſui, documento ac ſolatio.

*HIS INSERTA SVNT NONNVL-
la ex varijs S. Chryſoſtomi Homilijs manuſcriptis, & nondum
in lucem editis, deprompta: quæ quia rara ſunt & præ-
clara, & ad ipſum hoc noſtrum inſtitutum per-
tinent, ſperamus ea Chriſtiano Lectori
non infructuoſa fore aut ingrata.*


ACCESSIT ET RERVM VERBORVM-
que memorabilium Index.

AVCTORE IOH. GVILIEL. STVCKIO TIG.

TIGVRI
APVD IOANNEM VVOLPHIVM, TYPIS
FROSCH. ANNO M.D.XCV.

GENEROSO ET ILLVSTRI DOMINO: DN. IOH. PHILIPPO, LIBERO BARONI AB

Altosaxo, DN. in Sax & Forstegk, &c. Domino suo clementissimo. S.P.D.



NTELLEXI sæpenumero, generose & illustris Domine, ex sapientissimis humanissimisque tuis sermonibus, te HENRICI IV. Regis Galliæ & Nauarræ Serenis. cùm virtutes præclaras & eximias, tùm felicitatem singularem, qua à teneris vnguiculis ad hanc vsque ætatem suam vsus est, non amare tantùm, sed etiam admirari magnopere atque suspicere. Nec id sanè est mirum: cùm non solum Gallia, sed totus ferè Mundus Regis huius cùm virtutum heroicarum, tùm felicitatis sit auditor, spectator & admirator maximus. Admirabilis enim est, quod nemo sanæ mentis, vel ei inimicissimus infitiari potest, eius sapientia, prudentia, sagacitas, atque solertia. Deinde artis reique militaris (quæ, vt rectè Cicero dixit, admirabilem habet dignitatem) scientia ita excelluit, vt omnibus admirationi meritò sit maximæ. Tum admirabilis eius est animi magnitudo, fortitudo atque audacia, cuius in fatali funestoque isto bello ciuili multa certè clara & illustria, cum omnium admiratione, dedit documenta. Mirifica præterea eius est industria, diligentia, vigilantia, patientia atque tolerantia. Quid dicam de admiranda eius iustitia, æquitate, & in seruandis promissis fide atque constantia? Mira etiam eius est humanitas, benignitas, beneficentia, seu munificentia potiùs, & erga quosuis

benè de se patriaq; sua meritos gratitudo. Admiratione item dignissima est eius clementia, lenitas, mansuetudo, misericordia, & ad quibusuis suis hostibus, à quibus vel grauissimè violatus fuit, ignoscendum atq; parcendum procliuitas. Admirantur deniq; merito omnes flagrantissimum eius regni patriæq; suæ & pacis tranquillitatisq; publicæ, in qua patriæ salus posita est, amorem atq; studium.

Non minor autem felicitatis quoq; eius atq; fortunæ est admirabilitas, per tot præsertim varios casus atq; pericula, quibus per totum vitæ suæ curriculum perfunctus est. *Varij casus*, inquit Cicero, *habent admirationem*. Atqui varios casus rerumq; discrimina Rex hic expertus est & experitur adhuc quotidie. Vnde tantò maior & admirabilior eius censeri debet felicitas; qua ex tot tantisq; difficultatum periculorumq; fluctibus emersit non saluus modo & incolumis, sed etiam victor magna cum laude atq; gloria.

Felicitatem Cicero (qui tam ē Orator melior, quàm Imperator fuit) inter imperatorias virtutes numerat, sine qua verè recteq; reliquas virtutes nihil ait valere: *Ego*, inquit ille, *sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus, non solùm propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpiùs imperia mandata, atq; exercitus fuisse commissos. Fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas benè gerendas diuinitùs adiuncta fortuna.* Ciceroni suffragatur Plato, qui στρατηγικὴν τέχνην ait, εὐτυχίας πλείστης δεομένην, id est, artem militarem plurima indigere felicitate. Ita igitur Regis huius non solùm eximia est belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, sed etiam egregia admirabilisq; fortuna & felicitas, qua res domi militiæq; adhuc gessit.

Vt autem virtutes: sic felicitas huius Regis maximè cernitur et perspicitur in plurimis grauissimis et maximis eius

casibus

casibus atq; periculis, siue præteritis, siue præsentibus, quę ne cogitari quidem satis, nedum enumerari possunt, ex quibus Deus illum admirabiliter contra omnium hominum spem & opinionem eripuit & extraxit.

Quòd si enim ab illius die natali exordium capientes, totum eius vitæ curriculum animis nostris voluere atq; reuoluere voluerimus, inueniemus illud malorum, difficultatum, miseriarum, turbarum, motuum, tumultuum, bellorum periculorumq; plenissimum semper extitisse. Vnde in maiorem adhuc eius cùm virtutum, tùm felicitatis admirationem rapiemur.

Porrò pericula, quibus perfunctus est, & quibus adhuc expositus est quotidie, varia sunt & multiplicia, eaq; cùm aperta ac manifesta, tùm tecta & occulta, quæ illi ab omnis ætatis, sexus, ordinis, nationis religionisq; hominibus ac hostibus cùm apertis, tùm occultis, tùm externis ac peregrinis, tùm intestinis ac domesticis, conflata, & intentata fuerunt, & intentantur adhuc quotidie. Nullum itaq; illi tempus vel diurnum vel nocturnum, atq; adeò nulla ferè hora illi ab incunabulis ad hunc vsq; diem à laboribus, doloribus atq; periculis vacua fuit. Vt igitur periculorum, ita miraculorum tota vita eius est plenissima.

Quò autem grauior, acerbior & periculosior Regis huiusce vitæ conditio fuit, quò maioribus agitata & diuexata incommodis atq; molestijs, quò pluribus curis, angoribus, sollicitudinibus, malis atq; periculis implicata & subiecta, tantò clarior, admirabilior & illustrior adhuc eius est in illis omnibus subeundis, sustinendis, perferendis ac superandis cùm virtus, tùm, quæ virtutis comes est atq; merces, felicitas. Non opus est igitur hìc commemorare exempla antiqua magnorum & illustrium virorum, qui diuinitùs & mirificè ex magnis sæpenumero periculis fuerunt

conseruati. Vnus Rex HENRICVS exemplorum nobis instar plurimorum esse poterit, quem Deus ab ineunte ætate ad hunc vsque diem ex innumeris periculis admirabiliter conseruauit. Quod igitur Iobus in genere de vita humana dixit, illam esse *Militiam*, id propriè & peculiari quodam modo Regis huius vitæ conuenit, quam reuera constat perpetuam quandam adhuc fuisse militiam, & quidem militiam ærumnosam, laboriosam & periculosam. Quamobrē nō in rosa & in viola, non in vmbra & in otio, nō in delitijs, voluptatibus atque ludis, sed in spinis & in vepribus, hoc est, in summis difficultatibus, ærumnis, laboribus, doloribus, curis atque periculis vitam suam transegit, vt ex toto eius vitæ anteactæ curriculo satis superque apparet.

Tempus natalitiū Regis Henrici.

Natus est enim primùm inter tubas turbasque bellicas, hoc est, inter bella & tumultus intestinos & externos, qui illius diem natalem & antegreßi proximè & comitati & consecuti fuerunt.

Prima ætas videlicet eius pueritia & infantia.

Deinde prima eius ætas, infantia nimirum & pueritia, in ipsum fatalis huius belli intestini incendium, in summam regni perturbationem atque confusionem, & in medium rerum omnium certamen atque discrimen incidit. Hic autem non est silentio prætermittendum, quòd, quatuor tantùm natus annos, [illegible] horto quodam magnum serpentem ibi deprehensum occidit, de quo extat Epigramma in libro quodam excuso Lugduni anno 1558. Cui verò dubium, quin hoc maximæ rei fuerit augurium atque præsagium? Poetæ fabulis suis prodiderunt, Herculem in cunis adhuc vagientem duos serpentes strangulasse, quos Iuno eius nouerca, Alcmenæ odio ac inuidia, immiserat ad eum suffocandum. Sic magna spes est, cuius plurima iam sunt indicia, omninò fore, vt hic quasi alter Alcides excelso suo

animi robore, seu diuina potiùs instructus virtute, periculosissimum pernitiosissimumque istum serpentem, qui longè latèque serpens atque manans totam Galliam, ceu paradisum & hortum cultissimum & amœnissimum horrendum in modum deuastauit, hoc est, bellum istud ciuile & intestinum tàm funestum, infaustum, triste, calamitosum, exitiale & pestiferũ, quod ad triginta & amplius iam ferè annos durauit, à Iunone dira & detestabili, hoc est, ambitione atque auaritia immissum opprimat, extinguat ac deleat.

Iam verò si quis reliquum quoque vitæ eius cursum animo suo perlustrare voluerit, plurima in eo reperiet cùm virtutum, tùm felicitatis eximiæ vestigia atque indicia: ita vt quemadmodum olim Plutarchus & de Romanorum, & de Alexandri Magni virtute atque fortuna scripsit (quæ scripta adhuc extant, & doctorum manibus teruntur) sic non minus iusta de causa de huius quoque Regis & virtutibus & fortuna & scribi & dici posse videatur.

Illum etenim Deus statim à vitæ exordio ad hunc vsque diem omni ferè malorum & calamitatum genere, vt paupertate, inopia, fame, siti, frigoribus, caloribus, vigilijs, morbis, seruitute, exilijs, orbitatibus, ignominia, conuitijs, calumnijs, curis, solicitudinibus, varijs insidijs & iniurijs tentari ac diuexari passus est (quæ patientissimè tulit omnia) illumque ex plurimis hisce atque maximis ereptum periculis & difficultatibus in excelso & sublimi isto Maiestatis regiæ solio collocauit, eumque adhuc in illo mirabiliter tutatus est atque defendit contra tot hostium internorum & externorum vim atque insidias. Cui igitur dubiũ est, quin idem Deus, qui illũ ab vtero materno per tot casus, per tot discrimina rerũ ad regalẽ hanc amplitudinẽ, præter omniũ ferè hominũ & amicorũ & inimicorũ spem & expectationem,

contra tot hostium eius potentissimorum vim atque insidias texit: quin, inquam, illum ad regni sui, imò totius orbis Christiani salutem diutiùs sit conseruaturus, & vel reluctante & aduersante Mundo atque Diabolo eius principe, diuturniorem illi vitæ valetudinisque vsuram sit largiturus.

Atque huius quidem rei spem nobis facit non exiguam nouus & admirabilis eius casus (qui nisi Deus id prohibuisset, non Regis tantùm, sed etiam regni totius occasus interitusque extitisset) quem, quoniam & ipse insignis est felicitatis huius Regis & diuinæ angelicæque protectionis testis, tacitus nullo modo præterire possum.

Etenim cùm sicarius & parricida ille Parisiensis, Clementis illius Iacobitæ (qui HENRICVM III. Regem Galliæ crudeli vulnere paucis antè annis è medio sustulit) exemplo & imitatione, atque adeò ipsius Diaboli, patris mendaciorum atque homicidiorum, instinctu impulsuque hunc quoque Regẽ HENRICVM IV. simili ferè modo ac instrumento iugulare fuisset conatus, Deus pro infinita sua misericordia ex præsentissimo illo mortis periculo eũ eripuit, & sicarij illius manũ cultrumque ita moderatus est, vt vulnus quidem ei acerbũ & graue inflixerit: vita tamen eum priuare non potuerit. O audaciam hominis istius immanem, nefariam, planeque diabolicam, qui Regis huius corpus, quod iure diuino & humano vallatum, sacrosanctum inuiolatumque censeri debet, atque adeò vultum eius amabilem & serenum, qui humanissimi mansuetissimique eius animi quasi tacitus quidam est sermo & character, tangere, lædere atque sauciare est ausus illius interimendi causa: idque eo tempore, quo Christi, Solis iustitię, salutiferi in his terris secundum carnem ortus memoria, passim in orbe Christiano maxima cum religione atque lætitia celebrari consueuit: hoc ipso, inquam, sanctissimo lætissimoque tempore sicarius iste

rius iste hoc facinus est aggressus, tantiq; Regis cæde non regnum modò Gallicum, sed etiam totum orbem Christianum perturbare ac funestare est conatus.

Est autem hic ipse mensis, quo hæc acciderunt, nempe December (qui Saturno olim sacer & festiuus, Genialis à Veteribus fuit appellatus, & vel solo Christi Natali nobilis valdè est atq; celebris) Regi huic quasi fatalis, eiq; iam bis terue natalis, vitalis & salutaris extitit. Hoc etenim mense, die nimirum eius XIII. Rex hic anno LII in arce Bearniæ, Pau dicta, natus & in hanc lucem editus est. Nunc eodem hoc mense, quatriduò post eius natalem, Deus illum rursus ex mortis quasi faucibus ereptum in vita conseruauit, ita vt hic quoq; dies meritò dies eius natalis dici mereatur. Rex ergo meritò mense hoc Decembri singulis annis quoad vixerit, cùm Christi inprimis Natalē, vere toti Mundo salutarem, tùm sua quoq; gemina quasi Natalitia pia lætitia grataq; erga Deum mente agitabit.

Hic porrò casus mihi Timoleontis illam historiam, cui is aliquo modo videtur posse comparari, in mentē reuocat. Nam cùm, vt Plutar. nobilis scriptor testatur, quidā Leontinorum & Carthaginensiū tyrannus, Icetes nomine, Timoleontem illum Corinthi, imò totius Græciæ, lumen, belliq; fulmen & Syracusanæ libertatis vindicem, vi aperta atq; virtute vincere non potuisset, insidijs per sicarios quosdam conductos & subornatos illum è medio tollere est conatus. At sicarij illi, cùm, captata loci ac temporis occasione, illum iugulare voluissent, studio & furore quodam subito correpti, gladios illos suos occultos, quos aduersus Timoleontem parauerant, in seipsos strinxerunt, & vnus alterum occidit. Icetes quoq; ille tyrannus tandem miserrime interijt. Ita experimur magis ac magis omnes eos, qui vel vi aperta, vel per insidias hunc alterum quasi Timo-

leonta, & ex leonina illa antiquissimorum Regum Franciæ familia oriundum (Leonem enim Franciæ Reges post Buffones & ante Lilia, pro insignibus olim habuisse vel vetustissimum illud Hildegasti Vatis atq; Philosophi oraculum, AQVILA CEDET LEONI, satis testatur) illumq; Franciæ libertatis vindicem extinguere moliuntur, sibijpsis, iusto Dei iudicio, pestem interitumq; conflare, suis se inuicem iugulare gladijs ac mutuis concidere vulneribus. Et tamen tanta Rex hic semper est clementia ac lenitate, vt quasuis vel grauissimas hostium suorum iniurias obliuisci, quàm meminisse & vlcisci malit.

Nec verò Deus Regem tantùm, sed totum regnum Gallicum ab exitio interituq; vindicauit, quod quidem si Rex plaga illa fuisset extinctus, totum simul eodem confectum vulnere concidisset. Nam humanitùs quidem cum Regis huius salute totius Regni salus est coniuncta: quippe cùm omnis Regis huius ratio, cogitatio, actio, tota deniq; dignitas potestasq; regalis nihil sit aliud, nisi constans, perpetua, fortis & inuicta salutis libertatisq; publicæ defensio. Est igitur, quod non Rex tantùm, sed etiam omnes, qui eius imperio ac potestati, seu vmbræ potiùs atq; tutelæ paternæ sunt subiecti, immortales perpetuasq; immortali & æterno illi Regi Regum pro insigni hac liberatione & agant & habeant gratias.

Rex præterea non casu, non fortuitò, sed singulari Dei prouidentia atq; consilio, non tàm humanitùs, quàm diuinitùs, non ad suam pernitiem, sed ad suam totiusq; populi sui salutem vulnus illud sibi inflictũ esse cogitabit. Non igitur tàm ad sicarij illius miserrimi, qui iustas meritasq; sceleris sui pœnas luit, quàm ad Dei percutientis simul & sanantis iustam pariter atq; clementem manum respiciet.

Reputa-

Reputabit etiam atq; etiam animo suo vulnus illud sibi ab ipso Deo fuisse impositum, ad animi sui vulneribus medendum ac saluti suæ consulendum, officijq; sui admonendum. Nam quemadmodum medicus siue chirurgus aliquis fidelis & peritus graui aliquo morbo aut vlcere laborantem vulnerat aliquando grauiter, non odio, sed amore salutis eius ductus, vt nimirum corrupti & noxij humores effluant, atq; ita mortis periculo ille liberetur: ita Deus summus animi corporisq; medicus, hominum & animis & corporibus grauia sæpe & acerba infligit vulnera, vt prauis corruptisq; illis suis humoribus, hoc est, moribus, affectibus atq; vitijs liberentur. Vnde Iobus cap. 5. *Deus*, inquit, *Vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt*: in quæ verba scitè religioseq; sic Gregorius capite decimo octauo Moralium scribit: *Duobus modis Omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiem suo pauore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem reuocat, cùm electos suos affligit exterius, vt interius viuant, Vnde per Mosem quoque loquitur Deus Deuteronomio trigesimo secundo capite: Ego occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo. Occidit enim, vt viuificet, percutit, vt sanet: qui idcirco foris vulnera admouet, vt intus vulnera delictorum curet.*

Minimè igitur Rex imitabitur homines contumaces ac pœnitere nescios, qui nullis diuinis vulneribus & castigationibus sese emolliri, emendari & ad animi corporisq; castitatem reuocari patiuntur, duræ rigidæq; instar incudis, quæ quantò grauioribus ictibus percutitur, tantò magis induratur, secundum illa Iobi verba cap. 41. *Cor eius indurabitur, quasi lapis, & tanquam incus fabri ferrarij.* Possunt etiã obstinati pertinacesq; isti homines vrsis com-

parati. Nam quemadmodum illi, teste Plinio libro octauo, cap. 38. tàm graui sæpè somno premuntur (quo veterno mirum in modum pinguescunt) vt nullis vulneribus excitari queant: sic isti alto profundoq; vitiorũ peccatorumq; veterno, siue lethargo correpti nullis vulneribus, id est, castigationibus Dei paternis excitari possunt, quibus illa Prouerb. 30: verba conueniunt: *Verberauit me, & non sensi, & vulnerauit me, & non dolui.*

Recordabitur etiam Rex sæpè in quibusuis sui animi corporisq; vulneribus, vulnerum illorum Christi, quibus, vt Isaias cap. 53. prædixit, omnes sanati sumus, nobisq; & animi & corporis nostri salus parta est, S. Augustinum imitando: *Turbabor*, inquit, *non perturbabor, quoniam vulnerum Domini recordabor:* quandoquidem, vt Sanctus Bernhardus inquit: *Nihil tàm efficax est ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio.*

Cogitandum etiam est vulnus illud non modo ad Regis, sed etiam ad totius corporis, id est, regni & Reipublicę Gallicę sanitatẽ atq; salutẽ à Deo fuisse cõuersum: quod celebri illa & antiqua Iasonis Phærei (quem Thessalum Plutarchus appellat) historia illustrari potest, de qua Cicero libro primo Officiorum, Valerius Maximus libro primo, cap. octauo, Plinius libro septimo, cap. 50. & Plutarchus in aureo illo libello: Quomodo quis ex inimicis fructum possit capere, scripserunt.

Quemadmodum igitur, vt illis Valerij Max. verbis vtar, *diuinæ fortunæ vulnus quidam Iasoni Phæreo, exitij eius cupidus, intulit, cumq; inter insidias gladio eũ percussisset, vomicam, quã à nullo medicorum sanari poterat, ita rupit, vt hominem pestifero malo liberarit:* ita sicarius iste Regi HENRICO, regnoq; Gallico cùm

lico dùm obesse voluit, ei profuit plurimùm. Nam illo diuinæ prouidentiæ vulnere corpus, hoc est, regnũ & Remp. Gallicam multis purulentis virulentisq́ue vomicis, vulneribus atq́ue vlceribus, quæ insanabilia planè esse, nec vlla humana arte curari atq́ue sanari posse videbantur, liberauit.

Etsi verò, vt ad Generositatem V. redeam, Regis huius cùm virtus, tùm fortuna (quæ ambo soli ascribenda & attribuenda sunt diuinæ gratiæ) non te solùm, sed etiam alios quàm plurimos in toto orbe Christiano ad eius amorem & admirationem inuitat: tamen tuũ hoc singulare erga Maiestatem eius studium, tuus amor, tua obseruantia, tibi non solùm cum plurimis alijs Reipub. Christianæ ciuibus est communis, sed etiam hæreditaria atq́ue propria. Nam satis superq́ue constat, & patrem & auum & Maiores deniq́ue tuos generosissimos, heroicæ virtutis, gloriosissimęq́ue memoriæ viros iam per aliquot annorũ spatia Regum regniq́ue Gallici fuisse amantissimos, eisq́ue belli pacisq́ue temporibus strenuam ac fidelem nauasse operam, capita vitamq́ue suam in bellis, quæ aduersus externos hostes gerebantur, pro eius salute plurimis obiecisse periculis, sanguinem deniq́ue suum pro illa profundere fuisse semper promtissimos.

Non igitur huius modò Regis, qui nunc rerum potitur, & virtus & felicitas admiranda, sed etiam insitum illud tibi à natura flagrantissimum erga totum regnum gentemque Gallicam (cuius etiam linguã optimè calles,) studium atq́ue amor, quem cum materno quasi lacte hausisti, quemque tanquam patrimonium & hæreditatem quandam luculentam à parentibus & Maioribus tuis laudatissimis accepisti, te ad præsentem hunc Regem tanto maiori amore & obseruantia prosequendum incitat & impellit. Spes itaque me tenet non exigua, animusq́ue meus hoc mihi præsagit, fore, vt hic Rex, qui erga benè de se, regnoq́ue suo meri-

tos ſe gratiſsimum adhuc & munificentiſsimum præbuit, cæteriq; Regni proceres atq; principes fideliſsimorum illorum officiorum, quę parentes olim & Maiores tui generoſi et illuſtres Maioribus, anteceſſoribus, totiq; patrię ſuę pręſtiterunt, memoria ac recordatione gratiſsima adducti & impulſi, te quoq;, tanquã paternæ & auitæ non ſolùm virtutis, ſed etiã fidei, amoris atq; ſtudij erga patriã ſuam egregij hęredẽ, ſucceſſorẽ et imitatorẽ, ſtrenuũ, eo, quo par eſt, fauore, amore, humanitate & munificentia proſequantur.

Supplicabimus autẽ Regi Regum & domino dominorum immortali, vt & regnum hoc Gallicum (vnde noſtræ quoq; patriæ ſalus humanitùs depẽdet) diuturno funeſtoq; illo bello, pro infinita ſua bonitate liberet, & Regem hunc, in quẽ totius ferè orbis Chriſtiani ora vultusq; ſunt coniecti, angelico ſuo ſatellitio atq; pręſidio, vt adhuc fecit, protegat, ſanctoq; ſuo ſpiritu ita regat, vt ſe primũ ipſum, tùm totum ſuum regnum atq; populum, fidei curæq; ſuę diuinitùs concreditum, ſecundum verbi legisq; diuinæ normam atq; regulam optimè ſapientiſsimeq; regere, ea, quæ praua ſunt & corrupta corrigere, quæ collapſa erigere, omnia deniq; dicta, facta & conſilia ſua ad Dei gloriã & tùm regni ſui, tùm totius orbis Chriſtiani pacẽ & ſalutẽ dirigere poſſit. Hoc etenim ille pacto pro regno hoc terreno, caduco atq; fragili, cœleſte, æternũ & immortale illud regnum cœlorum (cuius comparatione omnia huius Mundi, ſiue pręterita, ſiue præſentia, ſiue futura regna & imperia vix puncti vel vmbræ inſtar obtinent) & pro corona hac terrena onerum, curarum atq; moleſtiarum pleniſsima, Coronam illam æternam & immortalem, gloriæ, honoris, gaudiorum & voluptatum incomprehenſibilium quaſi floſculis, ſiue gemmis diſtinctam, nobis Chriſti corona ſpinea, id eſt, cruce, morte atq; ſanguine partam, mera Dei gratia atq; miſericordia conſequi poterit.

Hunc

HVNC verò meum de angelico cùm Regum & Principum, tùm quorumuis hominum præsidio tractatũ tuæ potissimùm Generositati, generose & illustris Baro, dedicare & quasi consecrare volui, grauissimis, vt arbitror, adductus causis. Nam primùm quoniam me indignum, nihilq; tale meritum adhuc per aliquot annos singulari constantiq; fauore benignitateq; es prosecutus, gratum meum erga te animum, tui merito amantissimum & obseruantissimum hoc pacto testatum omnibus facere volui. Deinde cum non dubitẽ, nõ defuturos inuidos & maleuolos quosdam obtrectatores (quorum seculum hoc nostrum est feracissimum) qui lucubratiunculã hanc meam dente Theonino conentur rodere, generoso tuo & illustri, & quidem tuto ac fideli mihi opus erit aduersus hominũ illorum conuitia atq; calumnias, patrocinio.

Præterea quoniam cum Martis & Bellonæ artibus, quibus Maiores tui iam per aliquot secula floruerunt, Mineruæ & Musarum studia coniunxisti & vtrisq; ad summam vsq; laudem excellis: spero opusculum hoc meum, tenue licet & exiguum, tibi tamen non ingratum futurum, teq; eius non lectorem modò, sed etiam censorem & æstimatorem fore æquum & beneuolum.

Huc postremò accedit, quòd vnà cum fratre tuo germano & generoso, HVLDRICHO nomine (cuius virtutis ac fortitudinis egregiæ memoria vigebit perpetuò, quoq; laborum periculorumq; omnium comite atq; socio fidelissimo vsus es) hanc ipsam custodiam angelicam (quę operis huiusce mei præcipuum est subiectum) in bellis & in plurimis grauissimisq; periculis optimè es expertus. Quamobrẽ vel ipsa duce & magistra hac tua experientia, de laboribus hisce meis tantò meliùs & æquiùs iudicare poteris.

Etsi verò operis huius mei subiectum reuera est magni-


ficum, augustum, sublime, cœleste ac diuinum: tamen, vt libere & ingenue fatear, tractatio eius & explicatio hæc mea ei nequaquam respondet. Nam ad cœlestium, inuisibilium & sublimium illorum spirituum naturam, munus & officium explicandum non humana, sed diuina potiùs mente, intelligentia, lingua atq; stylo opus fuerit. Sed quemadmodum sæpè in homine non tàm vestem, qua corpus eius tectum est, quàm, quæ sub illa latet, virtutem & sapientiam spectare et amare debemus: sic G. V. ipsam potiùs rem atq; materiam pretiosissimam planeq; auream, quæ ad nostram partim doctrinam, partim consolationem salutarem pertinet, quàm explicationem hanc eius atq; tractationẽ meam, spectabit & intuebitur, & æqui boniq; consulet.

Ac quoniam magnis in rebus vel voluisse sat est &, *si desint vires, tamen est laudanda voluntas*, vt Poeta inquit, & vt Cicero ait: *Ad prima tendentem honestum est in secundis, vel etiam in tertijs consistere*, G. V. piam honestamq; meam hanc voluntatem atq; conatum (quę eius est humanitas ac bonitas) pro ipso, vt spero atq; oro, reputabit facto atq; opere.

Deum postremò precor Opt. Max. vt G. V. non solũ ineuntem hunc annum nouum benè fortunet, sed multos adhuc annos felices, faustos atq; prosperos ad viuendum largiatur, quò diutissimè adhuc non suę tantùm familię splendidissimæ, generosissimę & antiquissimę, quæ octingentis & amplius ab hinc annis ante, & post Imp. HENRICI, *Aucupis* cognomine (qui quando equestria illa certamina & exercitia instituit, Friderici Altosaxi consilio vsus est) rerum gestarum gloria floruit, sed etiam vniuersæ nostræ patriæ & Reip. Christianæ Maiorum tuorum generosissimorum exemplo, maximo vsui possis esse & ornamento. Tig. KL. Februar. CIↃ IↃ XCV.

G. V. addictissimus
Io. Guiliel. Stuckius.

DE ANGELIS, ANGELICOQVE HOMINVM PRAESIDIO ATQVE CVSTODIA, MEditatio pia, religiosa & orthodoxa, Canonicæ Scripturæ & orthodoxæ Antiquitati consentanea: quæ cùm Regibus ac Principibus, tùm cuiuis homini Christiano, perditissimis præsertim luctuosissimisq; hisce nostris temporibus atq; moribus maximo poterit esse vsui, documento ac solatio.



T SI *Deus exercituum, vt in sacris literis frequentissimè appellatur (qui efficaciter operatur omnia & vniuersum hunc mundum, ac singula quæ eius sinu complexuq; continentur cùm ordinariè sæpissimè per media, tùm extraordinariè sæpè sine medijs: tum nonnunquam etiam contra media regit ac gubernat) omnibus creaturis, ceu ministris ac instrumentis vtitur ad exequenda sua consilia atq; decreta: tamen sublimium, cœlestium & inuisibilium illorum spirituum (qui à Philosophis Græcis* Δαίμονες *& à Peripateticis* Mentes, Intelligentiæ, Formæ abstractæ & separatæ, *à Latinis* Genij, *in sacris literis* Angeli *vocantur) opera ac ministerio potissimùm ad regendum hunc Mundum, ad exequenda sua iudicia atq; consilia, & inprimis ad tuendam, conseruandam ac promouendam suorum salutem vsus est statim ab initio Mundi conditi & adhuc quotidie vtitur: sicut sacræ literæ nos satis superq; docent clarissimeq; testantur. Hi sunt præcipui ac primi Dei in Mundi gubernatione & conseruatione & in decretorum eius executione ministri atq; famuli mirum in modum morigeri, alacres, agiles, indefessi & assidui. Horum opera ex Dei voluntate atq; mandato cœlos orbesq; cœlestes moueri, cùm Philosophi, tùm non pauci ex Theologis affirmârunt. Augustinus docet,* cùm cœlũ æthe-

Deus medijs seu instrumentis vtitur, & inter hæc præcipuè Angelis, de quibus instituta tractatio.

Angeli Dei ministri in gubernatione & conseruatione Mundi.

reum & sidera: tum aërem & meteora per Angelos moueri & regi. *Idem lib.5. de Trinitate:* Corpora omnia per vitæ spiritum rationalem regi *pronuntiat. Gregorius in 4. Dialogo:* In Mundo visibili nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi *ait. E cœlorum autem motu omnes inferiorum corporum motus effici motu verò vnamquamque naturam siue substantiam conseruari, regi, viuificari, & ad suos proferendos fructus actionesque disponi extra omnem est controuersiam. Vnde Cyprianus in Symbolum Apostolorum:* Etenim, *inquit,* vt breuiter aliqua etiam de secretioribus perstringamus, ab initio cùm Deus fecisset mundum, præfecit ei & præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat Deut.31. in Cantico suo, cùm ita canit: Cùm diuideret excelsas gentes, statuit terminos gentium secundùm numerũ Angelorum Dei: sed horum nonnulli, sicut & ipse, qui princeps est appellatus mundi, datam sibi à Deo potestatem, non his, quibus acceperant, legibus temperarũt, nec genus humanum diuinis obedire præceptis, sed suis parere præuaricationibus docuerunt.

Angeli ministri hominũ, præcipuè electorum.

Per hos item Angelos regna, prouincias, vrbes, ciuitates custodiri atque defendi sacræ literæ testantur. Præterea ab his speciatim homines ipsos tàm malos, quàm bonos: inprimis verò electos, vt sacra scriptura docet, speciali Dei mandato custodiri ac protegi nihil est certius. Quomodo verò horũ ministerio Deus mundũ vniuersũ, ac præcipuè Ecclesiã regat, docent Prophetæ, et inprimis Daniel, Zacharias, Iohannes in sua Apocalypsi. Vnde Apost. vno quasi fasciculo totam spirituum illorum & naturam & munus atque officium complectens eos definit πνεύματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν τὴν σωτηρίαν, *hoc est,* spiritus esse ministratores, qui ad ministeriũ mittuntur (scilicet à Deo cœlitus) propter eos, seu in eorũ gratiã, qui adibũt salutẽ & hereditatẽ cœlestẽ & æternam.

In

In hæc verba Pauli sic egregiè Theodoretus serm. 3. de Angelis, Dijs & Dæmonibus ad infideles Græcos inquit: ἔργον δὲ ἔχοντας (ὀνομάζομεν) τὴν ἐν οὐρανῷ χορείαν, καὶ τοῦ πεποιηκότος τὴν ὑμνῳδίαν, καὶ αὖ πάλιν τὰς ὑπουργίας ὡς κελευόμενοι διακονοῦσι τῷ θείῳ βουλήματι, τῆς τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα σωτηρίας, *hoc est*, munus præterea sortitos (nuncupamus) vt in cœlesti choro factorem suum hymnis concelebrent: tùm vt ministeria obeant, in quibus imperio diuinæ voluntatis obediunt, ab vniuersorum Deo ad humani generis salutem gubernationemque sum missi.

Ad hanc vngelici nominis vim ac potestatem pulchrè his verbis Philo alludit lib. de Mundo: Moses autem εὐθυβόλῳ χρώμενος ὀνόματι ἀγγέλους προσαγορεύει πρεσβευομένας, καὶ διαγγελλούσας τά τε παρὰ τοῦ ἡγεμόνος τοῖς ὑπηκόοις ἀγαθὰ, καὶ τῷ βασιλεῖ ὧν εἰσιν ὑπήκοοι χρεῖοι, *id est*, recto & conueniente nomine Angelos appellat potestates illas, quæ legantur ad annuntiandũ & subditis bona supremi illius Principis & Regi ea, quibus subditi indigent.

Porrò Angelum bonum Damascenus libro secundo, cap. 5. sic definit: οὐσία, *inquit*, ἐστὶ νοερὰ, ἀεικίνητος, αὐτεξούσιος, ἀσώματος, θεῷ λειτουργοῦσα κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀθάνατον εἰληφυῖα, ἧς οὐσίας τὸ εἶδος, καὶ τὸν ὅρον μόνος ὁ κτίστης ἐπίσταται, *hoc est*, Substantia est intellectu valens, semper mobilis, liberi arbitrij, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem in natura per gratiam consecuta: cuius essentiæ speciem & terminum solus Creator nouit.

Angelorum definitio.

Cæteroqui Angelorum munera & officia varia sunt & multiplicia, quæ longè latéque patent seque extendunt & diffusa sunt per cœlum & terram. His enim Deus vtitur ministris partim suæ gloriæ, partim salutis hominum, vt modò dictum, præsertim Ecclesiæ. Ministrant Deo, ministrant Christo, ministrant hominibus, ministrant deniq; atq; inseruiunt sibi ipsis ac sibi inuicem. Postremò vnicuiq; homi-

Angelorum officia varia.

ni, simul atq; natus & in lucem editus est, certum peculiaremq; Angelum, siue genium, ad illius custodiam à Deo datum atq; assignatum esse, qui perpetuus indiuiduusq; eius sit comes, dux, tutor, custos & pædagogus, quiq; fidelem eius assiduamq; curam gerat, non modò illi, qui veræ & orthodoxæ religionis cultores exstiterunt: inter quos præcipuè numerantur Patres primitiuæ Ecclesiæ, vt Origines, Chrysostomus, Basilius, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus, Bernhardus & alij, sed etiam Ethnicorum Philosophi, Platonici inprimis, & quidem sacris literis, vt videtur, non dissentaneè tradiderunt. Eiusmodi autem genium, siue Angelum, Ethnici δαίμονα & ἀπομηαῖον, ἀποτρόπαιον, ἀλεξίκακον, Latinè Auerruncum, quòd mala siue pericula ab hominibus auerruncaret, auerteret, amoliretur atq; depelleret, & φύσιον à malis ac nocumentis fugandis & λύσιον siue λύοντα τὰς ἀρὰς à soluendis diris ac fascinis, appellarunt.

Non defuerunt etiam & ex Philosophis & ex sanctis Patribus nonnulli, qui non solùm bonum, sed etiam malum, & malitiosum dæmona, siue genium, cuilibet homini, simul atq; is natus sit, diuina sorte adiungi docuerunt, quem quidem Ethnici Græcè ἀλιτήριον, ἀλιτηριώδη, ἀλάστορα, προστρόπαιον, παλαμναῖον & δαίμονα κυροῦντα τὰς ἀρὰς, hoc est pestilentem, malignum, malitiosum, dirarum & fascinorum auctorem, nuncuparunt.

Vnum ergo ex his duobus Angelis bonum credebant esse, alterum malum: illi omnia prospera & secunda: huic omnia aduersa & noxia ascribebant: illum virtutum, hunc vitiorum peccatorumq; auctorem, suasorem & impulsorem esse credebant. Porrò vt ad bonos Angelos redeam, beatissimarum sanctissimarumq; harum mentium opera Deus vtitur, non vel indigentia ac necessitate aliqua, cùm ipse, qui cælum terramq; solo suo verbo nutuq; ex nihilo condidit, ad eadem tuendum & conseruandum nullius ope auxilioq; indigeat, vel Angelorum hominumq; dignitate, vllisue meritis adductus, sed pro mera, sola & gratuita sua bonitate, gratia, voluntate atq; misericordia: idq; cùm gloriæ suæ administrandæ, tùm amoris & misericordiæ

Quomodo Deus Angelorum ministerio vti dicatur.

suæ

suæ erga Angelos pariter atque homines testificandæ, tùm amoris, amicitiæque inter ipsos Angelos atque homines per Christũ contractæ mutua hac beneficiorum diuinorum collatione tuendæ & augendæ, tùm deniq; εὐταξίας huius mundi conseruandæ gratia vtitur; sicuti piè sapienterq; Theologi de his disserunt. Sic etenim reliquis quoq; creaturis omnibus Deus vtitur, tanquam exercitibus, militibus ac ministris, vel tanquam organis & instrumentis ad æterna sua consilia, iudicia & decreta exequenda: cùm tamen ἀμέσως hæc eadem facillimè nulloq; cum negotio efficere poßit. Hùc faciunt pulcherrima illa S. Bernhardi verba: Operatur, *inquit,* Deus immensa & innumera per subiectam creaturam corporalem vel spiritualem, sed quasi imperans; non quasi mendicans. Solus enim nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotente voluntate sufficiens. Instrumentum non quærit sibi nostræ corporeę auris, nec oris. Et quod rebus à se creatis vtitur, vti instrumentis, est indulgentia, non indigentia. *Hæc ille Sermo. 5. Cantic. Quid igitur quæso omnis horum Angelorum opera, ministerium atq; custodia est aliud, quàm diuinæ prouidentiæ executio? Similem locum habes & apud Cyprianum de duplici martyrio statim ab initio: cùm inquit:* Omnis tamen piorum vita testimoniũ reddit Deo: non quòd ille cuiusquam egeat testimonio, qui ex se fons æternæ gloriæ, vt nec vllis hominum honoribus fieri posit honoratior, nec vllis mortalium ignominijs obscurior. Sed tamen ita visum est æterno illius diuinoque consilio, vt suam bonitatem, sapientiã ac potentiam apud homines per homines velit illustrari: sicut mundum gubernari voluit per Angelos, cùm Angelorum ministerio non egeat, multaque hominibus per homines largiatur, quę per se dare poterat, qui quicquid vult nutu potest, & cui voluisse fecisse est.

Horum porrò sanctißimorum beatißimorumq; spirituum doctrina sacris literis tradita eorumq; contemplatio pia; incredibile est di- Doctrina de Angelis vtilissima.

ctu, quantum pio & fideli homini vtilitatis, suauitatis ac consolationis cùm secundis, tùm aduersis in rebus, siue publicis siue priuatis afferre poßit. Nam si omnia, quæ antea scripta sunt, teste D. Paulo Rom. 15. ad salutem nostram scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, dubitare minimè debemus; quin omnia, quæ de Angelis sacris literarum monumentis sunt mandata, ad nostram salutem, consolationem, spem atque fidem tuendam & augendam spectent. Quod etenim quæso est clarius & luculentius immensæ ac infinitæ bonitatis benignitatisq; diuinæ erga nos homulos, ex argillo & luto fictos, testimonium, quàm quòd cælestes, excelsos & sublimes illos suos satellites atq; ministros, nobis natura ac dignitate longè præstantiores, beatos ac felices, nostræ vtilitatis & salutis causa creauit, eos nobis regendis, custodiendis, ornandis, cohonestandis, contra hostes tuendis, et omni beneficiorum officiorumque genere afficiendis destinauit, quòd illos vult perpetuò ab ortu vitæ nostræ vsque ad mortem nobis adesse & inseruire? Dùm enim viuimus Angeli nos custodiunt in omnibus nostris vijs: quando morimur, animas nostras in cælum deferunt: vt docetur exemplo Lazari mendici Luc. 16. Deniq; in fine seculi nostra corpora colligent, vt resurgant ad vitam æternam.

Etsi igitur angelica profecto & mente & lingua opus fuerit ad dignè de Angelis sentiendum & dicendum: nos tamen de ijs pro tenuitate nostra quædam balbutire non pigeat.

Angeli præcipuè Regum & Principum ministri.

Quamuis autem Angeli communes sunt omnium hominum, cuiuscunque illi sint sexus, ætatis, ordinis atque conditionis, etiam vtilißimæ abiectißimæque sortis hominum, comites, custodes, ministri famuli, atque adiutores aßidui & fideles: tamen Regum, Principum & illustrium virorum singularis peculiarisq; videtur quædam esse cum Angelis cognatio & affinitas: vnde etiam nomen Cherubim Angelorum proprium Regibus apud Ezechielem tribuitur. Non desunt quoque inter Theologos, qui apud Daniele͂ Persarũ & Medorũ Angelos pro ipsis Regibus accipi existimant. Vt igitur Reges, Prin-

Principes, magistratus, atque iudices terrestres: ita etiam Angeli, tanquam Reges, Principes, & iudices cælestes אלהים Elohim, *id est,* Dij *à Spiritu S. appellantur: nimirum à potentia, dignitate & auctoritate, qua sunt præditi.*

Quoniam ergo Reges, ac Principes commune habent cum Angelis nomen: id quoq; non leui est argumento illorum cùm dignitatis, & officij, tùm familiaritatis necessitudinisq; cuiusdam arctæ & singularis: qua cum sanctissimis illis mentibus sunt coniuncti. Verùm hæc intelligi debent ijs de Regibus ac Principibus potissimum qui Angelorum exemplo Dei sunt timentes & amantes, quique in his terris angelicam, non diabolicam & tyrannicam vitam agunt. Vnde Chrysostomus Homil. 7. de laudib. S. Pauli: Si propriam, *inquit,* siue priuatam vitam agentibus tantummodo, nihilque pro communi salute facientibus Angeli à Domino omnium deputati sunt: sicut ait vnus ex iustis: Angelus qui eruit me à iuuentute mea; multò magis his, quibus totius orbis cura commissa est, taliumq; donorum onera portantibus virtutes adsint supernæ. *Hæc non ad Apostolos tantùm, sed etiam ad Reges possunt applicari.*

Huius autem angelicæ Regum & Principum custodiæ ac tutelæ cùm in sacris literis antiquissima legimus exempla: tùm nostris quoq; hisce temporibus (vt taceam alia) manifestissima profectò exempla habemus in serenissimis ac potentissimis illis heroicæ virtutis Regibus atq; Regina, HENRICO IV. *Rege Galliæ & Nauarræ, &* ELIZABETHA *Regina Angliæ, &c. &* IACOBO VI. *Rege Scotiæ. Deniq; in illustrissimo illo, re & nomine* CHRISTIANO *Principe Anhaltino, &c. & in illustrissimo illo bellicosissimoq; Nassauiorum Comite* MAVRITIO, *quos ab illorum ferè incunabulis ad hoc vsq; tempus singularis Dei Prouidentia, & vis certè non humana, sed diuina & extraordinaria ab infinitis Satanæ Mundiq; insidijs mirificè tutata est. Quid dicam de hac ipsa mea patria charissima, de Ecclesia & Repub. Tigurina, & de tota Heluetia nostra?*

Exempla custodiæ angelicæ.

An non iam per multos annos aduersus potentissimorum hostium insidias & insultus hanc angelicam cælestem & diuinam custodiam optimè experta, cuius testis est locupletissima? Quid dicam de ciuitate Geneuensi, nobis vicina, nobisq́ multis nominibus coniunctissima, quam verè patriæ nostræ claustrum, vallum & propugnaculum humanitùs appellare possumus, quæ iam per multos annos, & his præsertim postremis annis sex, quibus grauissimè fuit oppugnata, aduersus plurimos & intestinorum & externorum suorum hostium, incursus & insultus inuicta adhûc permansit & inexpugnabilis, cum maxima totius Mundi admiratione? Hoc tamen minimè illorum vel virtuti, fortitudini atq́ sapientiæ (quæ tamen illorum virtutes in his ipsis bellis atq́ temporibus clarissimè refulserunt) vel etiam illorum viribus atque opibus, quibus hostibus suis longè sunt inferiores, sed soli diuinæ prouidentiæ, clementiæ atq́ potentiæ & angelicæ huic custodiæ accepta sunt referenda.

Hi verò cælestes Dei exercitus cùm Regibus & Principibus, tùm omnibus Christianis semper ante mentis oculos obuersentur, vt eis ad quasuis difficultates vincendas ac superandas animum roburq́ addant. Quæcunq́ ergo de Angelorum & nominibus & numero & creatione & dignitate & potestate & virtutibus & munere atque officio in sacris literis extant; ea in omnibus negotijs & actionibus suis, in omni rerum suarum, siue secundo, siue aduerso statu, ad vtilitatem, ad doctrinam, ad consolationem suam referre & ex his omnibus cùm vitæ, morum religionisq́ documenta, tùm solatia saluberrima haurire debent.

Angeli sunt custodes infantiæ & pueritiæ.

Quoties igitur, vt inde potissimùm exordiar, recordatur quiuis Christianus, siue is sit Princeps, siue homo priuatus, ineuntis suæ ætatis & infantiæ & pueritiæ, quæ plurimis & maximis plerunq́ est implicata periculis: toties recordatur dicti illius Christi nostri Seruatoris, quo affirmat, puerorum, siue pusionum, oculos videre assiduè faciem patris sui cælestis. Quibus verbis disertè docet, Angelos infantibus & pueris, ceu fideles assiduosq́ comites esse & custodes pædagogosq́

dagogosq́, aßignatos, qui quidem contemplantes Dei Patris cœlestis faciem, secundum illius nutum & voluntatem intenti sunt illorum custodiæ: ac proinde minatur illis grauiter, qui vnum ex pueris offenderint, cùm ab Angelis sint puniendi. Ex his ipsis verò Christi verbis, & illis Danielis de Persarum Angelo, &c. concludit Angelorum alios quidem ἐθνῶν προστατεύειν, *id est, populis vniuersis præesse, alios verò* ἑκάστου ἀνθρώπων ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν, ὥστε μὴ σίνεσθαι αὐτοὺς καὶ πημαίνειν τοὺς ἀλάστορας τῶν δαιμόνων, *id est, singulorum hominum curam gerere, ne malefici dæmones illis vim & noxam inferant. Etsi verò Angeli, Dei voluntate ac benignitate, cuiusuis ætatis hominibus adsunt ad eos tuendos: tamen, teste Christo, Deus illos infantum inprimis ac puerorum, seu pusionum, propter summam corporis animiq́ infirmitatem, propter plurima & grauissima pericula, quibus sunt obnoxij, vult esse custodes: quod ipsum non leue est singularis Dei erga ætatulam illam amoris argumentum, pro qua plus, quàm vel paternam, vel maternam salutis illorum & incolumitatis curam gerit, angelico illos præsidio communit & ab omni malo atq́ periculo tutos reddit.*

Angeli sunt custodes infantiæ & pueritiæ.

Vt autem Christus, sicut suprà dictum est, Angelos testatur ætatis illius hominum custodes atq́ tutores esse fidos & constantes: ita Ethnici quoq́ infantibus atq́ pueris multos & varios affinxerunt Dæmonas, Deos Deasq́ tutelares, qui illis & in partu, seu natiuitate, & in educatione, adiumento sint atq́ auxilio, quiq́ illos à quibusuis periculis defendant atq́ tueantur. Sic enim exempli gratia & Deam finxerunt Egeriam *ab egerendo partu dictam, &* Iunonem Lucinam, *à iuuando & luce dictam, & Deam* Nascionem, *siue vt alij eam appellant,* Nationem, *à nascendo, &* Nixos *Deos ab enitendo appellatos: itemq́ Deam* Prosam, *vel* Prorsam, *&* Postuertam, *siue* Postuortam, *quos partui præesse, illum regere, atq́ promouere credebant.*

Quomodo ab Ethnicis puerorum & infantum custodes dicti.

At nos sacris edocti literis scimus, Deum solum homines & in vtero materno custodire atq́ tueri, & manu sua illos ex tenebricoso

putidoq; illo carcere, atq; ergastulo in iucundissimam hanc lucem educere, vt Dauid pia grataq; mente cecinit. Infantibus verò iam natis & in lucem hanc susceptis alios Deos Deasq; assignarunt, tanquam illorũ custodes, nutritores, alumnos & educatores. Hi fuerũt & Dea Leuana, quæ infantes natos ab obstetricibus in terra statui solitos de terra leuare credebatur, & Vagitanus Deus siue Vaticanus; qui infantum vagitibus periculosis & humanæ vocis initijs præesse putabatur, & Cunina Dea, quæ infantes in cunis tueri fascinumq; ab illis summouere credebatur: & Dea Rumina, siue Rumia, quam mammæ puerorũ (Rumã enim, vnde forsan nostrũ rume, veteres mammam dixêre) putabant præesse: & Edusa, Potina & Cubica: quæ vbi primùm infantes à lacte & cunis transferebantur, illorum edulia, potiones atq; cubationes curare putabãtur: & Dea Ossilago, quæ infantum ossa solidare, & Deus Statilius, siue vt alij legunt, Stabilius: qui pueris, quando standi & consistendi potestatem habent, imperare: & Fabulinus Deus: qui cùm fari primùm auspicabantur, ijs præesse, & Pauentina Dea, quæ pauores à pueris auertere credebantur. His adde, quod quos & quales nos Angelos esse credimus secundum sacram scripturam, tales finxerunt Ethnici Genios: quos sic appellarũt, partim quòd homines gignendi generandiq;: partim quòd omnium rerum gerendarum vim illos obtinere arbitrarentur: & idcircò hos Dei filios, & hominum parentes nuncupabant. Geniales similiter Deos aquam, terram, aërẽ, quòd ex ijs omnia procrearentur: item duodecim signa, Solem, Lunam, & astra appellarunt. Alios itẽ homines bono, alios malo genio natos dicebant. Hinc etiam natæ sunt illæ dicendi formæ, Indulgere genio, id est, naturæ & voluptati operam dare, & contrà, Defraudare genium, id est interrumpere voluptatem, abstinere à voluptate, vt tantò felicius res magnas gerere possis. Hinc genialis hyems, id est voluptuosa, genialis homo, id est, hospitalis, liberalis, genialis thorus.

Verùm nos, spretis contemtisq; erroribus & superstitionibus cæcis, Christi sacrarumq; literarum testimonio fidem adhibentes, credimus Angelos Dei iussu & imperio, & partus & natiuitatis & edu-

tationis infantum puerorum curatores esse fidelissimos. Quamobrem, etsi in infantia atq; pueritia non deest nobis, cùm parentum inprimis, tùm nutricum, pædagogorum & magistrorum fidelissima cura atque diligentia, tamen non dubitare debemus, quin Deus nos angelica inprimis atq; cœlesti illa sua custodia tutatus sit ab innumeris corporis animiq; periculis, pro qua meritò gratias illi agimus & habemus immortales. Nec verò in infantili & puerili illa tantùm nostra ætatula mirificam hanc custodiam Angelorum optimè sumus experti, sed etiam in reliquis vitæ partibus, quæ quidem tot ferè habuerunt pericula, quot eius numerari possunt dies, ne dicam horæ, idem experti sumus & experimur adhuc quotidie. Quamobrem hodie quoq; in quibusuis considerationibus, consilijs, conatibus, actionibus, negotijs, rebusq; nostris cùm prosperis, tùm aduersis cogitemus semper de hac Angelorum, siue potius ipsius Dei per Angelos, assidua fidelissimaq; tutela atq; custodia, illaq; nixi ac freti quibusuis in difficultatibus molestijs atq; periculis animo simus forti & excelso fidei speiq; pleno. Et certè hoc Angelorum præsidium non tàm in pace rebusq; secundis, quàm in bello rebusq; aduersis & angustis apparet & elucet. Angelos itaq; in S. literis legimus non tàm in pace, quàm in bello, in expeditionibus in peregrinationib. maximis, in periculis, hominibus nō tàm togato et pacifico, quàm bellico & militari habitu apparuisse: Id declarant ipsa nomina epitheta, elogia, militaria, quæ illic Angelis tribuuntur: vt, Exercituum, castrorum, militum, legionum, equitum, curruum, satellitum, gladiorum, arcuum, tubarum, buccinarum, & alia id generis.

Angeli etiā reliquarum ætatum custodes.

Quoniam igitur in bellis & belli temporibus homines & cacodæmones suam potissimùm tyrannidem & immanitatem exercent, & exerunt, quantum quidem à Deo illis permittitur: idcirco belli quoq; temporibus Angeli à Deo mittuntur ad bonos quidem tuendos & defendendos; malos autē & improbos puniendos & vlciscendos: id quod cùm Reges, Imperatores atq; Duces; tùm ipsi etiam gregarij milites in bellis sæpenumero experiuntur. Quamobrē illi contra quorūuis siue hominum, siue dæmonum, vel plurimorum ac potentissimorū insidias,

Angeli tutores in bellis.

fraudes, fallacias, consilia, conatus, impetus, insultus, vim atq; technas, sibi ante mentis suæ oculos meritò proponunt spirituales & angelicos illos exercitus Dei exercituum, numero innumerabiles, viribus potentissimos, fide vigilantiaq; & voluntate ad se tuendū promptissimos & paratissimos, currus illos igneos et flammantes, castra illa castissima, legiones illas lectissimas, inuictas victrices, agmina turmasq; illas cœlestes, illas ἀρχὰς, δυνάμεις, κυριότητας, id est imperia, dominia, virtutesq; inuictas & inexpugnabiles, iisq; freti quasuis diabolorum cateruas atq; turmas contemnunt.

§. Angeli Regū & Principum satellites.

Etsi igitur Reges ac Principes habent cohortem suam prætoriam, suos satellites, stipatores & custodes validos, fortes, animisq; probè instructos: suos item ianitores & portitores: tamen semper cogitent de cœlesti illa Regis Regum & Domini dominorum cohorte prætoria, de satellitio illo angelico & cœlesti: nec dubitent, quin illo cincti, septi & muniti, tuti sint ab omni periculo: quoniam cùm satellitia humana sæpè sint periura, perfida, infida, cœleste & angelicum hoc satellitium sciunt esse certum, tutum, fidum & securum: quod nullis vel muneribus vel affectibus prauis, à quibus Angeli planè sunt immunes, corrumpi ac deprauari, à fide officioq; suo dimoueri potest. Et certè maximi hoc amoris & honoris, quo à Deo afficimur, loco est ducendum, quòd eosdem, quos in cœlesti illa sua aula atq; curia habet Maiestatis suæ satellites ac stipatores: nostrorum quoq; in his terris & corporum & animorum & facultatum vult esse custodes: pro quo nullas satis ei magnas agere & habere possumus gratias.

Non tàm igitur Reges atq; Principes hoc corporeo, quàm inuisibili ac cœlesti planeq; diuino illo satellitio niti decet, omnesq; insidias, quæ ipsis strui possunt, contemnere.

Deinde tametsi Reges ac Principes sæpe tanta sunt sapientia, prudentia, sagacitate præditi, vt vix cuiusquam consilio indigere videantur, & plurimos insuper habent secum consultores, consiliarios, monitores fidos & prudentes: qui optimis saluberrimisq; suis consiliis ac monitis illis in Rerump. administratione belli pacisq; temporibus

maxi-

maximo sunt vsui & adiumento: tamē ijdem minimè dubitent, quin sibi in difficilibus præsertim perplexisq; rebus & consultationibus præstò sint inuisibiles illi cœlestis curiæ Cōsiliarij, qui illos moneant, eisq; consilia optima ac saluberrima suggerant ac inspirent de ijs, quæ contra illorum & totius Reipu. dignitatem ac salutem spectant.

Præterea etsi Reges ac Principes plurimos habent officiarios & apparitores, quorum fide, opera & industria ad diuersa munera & officia & ad consilia, decreta & edicta sua exequenda vtuntur: ijdem tamen persuasum exploratumq; habeant, illos Regis Regū officiarios & apparitores, qui astant & apparent semper in eius conspectu promptissimos & paratissimos esse ad Dei gloriæ, hominumque saluti inseruiendum, & ad Dei consilia, iudicia, iussa atq; mandata efficienda.

Angeli Regum & Principum apparitores.

Præterea etsi Reges ac Principes pro suo officio non tàm suæ, quàm totius regni populiq; sui saluti inuigilare debent: quin etiam vigiles, excubitores, custodes passim in ditionibus suis, pacis belliq; temporibus habent plurimos & fidelissimos: tamen non tàm corporeis, quàm incorporeis & cœlestibus illis custodijs atq; vigilijs pro sua pietate nituntur atq; confidunt. Norunt enim Angelos, vt à Daniele appellantur, vigiles esse & peruigiles, indefessos ac vigilantissimos, qui assiduè pro Dei gloria nostraq; salute excubant ac vigilant. Norunt non dormire eum, qui Israëlem custodit, vt Dauid in suis Psalmis canit. Atq; hæ quidem cœlestes vigiliæ atq; excubiæ, quibus ab ortu statim suo adhunc vsq; diem in maximis suis periculis sunt vsi, mirificè eos consolantur atq; animant contra quorumuis, siue dæmonum, siue hominum, eorum exitio ac perditioni inuigilantium, immanem nefariamq; vigilantiam.

Porrò quiuis Rex atq; Princeps Christianus habet quidē in promptu suos viatores, cursores, nuntios, legatos, interpretes, Oratores & in regno & extra regnum passim in plerisq; Orbis terrarum partibus. At idem sacris edoctus literis sæpè cogitat de Dei viatoribus, cursoribus, nuncijs & legatis illis cœlestibus, (qui idcircò ra-

Angeli Regū & Principum viatores, & interpretes.

tione huius officij מלאכים Melakim, Hebraicè, & ἄγγελοι Græcè appellantur) à Deo cœlitus ad salutem hominum mitti solitis, qui ob incredibilem suam iussa & mandata diuina efficiendi, ac Deo hominibusq; inseruiendi promptitudinem, alacritatem, ac celeritatem, & stare, & currere, & equitare, & volare in sacris literis dicuntur. Hi sunt diuinæ voluntatis nuntij & interpretes, qui diuina iussa atque mandata ad homines deferunt, eosq; de Dei voluntate fidelißimè docent atq; monent. Non dubitabit igitur quiuis Rex atq; Princeps Christianus, huiusmodi nuntios atq; legatos sibi quoq; cœlitus sæpè à Deo missos esse in has terras, & adhuc mitti ad illum consolandum, erigendum, de rebus ad suam & totius regni ac Reipub. salutem pertinentibus, docendum atq; monendum. Et hæc illorum legatio verè libera est, quæ non potest impediri. Legati hominum sæpè ligati potius quàm legati dici merentur, alligati videlicet donis & muneribus, non liberè & ingenuè agunt & loquuntur. Ius legationis cùm hominum præsidio, tùm etiam diuino iure est vallatum. Id verißimè hac de cœlesti legatione, quæ nulla vi vel humana vel diuina potest impediri ac violari, dicere possumus: quippe legationem hanc à Deo ipso acceperunt Angeli mißi ex cœlesti & sublimi illa aula in has terras legatione verè libera, non falsa, non ficta, non ementita, vt αὐτάγγελοι dici queant. Hi ergo sunt legati & nuntij pacis & belli, interpretes, oratores, ministri mundi totius. His Deus dat mandata, quæ illi summa fide atq; diligentia exequuntur. Vnde legati non sunt sine mandatis. Quid turpius, inquit Cicero, quàm legatus sine mandatis? Legati Senatus faciem secum adferunt, ac totam Rempub. repræsentant: sic cœlestes illi legati Senatus illius cœlestis sacrosanctæ Trinitatis, societatis & Reipub. illius diuinæ dicta & acta secum adferunt. Quantam, proh Deum immortalem, hinc consolationem voluptatemq; haurit quiuis Rex atq; Princeps Christianus: quando cogitat illos supremi Regis Regum, domini dominorum viatores, legatos atq; nuntios cœlestes sibi & ipsis legatis suis terrestribus adesse, ceu monitores fidelißimos, de quorum fide & veritate, tanquam

quam

quam certa, tuta ac sincera nequaquã sibi dubitandũ esse existimat: quos etiã nouit maximorũ & salutiferorũ illorũ mysteriorũ de Christo, in quorum cognitione salus nostra consistit, ante & post eius incarnationem primos & optimos fuisse nuntios, interpretes & oratores.

Præterea Regibus atq; Principibus adsunt multi Musici, cantores sacri & profani, qui suauissimè iucundissimeq; vocũ, neruorũ, fidiũ & instrumentorũ cõcentu illorũ aures demulcent, maxima voluptate deliniunt, ex innumeris molestijs recreant & exhilarant. At ijdem mentẽ potius suam animumq; erigunt ad harmoniã & Musicã illam cœlestẽ, ad cœlestes illos Musicos, tubicines, cytharœdos, cantores, qui assiduè Dei laudes, eius gloriã, Maiestatẽ, virtutes hymnis & psalmis perpetuis cantant, prædicant ac celebrant: vt passim sacræ docent literæ: cuius frequentissima in Apocal. Iohan. fit mentio. Plus certè illi ex Musica & symphoniæ illius cœlestis cogitatione atq; spe, quàm ex terrestris huius auditione delectationis ac voluptatis capient. Angeli Regum & Principum cantores.

Reges præterea atq; Principes plurimos habent medicos, chirurgos & pharmacopœos, medicinæ & chirurgiæ peritissimos, quorũ quidem opera cõsilioq; bono & fideli (spretis cõtemtisq; quibusuis agyrtis, medicis circumforaneis, empyricis, nec nõ magis, ariolis, incantatoribus) ad valetudinẽ suam tuendã & conseruandã vti debent. Verùm ijdẽ Deũ credunt & agnoscũt esse animæ corporisq; sui ἀρχίατρον, hoc est, summũ optimumq; & fidelissimũ medicũ, cui valetudinẽ suam assiduis precibus cõmendabunt, nec Asæ Regis illius Iudæorũ exemplo & imitatione nimiũ spei in medicis & medicamentis istis terrenis sibi collocandũ esse arbitrabuntur. Deinde nequaquã dubitẽt à summo illo verissimoq; medico cœlestes & beatos illos spiritus è cœlis in has terras mitti ad hominũ valetudinẽ sartã & tectã tuendã, & ad quosuis vel difficillimos morbos depellendos ac sanandos: quemadmodum Tobiæ historia clarissimè testatur. Animum ergo cogitationemque suam cùm ad medicum illum principem, cùm ad cœlestes Angeli Regum & Principum medici & chirurgi.

hosce medicos, chirurgos, pharmacopœos, medicamentorum & pharmacorum omnium scientissimos, summa non solùm scientia, sed etiam fide præditos conuertant, à quibus persuasum exploratũq; habent ipsius Dei nutu & imperio animi corporisq; nostri salutem diligentissimè fidelissimeq; curari, & aduersus quasuis vel aëris iniurias ac intemperiem, vel dæmonum præstigias, vel hominum improborum ac perfidorum veneficia, maleficia, atq; insidias tutissimè defendi ac conseruari.

§. Angeli Regũ & Principum cõdu[illegible]

Iam verò Reges et Principes, vt etiam quiuis Christianus, in quibusuis vijs, profectionibus & expeditionibus suis, præsertim difficilibus, molestis atq; periculosis, quas confecerunt, & adhuc pro totius regni ac Reipub. salute suscipiunt & obeunt animos suos erigendi consolandiq; gratia sibi ante mentis oculos sæpè proponent illos cœlestes viatores, viarum & itinerum duces, monstratores, comites fidissimos & certissimos, tutores aduersus quæuis pericula potentissimos, vt sacræ literæ passim testantur. Ex illis optimè norunt, sanctissimos olim illos Patriarchas veteris testamenti, in quibusuis suis peregrinationibus arduis ac difficilibus Angelis visos fuisse comitibus, monitoribus atq; custodibus optimis. Recordantur sæpè illius Angeli, qui, teste sacra scriptura, ducem sese præbuit populo Israelitico diurnum atque nocturnum in columna nubis atq; ignis per inuium, vastum, horridum, squallidumq; illud desertum, multis periculis infestum atq; funestum, in terram Chanaan: nec dubitant, quin idem Angelus adhuc fuerit, & in posterum quoq; sit futurus omnium viarũ, profectionum & expeditionum suarum, siue diurnarum, siue nocturnarum: totius deniq; vitæ suæ (quæ quidem quasi via quædam est per mundi huius desertum ad veram cœlestemq; illam terram viuentium) dux, comes, atque custos perpetuus. Versant, voluunt atq; reuoluunt ijdem semper animis suis illa Dauidis verba, consolationis plenissima: Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam Angelis suis mandauit, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Super manus portabunt te, ne of- (Psal. 90.)

fen-

fendas ad lapidem pedem tuum.

His verbis David graphicè describit, & suis quasi coloribus depingit certißimam præsentißimamq́; illam Angelorum custodiam, ex qua eximius & singularis Dei erga genus humanum amor elucescit, qui perpetuam, & plus quàm paternam nostræ salutis, cuius est amantißimus, curam gerens nos inter tot tantaq́; singulis penè momentis, ceruicibus nostris impendentia pericula inter tã varios casus atque discrimina, inter tantas diabolorum hominumq́; insidias & impetus angelica sua custodia atq́; præsidio nos tutos reddit. Etsi enim hæc verba de Christo intelligenda sunt: tamen ad quemuis hominem Christianum eadem referri possunt ac debent.

Apophtegma Dionysij tyranni.

Quot quantisq́; periculis Regum ac Principum ante alios vita sit obnoxia & exposita, Dionysius ille tyrannus Damocli, parasito suo, demonstrauit fulgenti gladio, quem è lacunari seta equina appensum ita demisit, vt illius in triclinio ad mensam accumbentis ceruicibus impenderet. Minimè itaq́; Reges ac Principes tot pericula declinare, tot mala effugere, tot insidias cauere, ex tot retibus, laqueis, tendiculis, foueis euadere et emergere possent, nisi angelicis hisce patris illius cœlestis præsidijs septi essent ac vallati. Quando igitur hodie quoq́; in expeditionibus illis bellicis periclitantur: non dubitent, se ab illis Dei ministris & satellitibus, eiusdem nutu atq́; imperio, in omnibus vijs, profectionibus & actionibus suis custodiri, ac illorum manibus gestari, id est, protegi ac defendi aduersus quasuis lapidum offensiones, id est casus, lapsus, atq́; discrimina. His itaq́; angelicis præsidijs freti sanè humanißimis ac potentißimis aduersus quasuis sæuas, crudeles & immanes hominum diabolorumq́; manus animo sunt excelso, impauido ac confidenti.

Præterea quando in bello imperatores atq́; duces castra sua metantur, & ijs vident opposita hostium suorum exitium interitumq́; sibi minitantium et intentantium, castra potentißima: tunc in mentem memoriamq́; suam reuocẽt illa Dei castra castißima, quæ Iacobo Patriarchæ apparuerunt Gen. 32. & illa verba Deut. 22. Castrorum

in medio Dominus ambulat, & idcirco non polluenda ſunt. *Item illa Dauidis verba Pſal.* 34. Caſtrametatur Angelus Iehouæ in circuitu timentium eum, & eripiet eum. *De illis caſtris Iacobi pulchrè Chryſoſtomus ſerm.* 25. *de Aſcenſione Domini, in illa verba:* Vidi caſtra Angelorum, *&c. ſic inquit:* Et merito Angelorum caſtra videbantur in terra. Nam ſicut Imperatoris optimi prouiſione vrbes omnes, vniuerſæ ciuitates, caſtella ſingula, manu militari aduerſus hoſtilē muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incurſione deleantur: ita & Deus quoniam barbara & agreſti mente rabidi dæmones, ad pacis euerſionem vbiq; verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum, vt eorum potentia dæmonum confringatur audacia & per eos nobis pacis gratia miniſtretur. *Haſtenus ille.*

Poſtremò, quando Imperatores atq; Duces in bellis, atq; adeò in ipſa acie, in prælijs, pugnis, velitationibus, oppidorū oppugnationibus conſpicantur cùm ſua, tùm hoſtium ſuorum arma, gladios, tela, tormenta, currus, tubas, buccinas, exercitus, copias, legiones pedeſtres & equeſtres, ſuis ſæpenumerò robore ac potentia longè ſuperiores: tunc illis ante mentis oculos obuerſentur exercitus, cohortes, legiones, equites peditesq; illi cœleſtes & angelici pro ſe, iuſſu ſummi illius Archiſtrategi & Imperatoris Dei exercituum, pugnantes: quibus nixi atq; fulti ſperant victoriam & ſperatâ quidem plerunq; potiuntur. Item meminerint armorum, enſium, & gladiorum illorum cœleſtiū, qui parati ſunt ad illos aduerſus omnē vim iniuſtam tuendū ac defendendum. Meminerint & illius gladij, quo nefarius pernicioſusq; ille Bileami conatus fuit repreſſus, & illius, quo vna nocte centum & octoginta millia Sennacheribi Imperatoris Aſſyriorum fuerunt trucidata, & illius gladij, quo Iſraëlitis peſtis fuit inflicta: qua breui tempore multa hominum millia miſerrimè fuerunt extincta, & deniq; illius gladij, quo armatus Angelus Ioſua propè Hierichuntem vrbem

palmis

palmis & balsamo nobilem apparuit, paratus ad hostes quidem eius feriendos, Israelitis autem opem ferendam. Similiter tubarum buccinarumq; angelicarum tunc recordentur: quarum crebra in sacris literis fit mentio. Angeli enim primò quidem sunt tubicines, buccinatores, atq; praecones virtutum laudumq; diuinarum. Deinde tanquam faeciales, caduceatores ac buccinatores supremi illius Imperatoris exercituum coelestium atq; terrestrium iussu ac mandato vel bella hominibus pro iusto Dei iudicio indicunt atq; inferunt, vel pacem eis pro illius misericordia afferunt atq; conciliant.

In primis verò saepißimè cogitent de angelica illa voce atq; tuba, qua in extremo illo die, quem etiam Angeli ipsi, teste Christo, ignorant, mortui ex sepulchris ad vitam reuocabuntur, & omnes homines ad vniuersale illud iudicium congregabuntur. Quae cogitatio illis in omnibus miserijs & calamitatibus maximo poterit esse solatio & alleuamento. Vt igitur olim Elisaeus & illius puer seu famulus simul atq; apertis oculis conspicati sunt innumeros illos currus & quadrigas angelicas omni metu deposito maximam inde salutis spem conceperunt: cùm Elisaeus famulo suo diceret: Ne metuamus, quia omnes, qui nobiscũ sunt, plures sunt ijs, qui contra nos sunt: Sic Imperatores atq; Duces Christiani innumeris hostium turmis vndiq; cincti, oculis mentis intenti & defixi in eosdem currus seraphicos, coelestes, igneos & flammantes imperterrito impauidoq; animo contra spem humanam, contra omnes hominum Diabolorumq; minas, salutem sperent & victoriam.

Porrò plurima alia, quae in sanctis veteris nouiq; Testamenti literis extant, angelicae praesentiae, custodiae, defensionis, protectionis, liberationis, vel etiam vltionis exempla atq; testimonia, partim quosuis Christianos admonent de praeterita & quidem crebra admirabiliq; protectione & liberatione ex innumeris mortis periculis (vnde meritò gratias agunt habentq; Deo maximas) partim illis spem faciunt certam futurae liberationis atq; salutis, denique illos cùm officij sui admonent ad timorem & amorem Dei eos incitantia, — Vsus exemplorum sacrorum angelicae praesentiae.

tùm contra quasuis difficultates, molestias, ærumnas atq; pericula mirum in modum consolantur atq; recreant.

Cur Angelorum creationis â Mose non facta mentio, & quomodo creati dicantur & quando.

Ac primùm quidem omnium, vt ad Angelorum testimonia & exempla, quæ in sacris literis extant, veniam, miretur quis meritò in narratione Creationis Mundi & omnium creaturarum, nullam creationis Angelorum fieri expressam mentionem: qua de re multis in locis S. Augustinus disputat: cuius testimonia quædam proponam: Lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 9. sic inquit: Vbi de Mundi constitutione sacræ literæ loquuntur; non euidenter dicitur, vtrum, vel quo ordine creati sint Angeli, sed si prætermissi non sunt, vel cœli nomine, vbi dictum est: In principio fecit Deus coelum & terram, vel potius lucis nomine, de qua loquor, significati sunt. Opus autem Dei esse Angelos, hîc quidem etsi non prætermissum, non tamen euidenter expressum est: Sed alibi hoc sancta scriptura clarissima voce testatur. Nam in hymno trium in camino virorũ, quum prædictum esset: Benedicite omnia opera Domini Dominum, in executione eorundem operum etiam sancti Angeli nominati sunt. Et in Psalmo canitur, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. *Idem de Incarnatione Verbi:* Est etiam illud, *inquit*, in Ecclesiastica prædicatione, esse Angelos Dei quosdã & virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutẽ hominũ consummandã. Sed quando isti creati sint, vel quales, aut quomodo sint, nõ satis in manifesto distinguitur. *Idem de Ciuitate Dei 11. cap. 25. inquit:* Proinde facti primitus Angeli, cuiusmodi ministeriũ præbuerunt Creatori cætera facienti, nescio, nec tribuere illis audeo, quod fortè nõ possunt, nec debeo derogare quod possunt. Creationem tamen conditionemq; omnium creaturarum, qua fit, vt omninò naturæ sint, eis quoq; fauentibus non facientibus, illi Deo tribuo, cui se etiam ipsi debere

quod

quod sunt, cum gratiarum actione nouerunt.

Et hactenus Augustinus.

De hac ipsa verò Angelorum, eorumq́ simul dignitate atq́ præstantia præclarè etiam Chrysostomus, verè aureum illud os, disserit secundo, περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου, *siue de incomprehensibili, sermone manuscripto & hactenus nondum in lucem edito, quem clarißimus & literatißimus vir, mihiq́ amicißimus, Dn. Dauid Hæschelius ex augustißima illa Bibliotheca Augustana mecum pro sua humanitate communicauit: cuius hæc sunt verba:* καὶ τί χρὴ λέγειν περὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ θαλάσσης, καὶ ἀνθρώπων φύσεως; ἀναβῶμεν ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν τῷ λόγῳ καὶ ἐπὶ τοὺς ἀγγέλους ἔλθωμεν. ἴστε γὰρ δήπου τοῦτο ὅτι τῆς κτίσεως τῆς ὁρωμένης ταύτης εἷς ἄγγελος μόνος ἀντίρροπός ἐστι, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ τιμιώτερος. εἰ γὰρ ἀνθρώπου δικαίου ἄξιος οὐκ ἂν εἴη πᾶς ὁ κόσμος, καθὼς ὁ Παῦλός φησιν, ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος οὗτος: πολλῷ μᾶλλον ἀγγέλου οὐκ ἂν γένοιτό ποτε ἄξιος. πολλῷ γὰρ τῶν δικαίων ἄγγελοι μείζους. ἀλλ᾽ ὅμως μύριαι μυριάδες εἰσὶν ἀγγέλων ἄνω, καὶ χίλιαι χιλιάδες εἰσὶν ἀρχαγγέλων, καὶ θρόνοι καὶ κυριότητες, καὶ ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι, καὶ ἄπειρα δῆμοι ἀσωμάτων δυνάμεων καὶ φῦλα ἀμύθητα. καὶ ταύτας ἁπάσας τὰς δυνάμεις μετὰ τοσαύτης εὐκολίας ἐπόιησε, μεθ᾽ ὅσης οὐδεὶς λόγος παραστῆσαι δύναται. ἤρκεσε γὰρ αὐτῷ τὸ θελῆσαι πρὸς ἅπαντα. καὶ καθάπερ ἡμῖν ἡ βούλησις οὐ παρέχει κάματον: οὕτως οὐδὲ ἐκείνῳ τὸ δημιουργῆσαι τοσαύτας καὶ τηλικαύτας δυνάμεις. καὶ τοῦτο ὁ προφήτης ἐμφαίνων ἔλεγε: πάντα ὅσα ἠθέλησεν, ἐπόιησεν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ. ὁρᾷς ὅτι οὐχὶ πρὸς τὴν δημιουργίαν τῶν ἐν τῇ γῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ἄνω δυνάμεων ἤρκεσεν ἡ θέλησις αὐτοῦ μόνου. *Hoc est:* Sed quid opus est verba facere de cœlo, & terra, & mari, & natura humana? Conscendamus oratione supra cœlum, & ad ipsos veniamus Angelos. Nostis quippe vel vnicum Angelum vniuersæ huic naturæ visibili & aspectabili non

modò parem esse & æqualem, sed illa etiam longè supe-riorem ac pretiosiorem esse. Nam si vel vniuersus hic mundus nequaquam vel vni iusto homini dignitate est comparandus (iuxta illa Pauli verba: Quibus non erat dignus mundus iste) quantò minùs is Angelo alicui fuerit conferendus? Quid dicam, quod decem mille Angelorum supernè sunt myriades, & millies millena sunt Archangelorum, seu throni, seu dominationes, seu imperia, seu potestates, seu infinitę potestatum illarum incorporearum gentes, nationésque ineffabiles? Hasce verò potestates omnes tanta Deus facilitate condidit, quanta nulla oratione potest exprimi. Satis enim illi erat vel velle ad tot & tanta creanda omnia. Et quemadmodum nostra voluntas nullum nobis laborem exhibet; ita Deo tot ac tantarum potestatum creatio nihil vel minimi laboris molestiæue præbuit, quas omnes facillimè nullóque negotio vel solo nutu ac voluntate sua condidit. Hoc ipsum regius ille Propheta his verbis declarauit, omnia quæcunque fecit & in cœlo & in terra. Vides igitur non solum ad terrenarum, sed etiam ad supernarum & cœlestium illarum potestatum creationem solam eius voluntatem satis fuisse efficacem.

In eandem sententiam scripsit quoque Clemens Alexandrinus Protrept. pag. vigesima quinta: ψιλῷ τῷ βούλεσθαι δημιουργῶ: καὶ τῷ μόνῳ ἐθελῆσαι αὐτὸν ἕπεται τὸ γεγενῆσθαι. *Similia et apud Athanasium Dialogo primo de Sancta Trinitate, & apud eundem Chrysostomum oratione de resurrectione mortuorum, et apud Nazianzenum leguntur. De creatione Angelorum poteris etiam videre plura apud Theodoretum,* εἰς τὰ ἄπορα, *quæstione secunda et tertia. Cur Moses non meminerit creationis Angelorum, et quando creati? de quo et Basilius in Hexaëmero, et Gregorius Nyssenus* περὶ τοῦ βίου μώσεως. *pagina 80. ver. 14. Et Nazianzenus in car-*

carminibus, et alibi, qui τοὺς ἀγγέλους *facit* δεύτερα φῶτα. *Damascenus lib: 2. de fide Orthod. Quidam igitur volunt eos ante omnem creaturam esse conditos, vt Theologus Gregorius: Primò cogitabat Deus Angelicas et cœlestes potestates:* καὶ τὸ ἐννόημα ἔργον ἦν, *Id est, Cogitatio erat opus. Alius vult eos creatos esse post primum cœlum. Ante hominis autem formationē illos creatos esse confitentur omnes. Ego autem Gregorio assentior. Nam conueniebat primùm naturam creari intellectualem, deinde sensibilem: tùm hominem ex vtraq; compositum. Qui verò Angelos affirmant cuiuscunque naturæ esse conditores, illi os sunt diaboli patris ipsorum: Creaturæ enim sunt Angeli, non creatores. Addit postremò:* πάντων δὲ ποιητὴς, καὶ προνοητὴς καὶ συνοχεὺς ἐστὶν ὁ μόνος ἄκτιστος ὁ ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι ὑμνούμενός τε καὶ δοξαζόμενος. Omniū autem conditor, moderator & conseruator est solus ille, qui non est creatus, qui in Patre, & in Filio, & in Spiritu S. laudatur ac celebratur.

Angelos aliqui Theologi eximij, vt Nazianzenus & Basilius, creatos putant ante cœlum & terram, intellectuales videlicet substantias in mundo intellectuali ponentes: quæ à Platonis etiam δημιουργίᾳ *non multum abhorrent. Aliqui primo die, quo cœlum terramq; Deus condidit, & lucem atq; tenebras separauit, hos cœlites incolas creatos esse probabiliùs dixerunt, vt Augustinus, Quum verò Angelorum consortes atq; collegæ sint homines, et rationis simul participes, & vel ad hominū ministerium ac salutem à Deo sint producti, vt Apostolus testatur, non absurda, opinor, erit sententia, si die sexto mundi cum ipso creatos homine intelligamus, præsertim cùm veritas ipsa dicat, diabolum in veritate non perstitisse, verùm initio statim fuisse mendacem & homicidam. Hæc sententia etiam refellit Valentini, & aliorum hæreticorum væsaniam, qui dixere mundum ab Angelis fuisse creatum.*

Nos igitur secundum hanc modestissimam horum Patrum sententiam, & iudicium non curiosè nimis de tempore, ordine & modo

creationis Angelorum inquirendum esse ducemus, sed simpliciter illos à Deo esse creatos, Dei esse creaturas, nec Deum illis cooperarijs, adiutoribus & administris in Mundi creatione vsum fuisse. Prima autem expressa Angelorum fit mentio, vbi scribitur, Deum eiectis primis nostris parentibus ex Paradiso collocasse ab Oriente horti illius Heden, id est, voluptatum & deliciarum abundantissimi, Cherubim, hoc est, Angelos specie seu formâ vel hominum & quidem puerorum, vel etiam animalium, cum gladio flammeo & versatili ad intercludendum illis aditum ad illum hortum & ad arborem illam vitæ, ne eius fructum comedendo fierent immortales. Inde autem colligimus, vt primos nostros parentes: ita nos illorum posteros nostra culpa legeq; diuina (quæ iram operatur & peccatum auget) quæ quidem in ignibus & terroribus Angelorum manu ac dispensatione lata & promulgata est, excludi & arceri morte à paradiso illa cælesti, ad quam non nisi per Angelum illum magni consilij, id est, Christum Mediatorem, qui idcirco se viam & ostium appellat, reditus nobis patet ad Paradisum nempe cælum. Potest etiam hoc loco, quod Cherubim leguntur positi fuisse ad custodiendum Paradisum, colligi, Deum vti Angelorum opera ad totius Mundi gubernationem & conseruationem.

Apparitio angelica facta Abrahamo de nasciturо filio Isaaco.

Deinde Abrahamum, patrem illum gentium, cui Deus sese creberrimè familiarissimeq; patefecit, legimus ad quercum Mambre tres Angelos, quos quidem homines rebatur esse peregrinos, humanissimè in domum suam inuitasse excepisse atq; tractasse: quos Hebræi volunt fuisse Michaëlem, Raphaelem & Gabrielem. Theologorum nonnulli ipsam sanctam Trinitatem. Quidam, vt S. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei. cap. 29. vnum ex ijs existimant fuisse Dominum Christum, asserentes eum etiam ante carnis instrumentum fuisse visibilem. De hac apparitione angelica vide eundem Augustinum de Trinitate lib. 2. cap. 18. Apostolus autem in epistola ad Hebr. ca. 13. Angelos propriè dictos fuisse testatur, qui ipsi & eius vxori Saræ lætissimum de futura sobole & Isaaci natiuitate nuncium attulerunt.

lerunt: Ita nos, qui non solùm erga ciues, indigenas ac populares, verùm etiam erga peregrinos & extraneos: quin etiam erga pauperes, inopes, egenos, erga viduas atq; pupillos pro pietate charitateq; nostra Christiana nos humanos, benignos, hospitales atq; munificos debemus præbere, non dubitemus, quin huiusmodi homines miseros & afflictos, nobis à Deo peculiariter commendatos, humaniter benigneq; tractando atq; fouendo, Angelos, secundum Paulum: imò Deum ipsum, Angelum illum magni consilij, nuntium simul & auctorem æternæ salutis, non tanquam hospitem, sed tanquam sospitatorem & seruatorem nostro hospitio ad salutem nostram recipiamus.

Ex tribus autem illis Angelis paulò pòst duo ἀνθρωποειδεῖς id est, humana specie apparentes à Lotho, Abrahami patruele, humanissimè excepti fuerunt, qui Lothum quidem virum pium & sanctum cum sua familia ex immanissimis Sodomitarum vrbibus extraxerunt & eripuerunt; Sodomam verò cum reliquis vrbibus & illarum incolas pluuia, igne atque sulphure perdiderunt: Lothi tamen vxor contra Angelorum monita Sodomam versus respiciens in salis statuam subita & quidem mira metamorphôsi fuit conuersa. Apparitio angelica facta Lotho. Gen. 19

Hanc historiam quiuis Christianus mente memoriaq; sua recolens meminerit, & quidem cum pia animi sui gratitudine gratiarumque actione, se ex multis periculorum malorumq; quasi incendijs atq; flammis, quibus plurimi alij iusto Dei iudicio fuerunt consumti, singulari Dei misericordia & Angelorum, manibus suis pios gestantium ministerio saluum incolumemq; euasisse, cùm contrà impœnitentes & increduli stupore diuinitùs percussi, & quauis statua, stipite, atque trunco stupidiores hæc Dei iudicia minimè videre & intelligere possint: vt meritò illi Lothi vxori, in statuam salis conuersæ, sint comparandi.

Præterea ex illa Agaris siue Hagaris historia, quæ Genes. 16. extat, quantam quiuis Christianus voluptatem, lætitiam, consolationem, quantam spei fideiq; suæ confirmationem haurit? Hagarem Apparitio angelica facta Hagari ancillæ Abrahami.

enim Abrahami ancillam & concubinam prægnantem atq; fugientem à facie Saræ, dominæ suæ, in tristißima illa fuga atq; exilio consolatus est Angelus Iehouæ, quem Rabbinorum nonnulli existimant fuisse Angelum siue genium Abrahami ei familiarem eiq; à Deo destinatum. At Theologorum plerique, quod mihi videtur verisimilius, putant fuisse filium Dei: quoniam & Iehoua, & videns siue respiciens, & puteus ille, intra quem ei apparuit, puteus viuentis & videntis me, fuit appellatus. Sic enim Christus fons vitæ appellatur. Quando igitur hanc quoq; historiam angelicam animo nostro perpendimus, fieri non potest, quin nobis in mentem veniat, quàm sæpè Christus, Iehoua ille viuens ac videns omnia, ille fons vitæ siue aquæ viuæ, per Angelos suos, nos hinc inde per mundi huius desertum oberrantes atq; vagantes, per varios casus mærore & tristitia affectos, oculo suæ misericordiæ respexerit, nobis faciē suā serenißimā ostenderit, nosque sæpè quasi ex Orco mortisq; faucibus ad vitā reuocarit. Hinc itaque cùm gratias Deo gratißimo animo habendi, tùm optimè in posterum quoq; de salute nostra sperandi ansam arripiamus, & in genere ex eadem hac historia colligamus, infantum puerorumq; salutem Angelorum patris cœlestis faciem serenißimam aßiduè cōtemplantium Deo curæ esse atq; cordi, illorumq; vagitus atq; fletus, tanquam vota & preces, à Deo exaudiri. Et idcirco recordemur, nos sæpenumero & in pueritia & in adolescentia & in ipsa virili hac nostra ætate, omni ope sæpè auxilioq; humano destitutos, diuinam implorantes opem à Deo fuisse exauditos. Ac quemadmodum Angelus Domini Hagarem monuit, vt ad dominam suam sibi infensißimam rediens, cum illa rediret in gratiam, ita nos quoq; Dei Angelorumq; bonorum instinctu, vel cum infestißimis nostris hostibus in gratiam redire, minimè dubitemus. Recordemur etiam sæpißimè charißimorum nostrorum parentum, qui non minus, quàm olim Hagar illa, propter nos, ceu charißima sua pignora, acerbißimos hauserunt dolores atq; luctus, plurimas & maximas pertulerunt molestias, creberrimis & ardentißimis precibus salutem nostram Deo commendarunt.

Præterea, vt puerum Ismaelem siti enectum Deus puteali il-

la aqua per Angelum suum recreauit, & à mortis periculo vindicauit: ita meminerimus nos sæpè vnà cum nostris siti, fame, algore, æstu, laßitudine, rerumq́ necessariarum penuria laborantes & in extremo versantes mortis periculo mirificè à Deo, toto nobis pectore inuocato, exauditos atq́ conseruatos fuisse.

Venio ad aliã historiã illustrem, quæ Gen. 22. cap. prodita est, in qua Deus scribitur per Angelum è cœlo clamantem, Abrahamũ Patriarcham in monte, qui idcirco Moriah, id est, Deus videbit, siue videbitur dictus fuit, filium pro sua fide iugulare atq́ mactare conantem, à cæde prohibuisse eiq́ simul seminis sui multiplicationem omniumq́ gentium in eo benedictionem prædixisse.

Apparitio angelica facta Abrahamo in monte Moriah.

Hanc quoq́ historiam, quoties quiuis Christianus legit, audit, meditatur: toties pia grataq́ mente cogitat, se non semel, sed sæpiùs à Deo angelico quodam instinctu, à plurimorum, & quidem sæuißimorum hostium suorum vltione atq́ vindicta quantumuis iustißima, auocatum fuisse atq́ prohibitum: sicuti sanè nos ad parcendum & ignoscendum nostris hostibus potiùs, quàm ad illos pro ipsorum meritis vlciscendum atq́ perdendum propensiores longè ac promtiores esse decet. Quot item sæpè Deus hostium nostrorum gladios, sicas atq́ tela nostris capitibus, iugulis atq́ ceruicibus intenta Angelorum suorum manibus auertit, cohibuit atq́ repreßit? Nuntio deniq́ illo lætißimo & beatißimo, id est, Euangelio, de benedicto illo Abrahami semine, quod est Christus, nosipsos in omnibus miserijs cõsolemur et erigamus.

Nec dubium est, quin sæpiùs, quàm sacris literis exprimatur, Angeli Abrahamo, Isaaco & Iacobo cæterisq́ Patriarchis sanctißimis apparuerint. Sunt etiam inter Theologos, qui existimant, quoties Deus sanctißimos illos Patres dicitur fuisse alloquutus: id cùm Angeli inprimis illius magni consilij, hoc est, ipsius Filij Dei; tùm Angelorum propriè dictorum, opera ac ministerio fuisse factum.

Præ cæteris aũt apparitionibus angelicis veteris Testamenti insignes inprimis ac mysteriorũ saluberrimorum plenißimæ sunt duæ illæ, quæ Iacobo Patriarchæ contigerunt, quarum vna cap. 29. Gen. altera 32. cap. leguntur.

Christiani comparandi cum Iacobo Patriarcha.

Est verò quiuis verè Christianus Iacobo Patriarchæ vel propter malorum multitudinem & grauitatem, vel propter vitæ morumque integritatem meritò comparandus. Iacobus enim plurimis curis, ærumnis, molestijs, laboribus atque doloribus fuit per totum vitæ curriculum diuexatus & agitatus: vnde meritò interrogatus à Pharaone, Rege Aegyptiorum, quot annos natus esset, respondit: Dies annorum peregrinationis meæ sunt centum & triginta anni. Nam in ipso primùm vtero materno cum Esauo fratre germano & gemino ei certamen atque luctatio fuit, quæ futurorum eius vitæ certaminum, ærumnarum atque molestiarum quasi præludium atque progymnasma fuit. Deinde simul atque natus, & in hanc lucem editus fuit, ad mortem ferè vsque perpetuum ei cum eodem fratre suo odium, inimicitia, dißidium, bellum atque certamen periculosißimum extitit. Esau enim Iacobo minatus est mortem propter ius & dignitatem primogenituræ astu atque dolo sibi ab eo præreptam. Hanc ob causam à parentibus missus est solus in Mesopotamiam, fratris vim & insidias declinandi gratia: quod quidem iter fuit longum, difficile, molestum atque periculosum. Sed, vt Poeta ille cecinit:

Incidit in Scyllā, qui vult vitare Charybdim.

Seruitutem enim apud Labanum, auunculum suum, subire atque seruire cogitur 20. annorum spatio, plus quàm ferè Herculeam siue Vlysseam, duram & ærumnosam. Nam vt ille apud Aristophanem ait: ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. Diurnis enim nocturnisque laboribus fuit exercitus, deinde ab vxoribus, ab ingrato infidoque socero eiusque liberis multis affectus fuit iniurijs. Tandem etiam inscio, imprudente & insalutato Labano socero & auunculo suo cum duabus suis vxoribus, liberis, famulis, toto peculio & suppellectili sua, Dei iussu & monitu aufugit. Labanus ira inflammatus eum insequitur. Vnde non paruum ei totique familiæ imminebat periculum. Præterea Esau frater ferus ac truculentus cum 400. viris ei in itinere, tanquam Leo rugiens occurrit ignem cædemque spirans, exitiumque ei minitans. Ipse cum Angelo tota nocte luctatus

ctatus est: quam luctationem consecuta fuit claudicatio. Quid dicam, quòd Dina filia eius violatur, vrbsq; Sichem contra datam fidem diripitur? Quòd Rachel coniunx eius charissima in itinere moritur ex partu? Quòd Rubenus filius eius primogenitus incestũ cum matre vel nouerca sua cõmittit, patrisq; thorum polluit? Item quòd Iosephum filium suum charissimum videt odio esse fratribus, audit illum à bestijs fuisse discerptum? Quid quòd Iudas, eius filius, discessione à fratribus facta, vxorem ducit Cananæam eiusq; filij Er & Onam à Deo percutiuntur? Deniq; quantos ei dolores attulit fames grauissima Mesopotamiæ, missio filiorum in Ægyptum, Beniamini retentio & quasi captiuitas, eius migratio cum tota familia in Aegyptum? Cùm igitur Iacobus tot tantisq; laborum, dolorum, molestiarum & ærumnarum procellis fuerit agitatus: non mirum est, illum similiter angelicis huiusmodi visionibus à Deo fuisse confirmatum, ne ijs succumberet.

Quòd si varios, tristes funestosq; hosce casus sanctissimi illius Patriarchæ cum ijs, quibus Deus suos in hoc mundo sæpè exercet, conferre lubet, magna reperietur in multis inter vtrosq; similitudo. Non minùs igitur vtiles & fructuosæ sunt cuiuis homini Christiano angelicæ illæ visiones & apparitiones, quàm olim Iacobo Patriarchæ fuerunt.

Huiusmodi fuit ἀγγελοφάνεια simul & θεοφάνεια, Angelorum simul & ipsius Dei apparitio siue visio, quæ extat Gen. 28. cap. doctrinæ & consolationis plenissima. Nam cùm sanctissimus ille Patriarcha Isaaci patris sui iussu ex Beerseba in Padan Aran, id est, Mesopotamiam proficisceretur ad ducendum vxorem ex domo atq; familia Labani, auunculi sui, quæ quidem profectio non caruit maximis & plurimis molestijs atq; periculis, in loco quodam, vbi pernoctauerat, non in lectulo quodam molli & delicato, sed humi recubans, nec puluinari molli, sed lapide præduro, hypocephalei loco, vsus est. Ibi somno, præ lassitudine nimirum, correptus somniauit se videre scalam è terra ad cœlos vsq; pertingentem, per quam ascendebant & de-

Apparitio angelica de scala, quam Iacob Patriarcha vidit in Luza Gen. 28.

ſcendebant Angeli. In eius capite ſtabat Iehouah Iacobum his verbis alloquens: Ego Iehoua Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaaci, terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo: eritq́ ſemen tuum, ſicut puluis terræ. Multiplicaberis enim ab Oriente ad Occidentem & ad Aquilonē & ad Meridiem, & benedicentur in te omnes familię terræ & in ſemine tuo. Et ecce ego tecum & ſeruabo te, quocunq́ perrexeris, & reducam te ad terram iſtam: quia non deſeram te, donec ſeruo, quod locutus ſum tibi. Iacob autem è ſomno experrectus dixit: Verè Iehoua eſt in loco iſto: Ego verò non noueram. Timore præterea perculſus dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte? Verè eſt domus Dei & porta cœli. Poſtremò ſurgens ſummo mane lapidem illum, in quo caput ſuum repoſuerat, erexit in monumentum, eiuſq́ ſummitatem oleo perfudit, locum illum Luza antiquitus dictum Bethel, id eſt, domum Dei appellauit: deniq́ Deo votum fecit.

Quemadmodū igitur Iacob in itinere illo ſuo in Meſopotamiā Syriæ metropolim, vxoris ducendæ gratia, difficili, longo & miraculoſo, quo in grauiſsimas moleſtias, ærumnas, ſeruitutem diuturnam, in multa mortis pericula incidit, mirifica hac cœli, terræ, ſcalæ, Angelorum aſcendentiū & deſcendentiū, ipſius deniq́ Iehouæ viſione ſiue ſomnio oraculiq́ diuini auditione & perceptione mirificè fuit ſine dubio confirmatus & recreatus: Ita quiuis Chriſtianus, in quibuſuis vijs, & expeditionibus ſuis arduis & periculoſis, in tota deniq́ vita ſua, quæ quaſi peregrinatio & via quædā eſt per Mundi huius deſertum ærumnoſa ad æternā & cæleſtē illam Meſopotamiam, eiuſdem viſionis ſiue ſomnij meditatione mirificā voluptatē & conſolationē capit.

Scalam enim illam multa ante ſecula à ſanctiſsimo illo Patriarcha viſam, ſibi in magnis præſertim negotijs ante mentis ſuæ oculos ad conſolationē, ad ſpei fideiq́ ſuæ confirmationē proponet: tanquam picturā ſiue imaginē diuinæ prouidentiæ clariſsimā. Deſcriptio ſcalæ. *Scala igitur illa, quā Philo* ἀεροχλίμακα *eleganter vocat, & Auguſt. definit eſſe pa-*

rium

rium dispariumq́; rerũ suã cuiq́; tributã dispositionẽ, & alij rationem, qua Deus vtitur in rebus ad fines suos dirigendis, hæc, inquam, ei est quasi scala & gradus ad contemplandũ immensam, infinitã, admirabilem et inexplicabilẽ illã prouidentiã diuinã, qua cœlũ atq́; terra, Angeli & homines, id est, cũcta, siue supera, siue infera, cœlestia, terrestria, visibilia & inuisibilia corpora reguntur & diriguntur ad suos fines, quos ipse optimè nouit. Cunctarũ enim rerum ordo, gradus, series, atq́; cõnexio non meliùs, aptiùs & cõmodiùs, quàm scalæ, quæ suis constat gradibus, imagine posset exprimi. Sic Homerus, si licet sacra miscere prophanis, hũc prouidentiæ diuinæ ordinẽ, hanc rerũ cunctarũ seriem & connexionẽ, quã Iehoua regit & moderatur, catenæ, quæ in Iouis manu sit posita, similitudine adumbrauit & expreßit. Hanc itẽ Ethnici, vt & ipsum Deum, Fatum, Græcè εἱμαρμένην, & neceßitatem, Græcè ἀνάγκην dixêre, de qua sic Seneca piè certè sciteq́; verba fecit: Quoties voles, *inquit*, tibi licet aliter hunc auctorẽ rerum & creaturarũ cõpellare. Et Iouem illũ optimũ ac maximũ ritè dices & Tonantem & Statorem: qui non, vt Historici tradiderunt, ex eo, quod post votum susceptũ acies Romanorum stitit, sed quòd stant eius beneficio omnia stator stabilitorq́; est. Hunc eundem & fatum si dixeris non mentieris. Nam cùm fatũ nihil aliud sit, quàm series implexa causarum; ille est prima omnium causa, ex qua cętera pendent. Lib. de benef. cap. 7.

Nõ absimilis quoq́; huic descriptioni & picturæ scalæ est illa visio Ezechielis: vbi rotarũ, animaliũ & Iehouæ super throno sedẽtis mentio fit expressa & Prophetæ videtis. Rotæ sunt cœlestes orbes, animalia sunt Angeli, à quib. illi mouẽtur, & p suos circuit' cõtorquentur, in throno sedet Iehoua Rex atq́; Rector omniũ sapientiß. et omnipotens.

Ita igitur in hac scala homo Christianus mentis suæ acie videt ac intuetur primùm ipsum Iehouam, Deum Opt. Max. scalæ isti innitentem & incumbentem, hoc est, cunctas res cœlestes, & terrestres, corporeas & incorporeas, visibiles & inuisibiles optimè sapiẽtißimeq́; sustinentẽ & conseruantẽ, regentẽ ac moderantem, tanquam causam primam, & causam causarum secundarum. Intuetur deinde cœlum

& terram, tanquam duos terminos extremos, à quo & ad quem, ex quibus duabus partibus vniuersus hic mundus est conflatus: Vnde ille ab Aristotele egregiè definitur σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. Et aliter: ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη, qui Mundus, quæ cæli terræq; compago, & rerum omnium, quæ cæli terræq; complexu continentur, admirabilis connexio, catena & quasi chorea à summo illo præsultore & choragogo ducitur, regitur & gubernatur. Vnde idem Arist. in libello de Mundo, ὅπερ, inquit, ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. In eandem sententiam inquit Philo: Res humanæ propter alternam rerũ vicißitudinem scalæ comparantur: in qua supremum obtinet locum ἀρχάγγελος κύριος. Nam vt currui auriga, naui gubernator: ita cunctis creaturis, vniuerso Mundo præest Deus.

Quinetiam videt oculis mentis suæ Angelos cœlestes illos spiritus, ceu nuntios & ministros, ascendentes & descendentes aßiduè, alatos, id est, valdè alacres, agiles, promtos, procliueis ad orbes cœlestes mouendos & impellendos, ad mandata & voluntatem diuinam in cælo & in terra efficiendam, ad preces & vota nostra in cælum deferendum, ad nos homines mortales consolandos, tuendos ac defendendos, & ex quibusuis malis & periculis eripiendos & liberandos. Hi Angeli inter Deum & hominem, inter cælum & terram sunt intermedij, quia mediæ sunt inter duo hæc extrema naturæ: sunt item Dei hominumq; interpretes, quorum ministerio & famulatu Deus cùm ad cæli & terræ, regnorum & monarchiarum, tùm ad singularum etiam vilißimarum & abiectißimarum creaturarum commodum, bonum, atq; salutem vtitur. Vnde Philo Angelorum gradus faciens & differentias, lib. περὶ ὀνείρων, eos purißimos Dei πανηγεμόνος, tanquam magni Regis oculos vocat atq; aures omnia videntes & audientes.

Videt postremò Iacobum hominem mortalem, & defessum infra

scalam humi iacentem & dormientem : & idcirco cogitat, homines mortales, humi repentes, à Deo esse creatos, & in illorum gratiam cælum, terram Angelos & cunctas creaturas à Deo pendere, regi, gubernari, custodiri, & protegi scalâ diuinæ prouidentiæ; hominibus interim humi reptantibus, dormientibus & oscitantibus.

Præterea in insomnij huius angelici, seu ἀγγελοφανείας καὶ θεοφανείας consideratione mentẽ animumq́; suũ eriget & extollet ad contemplationẽ οἰκονομίας nostræ mysticæ ac salutiferæ. Videt enim mentis suæ oculis cœlũ & terrã, Deum & hominẽ, tanquam duo extrema: videt scalam mediam inter illa, quæ cælum & terram, Deum in cœlis sedentẽ, tanquã in suo throno regali, ac regnantem, & hominem terrigenam atq; terricolam, humi iacentem & dormientem connectit & copulat. Videt Angelos per scalam hanc ascendentes in cælum ad Deum, & descendentes in terram ad homines.

Mysteria scalæ, quæ.

Proh Deum quàm præclara & salutifera hic panduntur mysteria? En cõpendium, synopsis, speculũ vniuersæ œconomiæ & redemptionis vel etiam prædestinationis nostræ salutiferæ? Scalam igitur hanc homo Christianus cogitans, Christum & eius crucem, siue Christum crucifixum animo & cogitatione sua versat, voluit atq; reuoluit: qui quidem seipsum in Euangelio & viam, & veritatem, & vitam, & ostium siue ianuam cœli & Ecclesiæ suæ vocat. Hac scala, id est, Christo & eius cruce, sublato omni scandalo, & offensione, odio, inimicitia, homo mortalis, terrenus, caducus & impurus cum Deo immortali, incorruptibili, cœlesti, purissimo & mundissimo cælum cum terra, cœlestia cum terrestribus, supera cum inferis, diuina cum humanis rursus fuerunt arctissimè coniuncta. Pax, concordia, coniunctio, per hunc Christum crucifixum inter Deum & hominem fuit redintegrata. Vnde Dei hominumq́; μεσίτης, id est, mediator meritò appellatur. Per hanc scalam solam, id est, per Christum, eius crucem, mortẽ, passionem, resurrectionem, ascensionẽ in cælos, homini è terra aditus rursus & ascensus in cælum, qui peccatis fuerat interclusus, patefactus fuit, atq; patet. Per hunc & propter hunc Angeli, qui antea nobis me-

vitò fuerunt infensi, descendunt ad nos in terras, & cœlestia illa bona nobis deferunt, & à nobis ascendunt ad Deum in cœlum, nostra familiaritate & consuetudine vtuntur, Deo nobisq; ministrant, nobis fauent, nos amant, qui quidem Christi & incarnationis & natiuitatis, & mortis & resurrectionis & ascensionis in cœlum & deniq; reditus ad vltimum & generale illud iudicium fuerunt testes, præcones atq; nuntij: Vnde verè Christus ad Nathanaelem: Videbis, *inquit*, cœlum apertum, & Angelos descendentes & ascendentes super filiū hominis: *in quæ verba S. Aug. li. 12. cōtra Faust.* Ipsum, *inquit*, & scalam dicimus, quia ipse dixit: Ego sum via, *&c.*

Huius scalæ, id est, Christi, in quo prædestinati sumus, gradus sunt Electio, Vocatio, Iustificatio & Glorificatio. Ad cuius quidem mysterij ἀνεξερευνήτου καὶ ἀνεξιχνιάστου, hoc est, abstrusi et reconditi contemplationem & cognitionem hæc ipsa scala, quæ eius est symbolum, est quasi scala appositissima. Huius autem gradus duo extremi sunt Electio ab æterno & glorificatio in æternum: intermedij sunt vocatio & iustificatio, iuxta illa Pauli verba Rom. 8. ὅτι οὓς προέγνω, &c.

Hi aūt gradus insunt huic scalæ, id est, ipsi Christo, tanquā subiecto & fundamento suo. Nam in Christo solo crucifixo, Dei filio vnigenito, vero Deo & homine, in agno, inquam, illo puro puto, sancto & immaculato, occiso ab origine Mundi Iacob (reiecto & repudiato Esau) hoc est, totus Electorū chorus suâ naturâ à Deo, à cœlo, remotissimus infra scalā positus, in terra, imò quasi in inferno, hac gratia indignissimus à Deo pro infinita & indebita gratia ad æternā vitā electus, præscitus, præordinatus tandē suo tempore à Deo definito & vocatur & iustificatur, & deniq; ad cœlestē & æternā illam gloriam euehitur.

Rabbini quid per scalam intelligant.

Scala ergo hæc diuinæ prouidentiæ, prædestinationis & totius redemtionis nostræ est quasi schola & magistra. Hinc Rabbi Abrahamus F. Esdræ, probatissimus inter Iudæos, hunc diuinæ historiæ locū exponens ingenuè fatetur, se non posse omniū, quæ in hac visione continentur, causas rationesq; explicare: cùm eximium & singulare quoddā, atq; adeò imperscrutabile in eo lateat mysteriū. Philo hanc

lo hanc scalã interpretatus alicubi per eam aërem intelligit, cuius basis quidẽ est terra, caput aũt cælum: alicubi τὴν ψυχὴν intelligit, id est, animam, cuius basis est σωματοειδὴ, tanquam γεώδης ἡ αἴσθησις, caput aũt tanquã res cælestis, ὁ καθαρώτατος νοῦς. Per vtrunque aũt οἱ τοῦ θεοῦ ἄγγελοι ascendunt & descendunt, modò animã cum Deo coniungentes, modò descendentes illam subleuandi gratia. Iudæi quoq;, quando solennẽ peragunt ac celebrant synaxin, quã vocant עירובין Herubin, id est, Confœderationẽ, siue Fideiussionem diuinæ huius reuelationis memoriã reuocant. Tres etenim crustas tenues faciunt, aut duas domesticatim collectas, & alteram in duas partes diuidunt, repræsentantes elementorum אבן Æben, id est, Lapidis numerum ternarium. Hunc panem autem collocant medium inter supremum & infimum aphikoman, vel aphikimon ἀπομεσ...μένον, vt Græci Gen. 49. Siloh reddiderunt, eoq; religiose loco agni paschalis vtuntur & vescuntur.

Cæterũ Rabbi Nehemias, antiquus synagogæ doctor, mysteriũ hoc θεοφανείας sic explicat: Iacob tres lapides accepit loco ceruicalis supponens capiti & Deum inuocauit, Si Deus vnit nomen suũ super me, in nomine, quod vniuit super meos patres, fiant tres lapides vniuersi vnus lapis. Vbi surrexit & inuenit eos in vnum coaluisse. Quo typo intelligunt principiũ vniuersorũ, videlicet אב Ab, patrem, בן Ben, Filiũ, & רוח Ruach, siue רוחא Rucha, Spiritũ sanctum: quod mysteriũ est Trinitatis adorandæ, ab alijs etiã nonnullis Rabbinis agnitũ. Nicol. Lyranus in Cõment. ad Gen. secundũ Hebræos tres lapides facit, qui vniti sint in signũ, quod Deus cum illo vniretur eum associando. Melius Trinitas significatur, aut tres naturæ in Christo, Corporis, Animæ, Deitatis in vnitate personæ. Scala etiam significat gradus generationum, per quas Christus descendit ab Abraham vsq; ad Mariam virginem, vt refert Musæus. Duo latera sunt iusti & peccatores, ex quibus descendit iuxta carnẽ, & pro vtrisq; passus est. Dominus innixus scalæ est, quòd Deitas vnita fuit carni à patribus descendenti in Christo. Cũ hominibus cõuenit secundũm humanitatẽ absq; peccato per Deitatem cũ Patre. Per Angelos

descendentes intelligitur, quod mysterium incarnationis de volunta te Dei fuit hominibus reuelatum, primò Patriarchis, & postea Prophetis clariùs, & tertiò ministris noui testamenti clarissimè. Per Angelos ascendentes fides & deuotio sanctorum in quolibet statu, est præsentata per Angelos. Hæc Lyranus.

Porrò, vt in historia instituta pergamus, Iacob experrectus, locum hunc Luza *prius dictum, &* Bethel, *id est* domum Dei, & Portam cœli, *ob Dei nimirum Angelorumq́; præsentiam, vocauit, in quo & lapidem, quo ceruicalis loco dormiens vsus fuerat, tanquam* μνημόσυνον *erexit, oleoq́; perfudit, & vota atq́; preces fecit. Sic quilibet Christianus primùm quidem Ecclesiam credit catholicam, sanctorum communionem: in qua Deus præsens est sua gratia ac maiestate, in qua præsentes sunt Angeli Dei nuntij atq́; legati, qui mittuntur ad piorum consolationem, custodiam atq́; auxiliũ: in qua præsens est Christus* θεάνθρωπος, *siue Immanuel suo spiritu, suaq́; maiestate, in qua Dei prouidentia, prædestinatio, redemptio per Christum facta, Christus ipse & eius mysteria salutifera prædicantur: in qua vota & preces ad Deum solùm per Christum vnicum mediatorem funduntur, in qua Deus monumentis sacris, hoc est, cùm corde inprimis puro, tùm sacramentis legitimis secundũ verbi diuini formulam colitur. Hanc credit esse domum Dei viuentis, hanc credit esse portam cœli, firmamentum veritatis, ædificatam super Christum, tanquam petram, aduersus quam portæ inferorum nõ possunt præualere. Deinde credit in Christum, ipsum Ecclesiæ caput, quem credit esse filium Dei viuentis, in quo habitat Dei plenitudo corporaliter, vt Paulus loquitur, esse cœli portam siue ianuam, per quam solam credentibus patet aditus in cœlum: esse deniq́; lapidem illum angularem, electum & pretiosum domus Dei, qui non oleo corporeo, sed oleo lætitiæ ac salutis, id est, spiritus sancti, est plenè cumulateq́; delibutus ac perfusus. Vnde etiam* Messias *Hebraicè, &* χριστὸς *Græcè est dictus, id est,* vnctus, *ac per cõsequens illũ solũ Ecclesiæ summũ Regem, Pontificẽ & Doctorem esse, cui Ecclesia tutò et securè innititur.*

Ecce

Ecce ergo quot & quantorum mysteriorum hæc angelica atq; diuina scala sit magistra?

Carolus, cognomento Magnus, huius quoq; diuinæ reuelationis historiam pertexit & explicat, in libello, quē scripsit contra Synodi Nicenæ, de adorandis imaginibus decreta. Quæ quoniam ad institutum nostrum facit, & ad historiæ huius explicationem, integram eam hîc interseremus. Sic igitur inquit: Non mediocris socordiæ est hoc etiam ad imaginum adorationem astruendam exemplū proferre, quod Iacob lapidem erexit in titulum, sicut Iohannes presbyter & legatus Orientalium protulisse, in eadem Synodo, quæ pro adorandis imaginibus agitata est, legitur: quoniam ille lapis non alicuius præteritæ rei imago vel similitudo fuisse creditur. Qui si ob alicuius præteritæ rei memoriam ab eiusdem rei similitudine expressus, & à sancto Patriarcha ad adorandum fuisset erectus, quoddam fortaßis illis ferre posset adminiculū, qui tanti erroris subire non formidauere periculū, sed dum aliud sit quædam per patriarcham fieri ad præfigurationem futurorū, aliud à pictore pingi quædam ob memoriam præteritorum gestorum: aliud sit spiritu sancto esse repletum: aliud pictoria arte imbutum: aliud iste gerat cœlesti munere fretus: aliud ille operandi vsu expertus: aliud sit Iacob in titulū erigere lapidē: aliud quendā pictorē in pariete statuere imaginem: aliud secundum typicam figuram desuper oleum fundere: aliud secundum vaniloquam assertionem adorare iubere: inutile & vltra quàm inutile est hoc ad astruendam aliquam rem in exemplum proponere, quod ab illa re omnium argumentationum diuerticulis videtur distare. Num quid nam Iacob illum lapidem vt adoretur erexit: aut alicuius rei in eo imaginem depinxit? Nam dum imagines penè nullum officium aliud, nisi mentibus per sui intuitum memoriam inferendi habeant, lapis, qui à Patriarcha erectus, tria insignia & summo honore digna creditur officia habuisse. Primum, quod ceruicem Israeliticā fulcierit, & puluillis carenti Patriarchæ puluilli vicem præstiterit, & eius capite fuerit oneratus, qui non solùm scalam à terra vsq; ad cœlum pertingentē, et Angelos per

Quomodo apparitionem hanc de scala intelligat Carolus M.

eam ascendentes & descendentes, sed etiam Dominum bona sibi pollicentem cernebat. Secundum, quod in insigne & titulum, quo sanctus Patriarcha illius sancti loci reminisceretur erectus est, quo rediens prolis & coniugum affectu exhilaratus & magna rerum opulentia ditatus, sua Domino vota, qui hæc sibi cuncta concesserat, redderet. Tertium, quod typum gerebat nostri Mediatoris, qui factus est in caput anguli, & est mirabilis in oculis nostris, qui vnctus est à patre oleo lætitiæ præ consortibus suis: quem & Daniel lapidem abscissum vocat de monte sine manibus præcidentium, absque coitu & humano videlicet semine ex vtero virginali genitum. Quem & Dauid petram nuncupat dicens: Dominus petra mea & robur meum & saluator meus: de quo etiam in Esaia Propheta scribitur: Ecce pono in fundamentis Sion lapidem summum, angularem, probatum, electum, pretiosum & qui crediderit in eum non confundetur. Qui idcirco angularis dicitur, eò quòd duo parietes ex aduerso venientes, ex circumcisione videlicet & præputio, vel etiam duo testamenta in se summo, probato & pretioso lapide coniungit, & in vno sanctæ Ecclesiæ cœtu, cuius ille caput est, connectit. De quo & per Prophetam Zachariam paterna voce dicitur: Ecce ego adducam filium meum Orientem: quia lapis, quem dedi coram Iesu septem in eo oculi sunt. In quibus septem oculis septiformis gratiæ spiritus, qui à patre filioque procedit, euidenter ostenditur: & per Esaiam Prophetam: Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris Domini nominatur. De quo etiam angulari lapide petra Ecclesiæ ait: Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum & post pauca: Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes. Hic factus est in caput anguli & lapis offensionis & petra scandali his qui offendunt

verbo

verbo nec credunt, in quo & positi sunt. Quo documento monstratur, illum & honorem fortitudinis credentibus & scandalum duritiæ incredulis esse. Quod etiam per iustum Simeonem hoc sensu prædictum est. Ait enim, Positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel: in ruinam scilicet incredulorum; in resurrectionem verò credentium: qui etiam ignis nuncupatur: siue quod in se credentes æterni luminis fulgore perlustrat, siue quod incredulos æterni ignis ardore torrebit. De vnctione verò huius lapidis & paulò superiùs Dauid oraculis prolatum est & nunc præfati pastoris Ecclesiæ testimonio proferendum est, qui ait, Iesum Nazarenum, quem vnxit Deus Spiritu Sancto & virtute. Quia ergo Spiritus Sanctus plerunque in diuinis scripturis olei nomine innuitur, Iohannes Apostolus testis est, qui dicit: sicut vnctio eius docet nos de omnibus. Cuius si inenarrabilis nectaris vnctione delibuti sunt ob imaginum adorationem stabiliendam, synodos agitare & scripturas sanctas ad extraneos sensus vsurpare nequaquam debent. Atque hactenus ille.

§.

Venio nunc ad alias apparitiones seu visiones angelicas Iacobi Patriarchæ. Eundem enim, cùm à socero & auunculo suo plurimis afficeretur iniurijs & contumelijs, Deus per Angelum suum consolatus est his verbis: Ecce vidi, quæcunque Labanus fecit tibi: deinde illum monuit, vt ex ingrati, iniqui & iniusti sui soceri domo in patriam suam reuerteretur. Eodem profectò modo Deus suos quouis tempore, quando insignibus cùm ab externis, tùm intestinis hostibus atque adeò à propinquis suis, iniurijs afficiuntur, consolatur & erigit, illorumque fugæ, exilij & errorum dux atque comes est fidelissimus.

Apparitio angelica, quam vidit Iacob à socero suo oppugnatus, Gen. 29.

Præterea cùm Labanus ira inflammatus atque furens Iacobum generum suum fugientem 7. dierum spatio magna contentione atque celeritate fuisset insecutus, illius nimirum vel interimendi, vel certè spoliandi & in pristinum ergastulum ac seruitutem vi reducendi gratia,

rursus Deus in insomnio per Angelum Labani animum cohibuit atque repreßit: ne quid illi inferret noxa atq; damni. Sic quando homines pij ex aula, seu potius caula huius mundi & ex peccatorum seruitute, singulari Dei ope atque beneficio, euaserunt, homines improbi eos quidem grauißimè persequuntur, & quouis modo, siue per vim, siue per insidias, multasq; blanditias & illecebras ad pristinam illam impietatis, improbitatisq; seruitutem reuocare atq; retrahere conantur: sed tamen nefarios hosce conatus, vt istius Labani, Deus irridet, hoc est, irritos facit. Postquam verò Iacobus à Labano socero, inito cum illo fœdere & amicitia discessit, & iter suum est persecutus: ecce nouum incurrit periculum, quod ei ab Esau fratre germano suo impendet: atq; ita labor ex labore nectitur, periculum vnum excipit aliud. Angeli itaq;, quos Rabbinorum nonnulli Mesopotamiæ & Chananææ regionis Angelos fuisse autumant, Iacobo de sua & familiæ sua salute propter Esaui fratris sui cum 400. viris occursum anxio vehementer atq; sollicito occurrunt & apparent, eius corroborandi & erigendi gratia: ne spem salutis abijciat. Hos Iacobus conspicatus, cùm sciret sibi à Deo missos, vt viæ suæ duces & custodes contra fratris sui ferociam: Castra, inquit, Dei sunt hæc: Vnde etiam locum, vbi ei apparuerunt, Machanaim, id est, Castra appellauit.

Hinc apparet, hosce Angelos militum & exercitus specie atque forma Iacobo apparuisse, quasi qui pro illo aduersus Esauum & eius copias pugnaturi essent: vt postea Eliæ & eius puero equitum & quadrigarum forma apparuerunt.

Similiter Deus veros & spirituales suos Iacobos, id est, numinis sui cultores in varijs persecutionibus, casibus atq; periculis, belli præsertim temporibus plurimis aliquando exercitibus iustis cinctos vndique & obsessos, ita vt nulla euadendi spes eis videatur esse reliqua, cœlestibus illis suis castris & exercitibus protegit & confirmat, & ex innumerabilium Esauitarum, id est, hostium crudelißimorum & potentißimorum manibus eripit. Item quemadmodum Deus, ceu verus flexaminus, Esauum & quadringentos illos viros,

qui

qui hostili aduersus Iacobum eiusq́ familiam animo venerant, cumq́ opprimere atq́ excindere conabantur, placauit, & Iacobo ex inimicis amicissimos reddidit. Ita Deus plurimos grauissimos & acerbissimos suorum hostes, qui illis pestem atque perniciem machinantur, sæpenumero demulcet, & lenit, eosq́ illis adeò amicos & beneuolos reddit, vt, sicut eos interimere quouis modo conentur: ita postea pro illis pugnare, & vitam, sanguinem, omnesq́ suas fortunas pro illorum salute profundere paratissimi sint.

5.

Præ cæteris autem apparitionibus & visionibus angelicis insignis inprimis & nobilis est illa Angeli cum Iacobo luctatio per totam noctem, ad auroram vsque: in qua Patriarcha victor euasit: vt tamen neruo femoris eius læso atq́ luxato postea claudicarit.

Apparitio Angelica, quam vidit Iacob à fratre suo oppugnatus, in qua luctatus est cum Angelo. Gen. 32.

Illa verò his verbis Gen. 32. cap. describitur: Et ecce vir luctabatur cum eo (Iacobo) vsque mane. Qui cùm videret, quòd eum superare nō posset, tetigit neruum femoris eius & statim emarcuit. Dixitq́ ad eum: Dimitte me. Iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo, quod nomen est tibi? Respondit Iacob. At ille: Nequaquam appellabitur Iacob nomē tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Interrogauit eum Iacob, Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitq́ Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.

6.

Hinc constat primùm omnium, luctam esse rem antiquissimam. Vnde nonnulli illam πάλη Græcè, ἀπὸ τοῦ πάλαι, quod vetustatem significat (à quo fortassis vox Latina Olim, *nisi à* עלם Olam *Hebræo malis) denominatam esse volunt. Fuit etiam hoc certaminis genus apud Veteres communi consuetudine tritum & vsitatum. Vnde ineruditi ac inurbani vulgo* ἀπάλαιστροι *fuerunt dicti.*

Lucta res antiquissima.

Luctæ alij Anteũ & Cercionem, teste Platone 7. de Legib. alij Theseum Athenienſium principem, alij Porbantem Theſei pædotribam auctorem & inuentorem faciunt.

Lucta hæc res maximi momenti.

Hæc porrò luctatio Iacobi Patriarchæ cum Angelo & victoria, quam inde reportauit, diligenter valdè & accuratè à Moyſe, tanquam res grauis & memoratu digna deſcripta eſt, tantiq́ ab Angelo fuit æſtimata, vt propter eam nouum & quidem honorificũ & auguſtum Iacobo colluctatori ſuo atque victori nomen impoſuerit. Eadem hiſtoria aliquot pòſt ſeculis ab Hoſea Propheta in publica concione fuit recitata, tanquam res, quæ ad magnam Patriarchæ laudem ſpectet, & ad imitandum Iſraelitis propoſita : deniq́ue ad Eccleſiæ vtilitatem & ſalutem perpetuis literarum monumentis conſecrata. Vnde patet hanc luctationem angelicam ſiue ἀγγελανδρικὴν rem eſſe non leuem, ſed maximi momenti atq́ ponderis: & idcirco dignam, quam diligenter aßiduèq́ animis noſtris perpendamus. Non enim exiſtimandum eſt, corporalem tantùm hanc fuiſſe luctationem, ſed etiam ſpiritualem, qua ſanctiſſimus ille Patriarcha fidei ac ſpiritus ſancti viribus atq́ lacertis contra ſpirituales & internas tentationes ſtrenuè decertauit: ita vt externa & corporea iſta luctatio internæ & ſpiritualis ſignum fuerit atq́ ſymbolum. Nam vt Moyſes narrat, Iacob audito Eſau fratris ſui ſibi infenſiſſimi aduentu atq́ occurſu ſibi totiq́ ſuæ familiæ vehementer timuit, ne ſcilicet interficeretur, ſemenq́ ſuum contra diuina promiſſa penitus deleretur: & idcirco ardenter Deum precatus eſt, vt ſe totamq́ ſuam familiam à fraterna vi, & ab exitio interituq́ vindicare atq́ tueri dignaretur. Tunc de repente vir quidam magno impetu eũ adortus eſt, acerrimeq́ cum eo luctatus. Quemadmodum autem externè primùm Iacobus cum viro illo corporis viribus, ſic deinde etiam internè cũ metu hoc atq́ diffidentia de promißionibus diuinis, ceu hoſtibus ſpiritualibus, ſancti ſpiritus viribus atq́ neruis, fide nimirũ & oratione, ſtrenuè luctatus fuit. Omnino igitur hæc luctatio exemplum & typus quidam illuſtris fuit omniũ tentationũ, quibus omnes alij Iſraelitæ ſecundũ ſpiritum

luctatio spiritualis.

exerciti fuerunt omnibus temporibus & exercentur adhuc quotidie. Nam vt luctatio illa, sicut dixi, fuit partim externa & in carne (cùm Angelus ille viri forma Iacobum sit aggressus, corporale eius femur tetigerit, illud corporaliter eneruarit, corporaliter & visibiliter ille claudus ex illa lucta euaserit & permanserit) partim interna & in spiritu: ita duo sunt omninò tentationum genera. Quædam enim sunt externæ, aliæ internæ, quædam in carne, quædam in spiritu, nec verò externis tantùm, sed etiam in internis diuexamur.

Cui igitur dubium; quin luctæ huius θεανδρικῆς Angelicæ & humanæ historia quibusuis Christianis, quorum vita quasi luctus est atque lucta perpetua cum pluribus tentationibus, afflictionibus, hostibus & periculis: ex quibus tamen diuinâ virtute atque clementia eluctantur tandem & emergunt, mirum in modum animum addat, eorum spem atque fidem corroboret & augeat, vt intelligant, nullâ se neque spirituali & inuisibili Dæmonum, neque corporali & visibili hominum & aliarum creaturarum impediri posse; quò minùs diuinæ gratiæ atque promissionum fiant participes.

Operæpretium igitur in huiusce luctationis historia, quæ sanè optima & saluberrima religionis, vitæ morumque documenta atque solatia solidissima continet, aliquantò diutiùs immorari: in qua hæc videntur esse consideranda.

1. Luctator. 2. Luctationis modus. 3. Victoria, quam Iacob à lucta reportauit. 4. Virtus, qua Iacob suo Antagonistæ præualuit, victorque euasit. 5. Luxatio seu vulnus, quod Iacob ex lucta à suo Antagonista accepit. 6. Iacobi constantia in postulanda seu flagitanda ab Antagonista suo benedictione. 7. Nominis Israel impositio. 8. Ipsa benedictio, quam ab eodem Antagonista Iacob accepit.

Ex singulis his prolixè consideratis & expensis quiuis Christianus plurimum & doctrinæ & consolationis haurire potest. Quod ad primum attinet, notum satis superque est in omni lucta binos ad minimum esse, qui secum inuicem luctantur. (nam sine aduersario, *vt inquit*

Cicero, nulla est luctatio) qui à Græcis παλαιστὰι & ἀντίπαλοι, Latinis Luctatores & obluctatores dicuntur. Hi autem fuerunt in ista luctatione Iacobus Patriarcha & eius ἀντίπαλος, qui à Mose איש Isch, Vir appellatur, & ab Hosea Propheta אלהים Elohim, & יהוה Iehoua, & מלאך Maleak, id est, Angelus. Vnde constat, illum neq; fuisse hominem, neq; Angelum aliquem creatum, siue bonum, siue malum, sed verum & æternum Deum, siue Dei filium: cui nomina ista duntaxat verè & propriè tribuuntur: præsertim nomen יהוה Iehoua, quod Deo soli tribuitur propter diuinam naturam, qua Patri & Spiritui S. est æqualis. אלהים Elohim verò (quo nomine etiam Angeli creati & magistratus aliquando insigniuntur) cùm ad personarum in diuinitate Trinitatē, tùm ad diuinam eius virtutem, dominium, iustitiam exprimendam. איש Isch, Vir, deniq; qui viri speciem præ se tulit, eiusq; specie Iacobo apparuit, cumq; eo humano more luctatus est. Sub eadem viri forma alijs quoq; Patribus ante incarnationem solitus fuit apparere, quo quasi præludio, vt optimè Tertullianus, Irenæus, Iustinus & alij Patres docuerunt, significare voluit, se solum tandem aliquando plenitudine temporis carnem ὑποστατικῶς assumturum, & inter homines familiarissimè versaturum esse. Maleak verò siue מלאך hoc est, Angelus appellatur, non nimirum essentia, sed officio: quod nomen quando Deo tribuitur, neq; primæ, neq; tertiæ, sed secundæ tantum personæ conuenit. Filius igitur Dei etiam ante incarnationem מלאך Maleak, id est, Angelus fuit appellatus (quod nomen est internuncij & mediatoris) quia etiam antequam homo fieret, mediator fuit inter Deum & homines & mediatoris officio functus est. Vnde Paulus: Vnus, inquit, mediator Dei & hominum homo Christus. Hic mediator ϑεάνθρωπος vnius quidem est ὀυσίας seu essentiæ cum Patre & Spiritu S. secundum Deitatem & cum hominibus secundum humanitatem. Quoniam autem mediatorem alium esse oportet ab ijs, inter quos est mediator, cùm nemo poßit esse mediator inter seipsum, sed inter alios à se diuersos: idcirco vnicus hic Dei hominumq;

minumq́; mediator, etsi vnius est & cum Patre & Spiritu sancto, secundum Deitatem, & cum hominibus secundum humanitatem, natura atq́; essentiæ: tamen & in diuinis, quâ Deus, alius & diuersus est à Deo Patre, à quo missus est, & cuius est apud homines internuntius, ὑποστάσει, seu προσώπῳ, id est, persona, siue quatenus filius est & λόγος: & in humanis, siue quâ homo, à reliquis hominibus diuersus est: tali tamen persona: in qua scilicet diuina & humana natura ὑποστατικῶς vnitæ & coniunctæ sunt: siue quatenus alius est ab illis homo non tantùm numero, sed etiam qualitate, quatenus nimirum conceptus est de Spiritu sancto, natus ex virgine, expers peccati, filius Dei, plenus gratia & veritate. Etsi igitur mediator est non tantùm, quâ homo (quoniam mediator fuit, cùm non esset homo) sed etiam, quâ Deus: tamen Mediator est & ex parte Dei, non quâ simpliciter Deus (hoc enim modo mediator esset inter seipsum & inter homines) sed quâ talis est, vt ita dicam, Deus, seu, vt saniùs loquar, quâ talis est persona in diuinis, hoc est, quia Filius est & λόγος: ex parte verò hominum mediator est, non simpliciter, quâ homo est, & vna natura cum alijs hominibus (hoc enim modo mediator esset inter seipsum & Deum) sed mediator est, quâ talis est homo, conceptus scilicet ex Spiritu sancto, &c. Et hæc de personis siue de colluctatoribus dicta sint satis.

Huius luctæ ἐπιστάτης, id est, præfectus & magister fuit Iehoua. Finxerunt Poetæ suis fabulis, Herculem præter alia certamina, quæ certauit, in Olympijs cum ipso Ioue colluctatum fuisse. Vnde Hercules, teste Hesychio, Palæmon dictus fuit. Hæc fabula videtur promanâsse ab hac vera historia, qua Iacobus, ceu verus Hercules, verè καρτερόχειρ & καλλίνικος cũ vero Iehoua colluctatus esse traditur. Præfectus & magister luctæ.

Quantum ad secundum caput, hoc est, luctationem ipsam eiusque modum attinet: ea fuit duplex, nempe partim corporalis & externa, partim spiritualis, siue interna, vt suprà quoq́; attigi.

Quod ad luctationem corpoream; illam quadruplici modo antiquitùs factam fuisse tradunt antiquitatum periti. Aliâs super pauimen- 2. Luctatio eiusq́; modus.

tum (quod genus à Plut. Pancratiũ, seu volutatoriũ fuit nũcupatũ) aliâs erecto corpore, & vtrũq; quidẽ motu vel vehemẽti vel remisso.

Fuit autem hæc ferè huius luctationis forma, quòd luctatores bini vncti oleo & puluere aspersi sese brachijs cõplicantes inuicemq; concertantes alter alterum deijcere humi contendebant: Vnde lucta communi nomine πάλη, *quandoq; etiã* καταβλητικὴ, *id est*, Deiectoria *à Laconibus fuit nuncupata, quæ vehementer & erecto corpore peragebatur: cuiusmodi hæc videtur fuisse. Vnde Rabbini illud* ויאבק Et luctatus est, *sic interpretantur:* עצם איש אל מעתי לחפיל ארצה Voluit vir socium suum humi deijcere. *Idcirco etiam Luctam nonnulli volunt Græcè* πάλλειν *dictam esse* ἀπὸ τοῦ παλῆναι, *quod apud Poetas significat*, Deijcere, Proijcere, Spargere, *siue* ἀπὸ τοῦ πάλλειν καὶ πάλλεσθαι, *id est*, à terra vel manibus eleuare, *quæ omnia à Luctatoribus intenduntur. Alij* ἀπὸ τοῦ παλεύειν, *quod est* dolo & insidijs deijcere, *quòd omnium exercitationum artificiosissima sit & astutissima. Alij* ἀπὸ τοῦ παλαιστῆ, *id est*, coniunctis simulq; cõnexis 4. digitis, *quòd hac manuũ parte luctatores præcipuè operabantur, vt Pugillatoria à pugnis. Alij* ἀπὸ τοῦ πλησιάζειν καὶ γίνεσθαι πέλας, *id est*, Appropinquare & vicinos fieri, *quod soli luctatores sibi inuicẽ appropinquarent. Vox Heb.* נאבק Næbak, *id est*, Luctatus, *siue* colluctatus, *seu* pulueri zatus, *est ab* אבק, *quod* arenã *&* puluerẽ *significat, qui vento excitatus vehementer intorquetur ac dissipatur. Volũt nõnulli metaphorã ductã esse à* vento, *qui in torquendo se aliquẽ euertit ac dispellit, ad luctatores, qui similiter alter alterũ student vi deijcere & euertere. Vel etiã vox Hebræa luctationem significans ab* arena *siue* puluere *ducta est (cui respõdet phrasis Latina* in arenã *siue* puluerẽ cũ aliquo descendere*) siue quod colluctando luctatores puluerẽ excitarint, siue quòd veteres cõsueuerint post adhibitã vnctionẽ se arena aspergere, vt luctando se inuicẽ capere possent ante luctã. Nonnulli* πάλην *volunt Græcè dictã, quòd luti, pulueris & ceromatis indigeret. Sed de luctatione corporea eiusq; modo, fine & vsu, qui plura vult legere atq; cognoscere, is Iusti Lipsij, quẽ iure antiquitatũ cornucopiæ dixeris, hac de re scriptos libros legat: itemq; aureos Hieron. Mercurialis de ar-*

te gymnastica libros, quem quidem verè Mercurialem siue Mercurium optimarum artium nostræ ætatis appellare possumus.

Fuit autem ista luctatio externa symbolum, typus atq; figura omnium certaminũ atq; tentationũ externarũ & internarũ, qua Israelitæ secundum spiritum in hoc seculo luctatione luctuosissima perpetuò premuntur & affligũtur. Vnde Paulus ad Eph. 6. ἐνδύσασθε inquit, τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. ὅτι οὐκ ἔστιν ὑμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα, καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. διὰ τοῦτο ἀναλάβετε, &c.

Ad hoc certamen autem benè feliciterq; certandum opus nobis est vnctione, siue oleo spirituali, id est, sancti spiritus robore ac virtute & aspersione pulueris, id est, humilitate & patientia.

§. Causa efficiens luctationum.

Porrò cùm vir ille siue Angelus fuerit Iehoua, Dei filius, qui viri specie Iacobũ est adortus: cumq; luctatio illa fuerit typus, vt dixi, omnium tentationum, quibus Israelitæ spirituales diuexantur: inde constat, etsi verum est, nos à Satana, à mundo, & à carne tentari; Deum tamen primum in tentationibus nostris locum obtinere: quoniam & Satã & Mundus & Caro Dei sunt ministri, qui ad nos tentandos subinde à Deo excitantur & mittuntur: sicut & in Iobi tentatione apparet, qui quidem & à Satana & ab hominibus grauissimè tentatus & afflictus: Deum tamen primum tentationis huius auctorem fuisse confessus est, cùm dixisset Deus dedit, Deus abstulit. His monemur, vt, quando tentamur, mentis nostræ oculos ad Deum tollamus, vt sciamus, cum illo nobis esse negotium, & ideo nobis luctandum esse, non tantùm cum carne & sanguine, sed in primis cum Deo ipso, nos viri & aduersarij specie aggrediente, hoc est, per Carnem, Sanguinẽ, Mundũ & Satanã nos tentante. Inprimis verò finis luctationũ, id est, tentationũ nobis est cõsiderandus. Luctationis quidẽ corporeæ secundũ Medicos et Philosophos triplex est finis, nempe Victoria, Exercitatio ad bella, Sanitas & boni habitus corporis adquisitio.

Iehoua igitur Dei filius, Angelus ille magni consilij, viri & quidem hostis seu aduersarij speciem præ se ferens, Iacobum est aggressus, non vt illum perderet, sed vt vires illius fidemq́ examinaret, exploraret & corroboraret: nec vt illum vinceret, sed potius vt ab illo vinceretur. Vnde discimus, finem grauißimarum quarumq́ tentationum & afflictionum, quibus Deus Iacobæos siue Israëlitas suos spirituales, hoc est, electos & fideles hostis infestißimi specie aggressus est omni tempore, & aggreditur adhuc quotidie, non esse vt illos perdat, sed tantùm vt in lucta exerceantur, viresq́ fidei illorum & animi sanitas augeantur & corroborentur. Longè ergo alius Deo, alius Satanæ in tentationibus finis est propositus. Satanas enim nos tentat ad malum, vt nos perdat, sed Deus neminem tentat ad malum, neq́ ad perniciem, sed ad salutem, sicut & Abrahamum, & Iobum, & alios

i. sanctos tentauit & adhuc tentat. Hinc autem constat, si Deus tentat non ad malum, vt Iacobus ait, sed ad bonum, neq́ ad perniciem, sed ad salutem, prauas cupiditates, quibus subinde vexamur, non immitti aut instillari nobis à Deo, sed illas, nobis ingenitas à natura, partim sua sponte prodire foras, partim à diabolo, in hunc finem, vt peccemus & pereamus, excitari. Deus ergo etsi nos tentat, nullo tamen modo auctor est peccati: quia ad malum neminem tentat: & idem Iacobus loquitur ἀπείρασος ἐςι κακῶν:: id est, non potest

5. tentari malis, nec quenquam tentat, nullasq́ prauas cupiditates hominibus infundit.

Tempus, quando luctatus sit Iacob, & cuius rei symbolum.

Vt autem Deus in Iacobum solum ac solitarium, ac proinde omni auxilio humano destitutum: & quidem nocturno tempore, impetũ fecit, illumq́ est aggressus: ita sæpißimè Deus Iacobæos siue Israëlitas suos spirituales solos ab omnibus desertos et derelictos alienißimo tempore omni malorum genere aggreditur & affligit, non illos, vt dixi, perdendi, sed potius seruandi, patientiæ, spei atq́ fidei illorum probandæ simul & augendæ corroborandæq́ gratia, & vt tantò meliùs et faciliùs postea diuinam gratiam, misericordiam & amorem infelici & salutari huiusmodi luctationum tentationumq́ exitu atq́ euentu experiantur.

periantur. Et hæc de ipsa lucta eiusq; modo.

Tertium luctationis huius admirandæ caput cōsiderationis dignissimum est Victoria, quam Iacobus in hac luctatione potitus est. Hæc autem omnium ferè certaminum, luctationum, bellorum ac duellorum solet esse finis. Insignem autem hanc victoriam (vnde postea insigne nomen est sortitus) Hoseas Propheta trifariam his verbis exprimit. Primùm, cùm ait: Dominatus est Deo. Postea, cùm repetit: Principatum obtinuit cum Angelo. & tertiò addit: Præualuit. Trina igitur hac repetitione non superuacaneâ, sed emphatica docet, Iacobum miraculoso & supernaturali quodam modo in hac lucta euasisse superiorem, victorem & triumphatorem egregium: & idcirco iure Israëlem fuisse nominatum, vt, qui Deo præualuerit, Deo sit quasi dominatus. 3. Victoria.

Hac victoria, qua Deus Iacobum sibi suoq; semini ab Esau fratre natu maiore valdè metuentem & trepidantem confirmare voluit, sigillum fuit, quo promissio illa, Maior seruiet minori, fuit stabilita. Promissio autem illa non ad personam tantùm Iacobi, sed ad totum eius semen, atq; inprimis ad Christum, verum Israëlis semen pertinebat: Vnde efficitur, hanc Iacobi victoriam, nōn tàm ad ipsius personam, quàm ad totum eius semen, præsertim ad Christum pertinuisse.

Trium autem rerum symbolum fuit: Primùm quidem, ipsum Iacobum, qui in lucta præualuit Deo, præualiturum etiam esse hominibus, nimirum non solùm Esau maiori natu & omnibus illis equitibus circiter quadringentis, qui tunc temporis cum illo fuerunt, sed etiam in suo semine ipsi semini Esau, id est, Idumæis, illosq;, vt impleretur diuina illa promissio, Maior seruiet minori, subiugaturum, & in seruitutem suam redacturum esse. Cuius rei symbolum hæc victoria.

2. Deinde symbolum fuit, Christum, qui ex semine Israelis erat nasciturus, Christum, inquam, in grauissima illa luctatione, quæ ei in cruce, pro salute totius Israelis subeunda erat cū Deo, id est, cum ira, cum iudicio, cum iustitia & seueritate Dei, cum morte, cum peccato, cum

Mundo, cum Satana, cum inferno, quæ Dei potestati sunt subiecta, fore victorem, effecturumq́, vt iuxta promissionem illam, Maior seruiet minori, omnes principatus & potestates ei, in conspectu Mundi omnium minimo, vilissimo & abiectissimo subijcerentur ac seruirent, omne deniq́ genu cælestium, terrestrium & infernorum ei flecteretur.

3. Postremò symbolum fuit, omnes reliquos veros, non secundum carnem tantùm, sed secundum spiritũ Israelitas in omnibus suis cum Deo luctationibus, id est, in omnibus suis tentationibus, etsi diu acriterq́ illis sit luctandum: tamen tandem aliquando, virtute veri Israelis, id est, Christi, fide in Christum, quæ est nostra victoria, fore superiores: omnesq́ tandem inimicos, vt Mundum, Satanam, mortem eis esse subijciendos, vt in illis quoq́ impleatur illa ipsa promissio diuina: Maior seruiet minori. Ac proinde Propheta commemoratione huiusce victoriæ Iacobi docet, proprium esse cuiusuis veri & genuini Israelis, id est, electi & fidelis adeò strenuè in omni luctatione, id est, tentatione se gerere & ita fortiter pugnare: vt tandem diuina virtute atq́ ope fiat superior ac triumphator.

Triplicis victoriæ signum. Ergo, vt paucis repetam, hæc Iacobi victoria triplicis victoriæ fuit signum, nempe & Iacobi eiusq́ posterorum de Esau & eius semine seu posteris, & Christi veri Israelis, ex Israele secundum carnem procreati, de Deo, de peccato, morte, Satana, inferno: & deniq́ Israelitarum secundum spiritum ac fidem, id est, fidelium de hostibus suis visibilibus & inuisibilibus virtute Dei.

Christus autem vicit Deum, id est, eius iustitiam & seueritatem expiando peccata, Deum nobis ex irato placatum & propitium reddidit. Nos similiter fide, quæ est nostra victoria, precibus ex fide promanantibus Deum vincimus quodammodo & expugnamus. Deus non inuitus, sed lubens hoc modo vult à nobis vinci.

4. Virtus. Quartum caput in nobilissima ista luctatione animaduersione dignissimum, est Virtus, qua Iacobus in illa Angelo fuit superior.

Ad luctam corpoream & victoriam in illa obtinendam requiruntur vires corporis & animi secundum illa Ciceronis: Alij velocitate ad cursum, alij viribus ad luctandum valent. *Nos verò non nostris, sed Dei viribus ac virtute in quibusuis luctationibus, id est, tentationibus, possumus superiores euadere, vt ijs non succumbamus. Vnctiones olim & pulueris aspersiones adhiberi sunt solitæ ad strenuè luctandum & vincendum: at verò vnctio spiritualis, id est, spiritus sanctus, fides, humilitas, patientia nos idoneos reddunt ad strenuè pugnandum in omni tentatione, & ad victoriam consequendum.*

Quantum autem ad hanc virtutem attinet, qua Iacob in illa lucta vicit ac superior fuit, Moyses quidem ait, Angelum vidisse, quòd non posset præualere: Hoseas autem in eiusdem historiæ narratione ait, Iacobum sua virtute præualuisse Deo. Cùm verò lucta hæc fuerit & corporalis & spiritualis, vt antea dictum est, & in vtraque Iacob fuerit superior, idque virtute sua, inde colligimus, virtutem hanc, qua strenuè is pugnauit, non tantùm corporalem, sed inprimis spiritualem fuisse. Lucta autem spiritualis, vt nihil de corporali dicamus, fuit contra metum & diffidentiam de promißione diuina ac nimio fratris metu subortam. Contra metum autem pugnatur animi fortitudine, & contra diffidentiam fide. Virtus igitur spiritualis, qua luctatus est Iacobus fuit fides animique fortitudo ac constantia in diuina promißione de se suoque semine seruando, firmiter retinenda. Vnde etiam hoc colligimus, hanc propriam esse omnis veri & germani Israëlis virtutem, qua Mundum, Satanam, carnem, & omnes Mundi, Satanæ & carnis tentationes superare ac vincere valet, firmam scilicet & constantem in promißione diuina fidem, vt Iohannes ait: Hæc est victoria, quæ vincit Mundum, fides nostra: *hac contrà qui sunt destituti, vel, qui eius infirmitate laborant, ij tentationibus facilè succumbunt.*

4. Quomodo comparata fuerit.

Hæc verò virtus, qua Iacobus in lucta vicit, etsi propriè Dei fuit, quia à Deo: tamen cùm Hoseas disertè dicat: Iacobum in

5. Quomodo hæc Iacobi

fuisse dicatur, atque ita omnium fidelium.

sua virtute vicisse, docet fidem & virtutem illam ideò Iacobi fuisse, quia à Deo ei gratuitò donata fuerat. Vnde in genere colligimus: quoniam quæ nobis donantur, ea ferè nostra sunt: idcircò fidem & quasuis alias virtutes, quibus à Deo donamur, & nostras, & non nostras, sed Dei esse & dici. Nostras quidem: quia in nobis sunt, à Deo nobis donatæ: non nostras autem: quia non ex nobis, neque naturâ nobis sunt innatæ, sed ex Deo, id est, ex mera & gratuita Dei gratia promanant. Et quoniam hæc virtus, qua Iacob superior in hac lucta cum Deo euasit, magis Dei erat, quàm Iacobi: idcircò Deus magis & veriùs seipsum in Iacobo vicisse dicendus est, quàm Iacobus Deum. Hinc in genere efficitur: quando nos in quibusuis tentationibus Dei virtute, id est, fide, quæ Dei donum est, superiores euadimus, non esse, quòd in nobis gloriemur, cùm non nos propriè, sed Deus in nobis sit victor, secundum illa Pauli: Non ego autem, sed Dei gratia, quæ mecum est.

Præterea, vt Deus in hac lucta cum Iacobo, partim vt hostis, cum eo pugnauit, partim vt pater clementissimus cum gratia sua adiuuit, vt victor euaderet: ita in quibusuis luctationibus, id est, tentationibus Deus sinistra quidem quasi manu, id est, hostili specie atque modo, suos oppugnat, illorum fidei exercendæ & probandæ gratia, dextra verò sua manu rursus eosdem quasi contra seipsum iuuat, iisque vincendi facultatem impertit, sine qua illis, in istis tentationibus esset succumbendum.

Postremò quòd Hoseas quidem ait; Iacobum sua virtute vicisse (quæ fuit fides in promissiones diuinas, quæ ei à Deo fuit donata) Moyses aũt ait: Angelum vidisse, se non potuisse præualere: inde colligimus, Deum ita esse alligatum suis promissionibus, ita in illis conseruandis esse constantem, vt, quando fidem, atque adeò scintillã fidei, quæ ipsius est donum, adferimus, fieri non possit, quin ea, quæ petimus & precamur secundum fidem nostram & promissiones diuinas certissimè obtineamus, ipso quasi Deo manus dante, ac nobis cedente, qui seipsum abnegare non potest, sed sibi in omni æternitate semper constat, sui semper est simillimus.

Sequitur

Sequitur quintum luctationis huius Angelicæ membrum, quod non minùs, quàm priora documenta atq; solatia saluberrima complectitur & ideò non minùs, quàm priora accuratè diligenterq; sunt consideranda. Illud autem est vulnus, quod Iacob accepit, & quæ inde fuit consecuta, claudicatio. Angelus enim dicitur tetigisse neruum femoris, qui statim emarcuit. Is neruus est, vbi coxa femori per vertebram iungitur, & כף Caph, id est, Manus dicitur, quòd planitiem & latitudinem quandam illa pars habet: sicut concauitas manus seu volæ. Item vertebra: vt agile sit corpus & se vertat totum & circumagatur in ea. Hanc igitur partem vitiat Angelus vt infirmetur: sed ne sic quidem cadit Iacob, sed Angelum constringit arctius magna vi atq; contentione. Vnde lucta sæpenumero vtriq; & victori & victo, vt omne certamen atq; pugna, est luctuosa & damnosa: quæ hanc ob causam sine dubio videtur dicta esse Lucta vel à Luctu, quem parit, vel à Luo, quod in huiusmodi conatu atq; contentione membra soluuntur: vel à luxatione ossium & membrorum, cuius periculum, vt etiam suffocationis, in lucta imminet. Non rarò enim luctantibus ex summa cõtentione ossa aliqua franguntur aut luxantur, id est, de loco suo mouentur. Eius exemplum in luctatione hac antiquissima habemus: Est etiam hîc obseruatione dignum, Luctatores studuisse pedes in primis comprehendere, quod Pseudolus ille ebrius apud Plautum significat de vino: Luctator, inquit, dolosus est, captat primum pedes. Hæc verò Iacobi luxatio, quæ ei in hac luctatione accidit, multarum nos rerum & mysteriorum admonet.

5. Vulnus & claudicatio

5 Lucta vnde dicatur.

6. Cuius rei symbolum luxatio.

Nam primò quòd Iacobus, quamuis in luctu superior & victor: ab Angelo tamen illo magni consilij vno solo tactu luxatur: inde facilè colligi potest, Angelum illum facillimè nulloq; negotio potuisse, si voluisset, Iacobum prosternere & ad nihilũ redigere: & idcirco non ideò victum à Iacobo fuisse, quòd ei resistere non potuerit: sed quia vinci, quàm vincere maluerit: imò quia in seipso vinci, in Iacobo verò vincere voluerit. Virtutem igitur, qua Iacob præualuit Angelo, Angeli magis, quàm Iacobi fuisse, & Victoriam, quam Iacobus ex lu-

cta reportauit Angelo potius, quàm Iacobo ascribendam fuisse. Hinc verò generalem doctrinam elicimus, nempe Israelitas secundum spiritum etsi in lucta cum Deo, id est, in tentationibus suis luctuosis sæpe superiores euadunt: nunquam tamen ita superiores fieri, quin vulnus aliquod, si non in spiritu, saltem in femore, id est, in carne recipiant. Vnde etiam patesit, cùm è lucta tentationum eluctamur, & victoriam reportamus; non id nostris viribus sed Dei in nobis & pro nobis pugnantis voluntate & virtute fieri: quoniam si vel ad momentum temporis nos auxilio suo destitutos, nostro tantùm Marte nostrisque viribus pugnare sinat, mox non luxaremur solùm, sed etiam fracti penitus & abiecti periremus.

Deinde, quòd Angelus Iacobum in hac lucta reddidit quidem victorem, quod ei animum & fiduciam addere potuit: eundem tamen suo contactu vulnerauit & luxauit: id quod ad deprimendam nimiam confidentiam & ad timorem ei iniiciendum pertinuit, eo ipso indicauit, se voluisse Iacobum & Dei in se vincentis virtutem & sui in carne luxati infirmitatem agnoscere: vt hoc pacto disceret, sibi & fiduciam de Dei contra Esau omnesq; suos hostes protectione sumendam & omnium vanam sui suarumq; virium confidentiam, si quam fortasse sumserat, sibi deponendam esse.

Hinc verò in genere discimus atq; monemur, Deum in lucta cum Iacobæis suis secundum spiritum ita illis sua virtute adesse, vt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον reddat eos quidem superiores & victores: eosdem tamen sæpenumero ita ad tempus in tentationibus suis deserere, vt illæsi inuulneratique non discedant. Hoc autem exemplo monere vult atque docere, nobis & nunquam de Dei contra quosuis hostes protectione esse diffidendum & nullam vnquam in nostris & quibusuis humanis viribus salutis fiduciam esse collocandam.

Præterea obseruatione dignum est, quòd Angeli propositum in hac lucta fuit, vt Iacobus, qui metu fratris Esau perculsus & consternatus fuerat, erigeretur, spemque conciperet, fore, vt qui Deo

praua-

prævaluisset, prævaleret etiam hominibus nimirum Esau fratri eiusque quadringentis comitibus. Luxatio autem ista tantùm abest, vt Iacobum potuerit robustiorem in carne reddere, vt illum potius infirmiorem reddiderit, tantumq; abest, vt ei victoriæ spem contra fratrem afferre potuerit, vt ei potius maiorem desperationem attulerit. Angelus igitur Iacobum luxando indicare voluit, hanc suam luxationem eò pertinere, vt Iacobus, quò magis se infirmum & eneruatum in carne videbat, eò fortior fieret in spiritu, & quò minùs videbat de suo robore posse contra Esau prævalere, eò magis in Dei protectione acquiesceret atq; confideret: atq; ita quò magis de suis viribus desperabat, eò magis spes eius in auxilio Dei augeretur.

Hæc ipsa igitur luxatio Iacobi in carne plurimùm ad spem victoriæ contra Esau in Deo collocandam atque firmandam profuit. Hinc igitur discimus ab hypothesi rursus ad thesin progrediendo, omnes Israelitarum spiritualium atque fidelium luxationes seu infirmitates à Deo ordinatas esse, vt quotidie magis ac magis de nobis nostrisq; viribus desperemus, & quò magis de nostris viribus desperamus, eò magis omnem nostræ salutis & victoriæ contra hostes nostros spem in Deo, in Angelo illo magni consilij, id est, in Christo ponamus & defigamus, quoque infirmiores simus in carne, eò fortiores fiamus in Spiritu, Pauli exemplo de se dicentis: Cùm infirmior, tùm fortior sum. Omnes igitur infirmitates plurimùm electis atque fidelibus prosunt ad salutem: quia quò magis per eas debilitatur spes inanis & damnosa, quæ in humanis viribus reponitur, eò magis erigitur & corroboratur spes salutis, quæ in sola Dei gratia est ponenda.

§.

Adhaec obseruatione dignum est, quod Iacob non luxatus est in vna manu, aut in vno digito, sed in femore, atq; ita luxatus, vt ab eo tempore semper claudicarit. Ex femore autem Iacobi luxati nascituri erant omnes Israelitæ. Angelus igitur luxando Iacobi femur mysticè indicauit, futurum, vt sicut Israelitarum pater claudicauerat in carne, ita ipsi eius liberi ac posteri claudicarent in reli

Cur in femore luxatus Iacobus

ligione: quam claudicationem Ismelitarum illis exprobrauit Elias his verbis. 3. Reg. 18. Quousque tandem claudicabitis in duas partes? Si Dominus est Deus, ipsum sequimini. Si in Baal; illum sectamini. *Carnalis igitur haec luxatio & claudicatio spiritualis, luxationis & claudicationis Israelitarum typus fuit.*

4 Iacobus in suo corpore typus Ecclesiae.

Neque verò luxatum fuit vtrunque latus Iacobi, sed vnum tantùm: ita vt non vtroque pede, sed vno tantùm claudicaret. Duo autem pedes in corpore Patriarchae Iacobi, quorum alter rectus, alter claudus erat, typi fuerunt duplicis, qui ex ipso oriturus erat, Ismelis, quorum vnus fuit sinister, atque claudus, id est, secundum carnem tantùm seu reprobus, alter dexter & rectus, id est, non tantùm secundum carnem, sed etiam secundum spiritum, siue electus.

Quemadmodum igitur vnus & idem Iacobus, cui pes vnus erat dexter, alter sinister, vnus rectus, alter claudus, vtriusque populi, electi scilicet & reprobi in suo semine imaginem gessit, dextro quidem electi, sinistro verò reprobi; ita suâ non vtriusque sed vnius tantùm pedis luxatione & claudicatione typicè praemonstrauit, fore, vt non omnes Israelitae, sed tantùm reprobi spiritualiter, id est, in relligione claudicarent, & in ea claudicatione & prauaricatione pertinaciter obstinateque permanerent.

5 Cur vnum tantùm femur luxatum.

Postremò Iacobus in suo corpore typus fuit totius Ecclesiae Dei, quae ex eius femore nascitura erat. Ecclesia autem Dei, quae fuit in Ismel vna atque eadem fuit cum illa, quae futura erat post verum Israelem, id est, Christum incarnatum ex Israelitis secundum carnem & ex Israelitis secundum spiritum colligenda. Quemadmodum igitur sua vnius pedis claudicatione mysticè indicauit, fore, vt in suo corpore pes sinister, id est, reprobi claudicarent: ita ex eo, dùm claudicauit, praesignificauit, futurum, vt in Ecclesia Christi ad finem vsque saeculi alij semper, id est, reprobi claudicent, alij verò, id est, electi recto pede incedant.

claudicatio ... denotat reprobos

His adde,

His adde, quod in vno & eodem Iacobo erat caro & spiritus, siue duo pedes, alter rectus, alter claudus, alter sanus, alter infirmus, & quò magis Iacobi caro in illa lucta fuit infirmata, eò magis spiritus femori fuit redditus. In Iacobo igitur, ceu in speculo cernere nobis licet cuiusuis hominis imaginem. Caro nostra pes est claudus, spiritus rectus, caro est infirma, spiritus autem est promptus & alacer: spiritu seruimus legi Dei, carne autem legi peccati. In luctatione, id est, tentationibus, quibus Deus nobiscum quodammodo luctatur, spiritus quidem per solam Dei gratiam, non autem per vim liberi arbitrij praeualet & fit fortior, at verè caro interim luxatur & fit imbecillior. Perpetua igitur hac sua claudicatione praemonstrauit Iacob pios & fideles, quàm diu sunt in hoc seculo semper aliquo modo claudicaturos: quoniam carne semper terram versus deflectunt & inclinant, spiritu verò coelum versus eriguntur & incedunt. — Idē typus omnium hominum.

Rabbini Hebraeorum luxationis huius tres causas afferunt. Prima est, quòd Deus ita punire voluerit eius infidelitatem & diffidentiam, quae Iacobū adegerit ad timorem tanto Patriarchâ indignum. Secunda, quòd id mereretur eius matrimonium cum duabus vxoribus. Tertia, quòd mystica hac luxatione & claudicatione portenderit in posterum illius posteros, qui in femore eius latitabant, ab Idumaeis Esau grauiter esse affligendos, quod ipsi nunc (vt dicunt) sub imperio Romanorum experiantur. — Causae luxati femoris in Iacobo apud Rab. tres.

Sextum membrum in hac luctatione consideratione dignissimum est Iacobi Patriarchae, quamuis luxati, laesi ac vulnerati singularis in Angelo illo tenacissimè retinendo, & benedictione ab ipso flagitanda constantia. Angelo enim à Iacobo dimissionem petente, & quidem magna cum contentione atq; etiam cum lachrymis, vt Hoseas Propheta narrat, Iacobus illum arctissimè complexus dimittere noluit, donec benedictionem, quam vehementer petebat, ab eo impetrauit. Nam luctantes manibus siue brachijs se inuicem adeò tenaciter comprehendere atq; complecti consueuerunt, vt non facilè diuelli rursus à se inuicem possint. Primùm autem omnium, quod Iacob petijt à — 6 Constantia Iacobi in retinendo Angelo, eiusdemq; documēta.

ſuo Antagoniſta benedictionem (cùm non maior à minore, ſed ſemper minor à maiore benedicatur) inde colligi poteſt, Iacobũ hunc ſuum Antagoniſtam agnouiſſe non hominẽ aliquẽ, qualis ipſe erat, ſed hominem aliquẽ maiorẽ & ſuperiorẽ, nempe Deũ. Deinde quòd Iacobus Angelũ illum magni cõſilij, quantumuis hoſtis & aduerſarij ſpeciem præ ſe ferentem, à quo etiã grauiſsimè læſus ac vulneratus fuerat, arctiſsimè cõplexus eum, dimiſsionem licet à ſe petentẽ dimittere noluit, ſed tenaciſsime firmiſsimeq́ retinuit, donec voti ſui & benedictionis illius compos fieret, hoc ipſo docuit, quod nam ſit officium omnium verorum Iſraelitarum. Hi enim in quibuſuis ſuis luctationibus, id eſt, tentationibus cum Deo, Chriſtum, qui ſæpè hoſtis irati faciem illis oſtentat, eosq́ tàm in carne, quàm in ſpiritu grauiſsimè vulneratos, benedictione & fauore ſuo deſtitutos, videtur planè deſerere velle & ab illis diſcedere, fidei precationisq́ brachijs atq́ lacertis complexi firmiſsimè tenaciſsimeq́ retineant, donec benedictionem, id eſt, fauorem eius atq́ gratiã, quam petunt, obtineant, dicentes cum Iacobo Patriarcha: Non dimittam te, ô Domine, niſi benedixeris mihi *Sic Moyſes quoq́ in ardentiſsima illa ſua pro populo precatione, cùm Deus dixiſſet:* Dimitte me, *illum dimittere noluit (Fide enim & oratione Deus retinetur) donec voti ſui factus eſt compos.*

Quantum autem ad fletum & lachrymas illas Angeli, quarum Hoſeas meminit, attinet, quæ quidem non propriè, ſed ἀνθρωποπαθητικῶς illi tribuuntur, illæ videntur fuiſſe quaſi præludia quædã lachrymarum vberrimarum Chriſti, quas pro ſalute & benedictione generis humani erat profuſurus.

7. Benedictio.

Ac quantum ad ſeptimum huius luctæ membrum, hoc eſt, benedictionem *ipſam attinet, quam Iacobus ab Angelo illo, Antagoniſta ſuo, id eſt, Dei Filio petijt, quamq́ is præſtitit: notandum eſt, Iacobum hanc benedictionem à Deo, ceu præmium luctæ atq́ victoriæ ſuæ reportaſſe pro more etiam humano atq́ conſuetudine communi, quâ quibuſuis in certaminibus ſtrenuè pugnantes & victores præmijs meritò decorantur & cohoneſtantur.*

Benedicere

Benedicere cùm de hominibus dicitur est tùm animo, tùm verbis alicui benè precari: seu ea bona, quæ ipsi præstare non possunt, à Deo optare & petere, quod non vulgaris amicitiæ est signum. Benedicere vero cùm Deo tribuitur: quia Deus omnia potest, & benedicit non tantùm verbis, sed factis, est benefacere, seu ea bona, quæ homo cupit, quæq; ei sunt salutaria præstare: cuiusmodi sunt primò quidem Dei fauor & gratia: Deinde, reliqua Dei cùm spiritualia, tùm corporalia beneficia.

Hinc autem duo colligimus. Vnum, hoc esse proprium verorum Israelitarum officium, nimirum vt Iacobi exemplo, hac vna de re, de Dei scilicet benedictione solliciti eam præcipuè vnam studiose, ardenter constanterq; petant, petantq; tantisper, dùm eam cõsequantur. Alterum est, Deum tametsi non statim & è vestigio simul atq; benedictionem eius petimus, nos mox exaudit, petitioniq; nostræ facit satis: tamen facere non posse (suo enim verbo & promissionibus seipsum vltrò obligauit) quin tandem aliquando preces nostras, si in ijs perseueremus, clementer exaudiat, & nobis simul & Iacobo benedicat.

Deinde quòd Iacob benedictionem non accepit, nisi post confectam luctam & adeptam victoriam, duo inde colliguntur. Vnum, eos qui tentationibus succubuerint, nullam Dei benedictionem habituros. Alterum, eos etiam, qui strenuè pugnant, non prius perfectam Dei benedictionem consequuturos, quàm luctam confecerint, de illa victoriam reportarint, sicut Paulus inquit: Certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.

His quoq; addi poterunt luctationis corporeæ commoda: de quibus Medici & Philosophi multa tradunt. Luctationem enim corpoream volunt spiritum reddere validum & firmum, corpus solidum & musculosum, neruos confirmare, capiti prodesse, sensus acuere, stomachum frigidis præsertim humoribus laborantem adiuuare, hydropisin curare, satyriasin extinguere: quæ Mercurialis in eximio illo suo lib. artis gymnasticæ allegatis multis rationibus & auctoritatibus

Luctationis corporeę commoda quæ apud Medicos & Philosophos.

comprobat. Hæc omnia mysticè ad spirituales illas luctationes, id est, tentationes referri possunt, quibus animi piorum Dei gratiâ confirmantur, fides & spes corroborantur, patientia & aliæ virtutes confortantur & augentur, morbi & humores, id est, effectus praui atque vitia curantur & sanantur.

8. Nominis mutatio.

Octauum luctationis huius membrum est nominis mutatio. *Legimus in sacris & profanis literis, viros rebus præclarè laudabiliterque gestis, atque victorijs claros & illustres nomina augusta, ceu notas atque monumenta virtutum rerumque heroicarum, atque præmia sortitos esse. Nam inter alia victorum præmia sunt etiam nomina, quæ futuræ quoque gloriæ & felicitatis sunt quasi omina. Ita Iacobus quoque victor nomen honorificum & Augustum, ceu præmium rei gestæ atque victoriæ conuenientissimũ à Numine diuino accepit. Nam qui prius à supplantatione fratris Esau* יעקב Iahacob, *seu Iacobus fuit dictus: postea à secundo duello & victoria, quam de Angelo ille reportauit,* ישראל, Israel, *hoc est* Princeps diuinus, Dominus Dei, præualens Deo, *fuit appellatus, ab ipso nempe Angelo nomine hoc ei imposito, ratione illâ adiecta:* quia, *inquit,* Princeps fuisti, cùm Deo, cùm hominibus præualebis.

Hercules Palæmon cur dictus.

Hoc modo Hercules secundum Poëtarum fabulas propter luctam cum Ioue in Olympijs Palæmon fuit dictus. Hoc igitur nouo nomine atque notatione Iacobum animare voluit quasi argumentando à maiori ad minus: Si mea virtute ipso Deo superior es factus, noli dubitare, te & Esau & eius comitum & quorumuis hominum atque hostium tuorum, qui tuam salutem oppugnant, facilè fore victorem.

9. Locus luctationis.

Postremò silentio non est prætereunda cùm loci, *in quo hæc luctatio accidit, tùm etiam* temporis *notatio. Locus luctationis & aliarum huiusmodi exercitationum, Græcis Palæstra* ἀπὸ τ πάλης, *à Iacobo luctatore & victore vocatus fuit Penuel, addita ratione:* Quia vidi, *inquit,* Deum facie ad faciem, & euasit anima mea. *Locus hic typus est Ecclesiæ, in qua Deus præsens est sua gratia, eamque illic conspiciendam præbet Israelitis suis secundum spiritum per verbum &*

bum & Sacramenta, in qua duplex Dei facies & tanquam iudicis seuerissimi & tanquam patris indulgentissimi conspicitur & apparet: in qua multis tentationibus Deus cum suis quasi luctatur: in qua sola est euasio atq; salus.

Tempus.

Quantum ad tempus attinet, quemadmodum Iacobus cùm tota nocte luctatus est ad auroram vsq;, ita piorum luctationes, id est, tentationes per totum vitæ curriculum, quod meritò nocti comparatur, durant ad auroram vsq; hoc est, ad illud vsq; tempus, quo ex hac vita, tanquam ex tenebris in alteram vitam tanquam ad auroram auream lucemq; charissimam & serenissimam migrant. De hac luctatione disserit etiam Augustinus lib. de Ciu. Dei 18. qui Angelo hoc vult adumbratum fuisse Christum, qui pro dispensatione & œconomia nostræ redemtionis visus est ab Israële, qui eum crucifixerat, superari: qui tamen occumbens benedixit hostibus, efficacissimè pro eis orando: inde verò claudi sunt redditi: quoniam pars eorum in Christum credidit, pars credere noluerunt,

Vsus luctationis huius θεανδρικῆς.

Ex his omnibus constat, hanc omnium antiquissimam & admirabilem planè luctationem, quæ inter Iacobum Patriarcham & Angelum illum magni consilij, id est, filium Dei fuit commissa, plenam & refertam maximis mysterijs, plurimis præceptis, documentis atq; solatijs vtilissimis: & idcirco cuiuis Christiano frequenter diligenterq; esse considerandam: cùm in tota vita, quæ quasi perpetua quædam est luctatio cum carne: cum Mundo atq; Satana, tùm inprimis in extremo illo agone atq; lucta mortis ineluctabili. Tunc enim potissimùm luctationes luctuosissimæ & tentationes grauissimæ ingruunt: ita vt Deus ipse nobiscum luctari & nostræ saluti aduersari videatur: ex quibus tamen facilè & salui atq; victores euadere poterimus, si Iacobi exemplo ipsum Deum, ipsum Christum θεάνθρωπον, qui hostis sæpè speciem præ se fert, firma constantiâq; fide & oratione amplexi non dimiserimus: donec benedictionem, id est, salutem illam æternam consequamur. Tunc enim, vt de Iacobo scribitur, in cœlesti illo Penuel Sol iustitiæ nobis exorietur: tunc videbimus Deũ de facie ad faciem:

tunc anima nostra omnibus huius Mundi miserijs soluta & liberata, perfecta solidaq; salute ac benedictione fruetur: tunc claudi, abiecti, sinistro pede, id est, omnibus prauis affectibus sanati secundum Christi præceptum cœlum ingredientur: iuxta illa Iacobi: Beatus vir, qui perpetitur tentationes, qui cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

His addamus, quod Iacobus Patriarcha in benedictione Ephraim & Manasse precatur, vt Angelus Domini, per quē liberatus fuerat ab omni malo, prosperari eos faciat. in quibus verbis sine dubio liberationem hanc illustrissimā à fratre Esau & eius comitibus intelligit.

Verùm inter alia præcepta atq; documenta, quibus hæc luctatio refertissima est, vt dictū est, etiā hoc contra adorationē imaginū, quod Carolus M. in eodē lib. suo contra Synod. Græciæ affert, est consideratione dignissimū, cuius verba libet addere, quæ sic habent: Tanti, *inquit,* Patriarchæ cū Angelo luctatio nō quandā imaginum adorationē, sed dominica præfiguralle dicitur in eodē populo passionē: qui populus & ei luctando præualuit, quia præualuit: quia crucifixit: & ab eo benedictionē in his, qui in eū crediderūt, accepit: & in his claudus, qui in eū credere contemserunt, remansit, dicente B. August. Quòd ab illo Angelo desiderat benedici Iacob, cui luctando præualuit, magna est de Christo Prophetia. Nā eo ipso ammonet mysticū aliquid sapere: quia omnis homo à maiore vult benedici. Quomodo ergo ab eo iste benedici voluit, quē luctando superauit? Præualuit enim Iacob Christo, vel potiùs prę ualere visus est per eos Israhelitas, à quibus crucifixus est Christus: & ab eo tamē benedicitur in eis Israhelitis, qui crediderāt in Christū, ex quibus erat, qui dicebat, Nam & ego Israhelita sum & genere Abrahæ & tribu Beniamin. Vnus ergo atq; idē Iacob & claudus & benedictus. Claudus in latitudine femoris, tanquā in multitudine generis, de quibus dictum est, Et claudicauerunt à semitis suis: Benedictus autem in eis, de quibus dictum est, Reliquiæ per cle-

ctionem gratiæ saluæ factæ sunt.

Cui igitur dubiũ, quin quiuis Christianus quoq; hanc angelicã, imò diuinam simul & humanã luctationem animo suo crebrò secũ reputet ad se in quibusuis luctationibus, certaminibus, afflictionibus & discriminibus grauissimis consolandum & erigendum.

Porrò vt Abrahamo, Isaaco & Iacobo sanctissimis illis Patriarchis: ita Moysi quoq; ex illis oriundo, Israelitarum, qui ex iisdem fuerant proseminati, liberatori atq; duci cùm Angeli creati, tum Angelus ille magni consilij, id est, Dei filius visibili forma atq; specie apparuit. Huiusmodi fuit visio illa magna & admiranda, quæ Exod. 3. legitur: qua Moyses populi Israelitici ἄρχων καὶ λυτρωτής, vt Actor. 7. nominatur, hoc est, dux et liberator à Deo designatus, imò creatus & inauguratus fuit. Nam cum ille in monte Horeb (qui mons in orientali quidem latere Sina *à rubis & spinis, quibus abundauit: in occiduo autem* Horeb *ab ardore dictus,* mons Dei *appellatus, & propter altitudinem, & quia Deus ibi Moysi in rubo apparuit, & quia lex ibi lata & promulgata fuit, & quia Elias ad illum montem vocatus, omnibus diuinis oraculis instructus fuit. Vnde etiam* mons sanctus *dictus) oues Iethroni sacerdotis Madian soceri sui pauisset (Iacobi nimirũ exemplo, qui & ipse soceri sui gregẽ pauit) Angelus Iehouæ ei in flamma ignis è medio rubi apparuit, qui rubus igne ardebat: & tamen non consumebatur. Nec verò ei tantùm apparuit, sed etiam familiarissimè & prolixissimè cum illo erat collocutus, dedit ei mandata de populo suo educendo ex seruitute Ægypti, instruxit eum præceptis, fecit deniq; ei promissa. Siue ergo visum ipsum prodigiosum, siue Dei colloquium cum Moyse spectes, omnia plena reperies mysteriorum & documentorum præstantissimorum.*

Apparitiones angelicæ factæ Moysi in Rubo. Exod. 3

Mons Horeb vnde dictus.

Porrò Angelum hunc Iehouæ pleriq; Theologorum & veterum & recentiorum volunt fuisse filium Dei, qui ab Esaia Angelus magni consilij, à Malachia Angelus testamenti siue fœderis, à Zacharia princeps Angelorum appellatur. Aliquoties eum Iehoua appellatur, & Deut. 33: Iosepho Moyses optat benedictionem illius, quem in rubo vidit. Item non alius ille Angelus est, quàm qui populi dux fuit in

Angelus hic Iehouæ quis fuerit.

deserto. Christum autem hunc fuisse testatur Apostolus 1. Cor. 10. Ad hæc ea in toto hoc colloquio tribuuntur huic Angelo, quæ nulli creaturæ competunt: quandoquidem apertè sibi vindicat gloriam æternæ diuinitatis. Hinc constat, Angelum hunc non fuisse Angelum creatum, sed Filium Dei: de hoc Angelo inter alios Philo sic ait: E medio emicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, diuinum simulachrum, luce fulgens clarissima, vt suspicari posset Dei esse imaginem *Filius enim Dei, vt supra quoque dictum est, etiam ante incarnationem sese Patribus cùm in sua substantia, seu forma visibili & humana, non hypostaticè vnita, sed ad tempus assumta conspiciendum præbuit: quod incarnationis eius fuit quasi præludium.*

Explicatio allegorica rubi.

Rubus autem iste imago fuit illustris populi Israëlitici, cùm inter rubum & populum istum Iudaicum siue Israëliticum manifesta & aperta sit analogia & affinitas. Nam primùm vt rubus (cuius tria à Plinio lib. 16. cap. 37. ponuntur genera: Vnum: quod fert mora: alterum, quod rosas, cynosbatos dictos: tertium, quod Idæum vocat à Græciæ loco, *cui etiam addit lib. 16. cap. 21.* Rhamnum *à Græcis appellatum, quo scribit non candidiorem & fruticosiorem esse) frutex est humilis, vilis, contemtus & abiectus: ita vt non mereatur arbor dici: ita populus Israëliticus in Aegypto fuit contemtissimus & despicatissimus: adeò vt Aegyptiorum & aliarum nationum comparatione indignus populi nomine videretur. Deinde vt rubi virgulta atque fructus, id est, mora rubent: Vnde etiam rubus dictus est: ita populus Israëliticus ex Aegypto per rubrum mare & desertum in terram promissam introductus rubuit multo sanguine cùm suo, qui ab hostibus eius effusus fuit: tùm hostium sanguine, quem ipse effudit. Præterea vt rubus frutex atque virgultum est senticosum, spinosum, aculeatum, asperum, tangentium manus lædens (Vnde* סנה Senah, *à quo sentes, Hebræis, & βάτος Græcis est dictus, quasi ἄβατος rubus, hoc est, inac*cessus *propter spinas pungens, quibus horret) sic populus Israëli[tic]us multis spinis, sentibus ac vepribus aculeatis & pungentibus, id est,*

est, grauissimis afflictionibus obsitus & obrutus fuit. Et quemadmodum rubus illis suis spinis & aculeis se temerè tangentium manus lædit atq; pungit: ita populus iste Dei omnes eos qui manibus suis illum pungere, lædere ac violare studuerunt iusto Dei iudicio grauissimè læsit & afflixit. Item vt rubus propter spinas & sentes istas accedentibus est inuisus & odiosus: ita populus quoq; iste Aegyptijs & alijs gentibus fuit odiosissimus, & vt nos loquimur, Ein dorn in den augen, *id est, quasi spina in illorum oculis: ita vt illum tanquam spinam nocentem atq; pungentem ferro & flamma euellere, excindere atq; delere omni virium suarum contentione fuerint conati. Praeterea vt rubus in locis desertis & sterilibus ferè nascitur, ac plurimus prouenit: vt vel ex hoc rubo colligi potest: vnde pastores moris & alijs fructibus famem suã leuant: ita populus iste Israeliticus in Aegypto, tanquã in deserto auctus & amplificatus fuit. His adde, quòd in deserto illo Arabiæ vasto, sterili, squallido & horrido 40. annis oberrauit atq; vagatus est. Itẽ* rubi, *vt illis Plinianis verbis vtar, lib. 16. cap. 17.* Curuati gracilitate & simul proceritate nimia defigunt rursus in terram capita, iterumq; nascuntur ex sese, repleturi omnia, nisi resistat cultura, prorsus vt videri possint homines terræ causa geniti: ita pessima & execranda res propaginem tamen docuit atq; radicem acquiri viridem. *Hæc ille. Similiter populus Israeliticus, qui pessimus & execrandus populus fuit habitus, quò magis ab Aegyptijs & illorum Regibus siue potius tyrannis immanissimè fuit curuatus, afflictus & diuexatus omni iniuriarum genere: tantò magis suo capite, animo & mente non in terra, sed in cælo, in ipso Deo defixa: iterum singulari Dei gratia, teste sacra historia, ex sese natus, multiplicatus & propagatus fuit: ita vt totam Aegyptum repleuerit. Adhæc quemadmodum folia non decidunt in rubo & calami fruticibus, vt Plin. lib. eodem cap. 21. scribit: ita populus Iudaicus in illa ipsa seruitute Aegyptiaca, Regumq; illorum tyrannide non amisit, sed conseruauit Dei benignitatem & retinuit cùm salutis suæ præsidia, tùm honoris digni-*

catinq; sua ornamenta. Item non secus atq; rubi, spina, sentes, vepres, in ignem ferè conijci solent, & in ignem seu focũ coniecti crepitantibus flammis strepitum & stridorem edunt, qui aßidentes territat: sic vt etiam fauillas atq; scintillas & ignitas faculas in obuios quosque eiaculentur: ita populus iste spinæ instar abiectißimæ in ignito illo seruitutis Aegyptiaca foco seu camino stridores atq; crepitus, id est, gemitus atq; suspiria, fauillas ac faculas, id est, vota & preces ardentes edidit & ad Deum effudit: Vnde postea Aegyptijs terrori fuerunt atq; exitio.

Hoc igitur spectro prodigioso, ceu speculo clarißimo & nitidißimo Deus Moysi demonstrare voluit animi eius, contra omnia pericula, curam, solicitudinem motum confirmandi gratia, fore, vt, quemadmodum rubus iste accensus & ardens igni propter præsentiam Angeli, non fuit consumtus: cùm tamen frutex fuerit fragilis, quiq; facilè consumi potuisset: ita populus Israeliticus, suâ licet naturâ rubi & fruticeti instar, sint populus contemtus, fragilis, caducus, omnium iniurijs expositus, in medijs flammis & ignibus, id est, periculis & calamitatibus non consumatur, sed sartus, tectus, saluus & incolumis præsentißimâ Dei, seu Filij Dei gratia atq; ope conseruetur atq; permaneat.

6. Explicatio allegorica montis Horeb.

Huic autem mysterio ipse quoq; locus desertus, Mons Horeb, optimè conuenit. Hic enim mons fuit binomius: qui in Orientali quidem latere dictus fuit Sina à סנה Senæh, id est, rubo siue spina (Vnde & Spina Latinis ab Hebræo סנה Senæh siue sina interposito P. litera videtur denominata.) propterea quòd mons ille spinis atq; rubis abundaret: In occiduo autem latere, vt suprà attigi, dictus est Horeb ab ardore, qui Hebrais dicitur חרב Choræb, à חרב Charab, Arescere, & æstu confici: sicut hodie Pyrenæi montes etiam ab ardore siue igni fuerunt appellati. Mons ergo iste sic nominatus adprimè congruit isti spectro rubi ardentis, & simul legis diuinæ in illo monte latæ & promulgatæ est symbolum: quæ quasi spina est hominum conscientias pungens ac vellicans: & ignis

fidelium

fidelium quidem & credentium animos mentesque illuminans: incredulos autem & infideles consumens ac deuorans. Vnde etiam mons hic mons Dei, & mons sanctus fuit meritò appellatus: vt diximus antea.

5. Vsus Rubi & totius visi.

Porrò cùm rubus iste non solùm Israëlis secundum carnem, sed etiam Israelis secundum spiritum, id est, Ecclesiæ typus fuerit, dubium profectò non est, quin quiuis Christianus in lectione sacrarum literarum versatus vel parum & exercitatus quibusuis in calamitatibus atque periculis & publicis & priuatis hoc quoque visum, siue spectrum admirandum seu stupendum sibi ante mentis suæ oculos ad animi sui consolationem proponat.

Vt igitur Moyses multis antè seculis in illa eremo atque monte vidit Angelum in medio rubi illius ardentis, qui tamen non consumebatur: sic ipse videt oculo fidei Angelum illum magni consilij, id est, Christum, vnicum Dei Filium, rubi illius ardentis quidem, sed inconsumptibilis instar, perfectum factum hominem, sed peccato vacuum spinas nostræ malitiæ suscepisse, & ad passionem vsque pro nobis humiliari dignatum esse, & in semetipso ignem tribulationis nostræ suscipere. Is arsit & non arsit: quia ex humanitate mortuus est; & tamen immortalis ex diuinitate permansit. Suscepit à nobis carnem, vnde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis atque incommunicabilis permansit in proprijs, vt nos commutaret à nostris, *inquit Gregorius Hom. 7. in Ezech.*

Sic mysticè visum hoc non inconcinnè nonnulli Theologi interpretantur. Sed idem homo Christianus mentis suæ oculis videt Christum Dei Filium in hac eremo, id est, hoc Mundo semper præsentem, imò præsentissimum suo verbo, spiritu atque gratia, in medio popelli illius Israelitici secundum spiritū, id est, Ecclesiæ, quæ in hôc Mundo, tanquā in deserto crasso & horrido rubi instar spinosi & carentis plurimis spinis, ignibus atque flammis, id est, miserijs, afflictionibus atque periculis exposita et obnoxia vritur quidē ac pungitur ac dinexatur assi-

dut, sed Angelo hoc illam custodiente ac protegente, comburi, confici & consumi non potest. Sic etiam tribus illis socijs Danielis in ardenti camino adfuit, & ignem illum, qui ad illos miserrimè concremandos & absumendos comparatus erat, in refrigerium conuertit salutare atq; suaue. Vt igitur rubus iste in medijs flammis floruit, vt Salamandra quoq; in igne viuere dicitur: ita Ecclesia in medijs persecutionum flammis viuit, viget atq; floret.

Hic ipse verò Angelus magni consilij (vt ex Deut. 33. cap. & 1. Cor. 10, constat) fuit Moysis & Israëlitarum per inuium funestumq; illud desertum Arabiæ itineris dux atq; comes assiduus ac fidelissimus, cui quidem Dei propria nomina atq; elogia in sacris literis tribuuntur. Vnde illum non Angelum creatum, sed ipsum potius Dei filium fuisse Theologi nonnulli colligunt. Sic enim Exo. 23. scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, vt custodiat te in via, & introducat in locum, quem præparaui. Hæc verba etsi propriè & speciatim ad Angelum illum magni consilij referenda sunt: tamen in genere de angelica custodia possunt intelligi. Hic verò Angelus Israelitis per incultam vastamq; illam regionem, in qua nunquam fortasse hominis vestigiũ impressum fuerat, iter monstrandi gratia interdiu quidem apparebat columna nubis ad Solis ardorem interpositu suo temperandum, nocte verò columna ignis ad lumen illis præferendum. Hanc nubem (qua spiritus diuini præsidium, quod Christus suis adferre solet, adumbratum fuit) & hoc lumen Israelitæ intuebantur, illam sequebantur, ad illius motum iter institutum dirigebant. Cùm nubes consistebat, illi quiescebant: cùm rursus mouebatur, vasa conclamabant, quò illam ferri cernebant, eò cursum suum sine vlla cunctatione dirigebant.

Similiter quiuis Christianus in quibusuis siue diurnis siue nocturnis profectionibus, expeditionibus & actionibus suis grauissimis & periculosissimis in eiusdem Angeli, in eiusdem columnæ, nubis atq; luminis cogitatione mentem suam habet defixam, animo est securo, intrepido & impauido, de angelica diuinaq; custodia nequaquam dubitans.

Idem

Idem Angelus, qui Moysi totiq; populo per vastum illud desertum, innumeris refertum periculis comes atq; dux fuit assiduus, indiuisus, diurnus & nocturnus, cuiuis etiam Christiano per mundi huius desertum, in quo sæpe ab hominibus est desertus, per saxa, per ignes, ducem se atq; comitem, tutorem & custodem fidelissimum præbet.

Angelorum quoq; ministerium Cherubinorum illorum Propitiatorium arcæ Dominicæ obumbrantium, obtegentiũ & velantium imaginibus fuit expressum: de quo cùm multi alij, tùm idem Carolus M. in eodem libro contra imaginum adorationem multa præclarè scripsit: qui quidem imaginibus illis & angelica ministeria, & duo testamenta vult fuisse adumbrata. Quæ verba quia tanti sunt auctoris, et ad angelicæ huius doctrinæ intelligentiã non parum conducunt, hîc subijcienda esse existimauimus. Primùm autem operæpretium est, occasionem eius animaduertere, quæ fuit Tarasij Episcopi cuiusdam argumentatio, qua ille ad imaginum vsum cultumq; in templis confirmandum, vtebatur ducta ab his ipsis Cherubinis: Si dicebat ille, Veteres habuerunt Cherubim obumbrantes Propitiatorium, & nos imagines Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Dei genitricis & sanctorum eius habeamus obumbrantes altare, Hunc autem Tarasium, vt etiam hoc prius addam, dicit à populari conuersatione ad sacerdotale culmen, à militari habitu ad religiosum, à circo ad altarium, à forensi tumultu ad prædicationem, ab armorum strepitu ad sancta mysteria peragenda extraordinariè promotum esse: & idcirco non esse inconsequens, illum subditorum sibi plebium mentes à spiritalibus ad carnalia, ab inuisibilibus ad visibilia, à veritate ad imaginem, à corpore ad vmbram, à spiritu viuificante ad literam mortificantem, à spiritu adoptionis ad spiritum timoris, denuò redire compellat. Subiungit deinde allegoricam & mysticam imaginum illarum explicationem, quæ est huiusmodi:

Primò quærendum est, cur Moses cùm tabernaculum faceret, duos Cherubim aureos fecerit: & in propitiatorio, quod erat super arcam posuerit, Salomõ verò alios duos multò maiores addiderit? qui-

Carolus M. contra Synodi Græci 1 lib. cap. 20.

bus in templo positis sub eorum alijs archam in medio conlocauerit cum propitiatorio & Cherubim prioribus, & in tabernaculo duo Cherubim, in templo vero quatuor fuerint? ad vnam igitur eandemq; significationem vtriq; pertinent, nisi tantum quod Salomon qui pacificus interpretatur, & figuram Christi gessit, auctius siue latius duorum Cherubim magnitudinem sublimauit. Quo in facto innuitur eo quod post incarnationem dominicam Ecclesia latius esset ex diuersarum gentium congregatione sublimanda, & superius ciuibus copulanda: qui sic conditorem de conlato sibi munere beatitudinis conlaudant, vt de nostra quodam modo ereptione atq; ad eandem beatitudinem introductione congaudeant.

Cherubim namq; sicut Propheta Ezechiel euidentissimè demonstrat, angelicæ dignitatis vocabulum est, numeroq; singulari Cherub, plurali verò Cherubim dicitur. Vnde & non incongrue in figuris Cherubim quæ in oraculo erant factæ, Euangelica ministeria intelliguntur, qui conditori suo in cœlis adsistentes de sua perpetua beatitudine lætantur. Alas enim ad inuicem super archam extendunt, cum ad laudem Domini Saluatoris referunt bonum omne quod acceperunt. Alteras alas ad oraculi parietes extendunt, cum sanctos etiam homines in sua societate videntes lætantur, eosq; vel vt alarum suarum summitatibus tangunt, quos profecto consortes atq; sequaces extitisse in hac vita suæ puritatis exultant. Duos autem æquè parietes suis tangunt alis, quia fideles vtriusq; populi, Iudæorum scilicet & gentium compotes secum habent aulæ cœlestis: non quod in illa patria inter vtrumque populum sit quædã distinctio localis, sed quia maior fiat festiuitas internæ beatitudinis de consortio adunatæ fraternitatis. Extendunt ergo Cherubim ad vtrumq; parietem oraculi alas suas quia lætantes in cœlesti patria iustos vtriusq; plebis visione quoq; suæ gloriæ ad laudem creatoris excitant.

Nec solum de illorum quos secum intus habent hominum iustorum fœlicitate lætantur agmina cœlestia, verumetiam nostri qui foris adhuc positi de profundis ad Dominum clamamus, continuam curam

rum gerunt. De quibus Cherubim bene etiam in libro Paralipomenon scriptum est: Ipsi autem, inquit, stabant erectis pedibus, & facies eorum versæ erant ad exteriorem domum. Stabant etenim erectis pedibus Cherubim: quia nunquam à via veritatis in qua mox vt conditi sunt positi fuerunt, quodammodo aberrasse creduntur. Facies eorum erant versæ ad exteriorem domum: quia nos ab huius peregrinationis ærumna ereptos ad suum desiderant peruenire consortium. Stabant ergo erectis pedibus, alas ad auro textos oraculi parietes extentas, & facies habebant versas ad domum exteriorem: quia videlicet ita angeli suam perpetuo innocentiam conseruant: sic de animarum sanctarum in cælis beatitudine congaudent, vt eis quoque in terris adhuc peregrinari conspiciunt electis opem ferre non desinant, donec & illos ad cælestem patriam introducant. Possunt etiam, sicut iam in superiori capitulo exsequuti sumus, per duos Cherubim duo Testamenta significari. Ideo igitur in oraculo sunt facti, quia in consilio diuinæ prouisionis nobis vtique inaccessibili atque incomprehensibili ante secula dispositum est, quando & qualiter quibúsue auctoribus Sacra Scriptura conderetur. De lignis vero oliuarum sunt facti, siue quia per viros misericordiæ vnctione Spiritus Sancti illustratos diuini conscripti sunt libri: siue quia lucem scientiæ tribuunt, iuuante flamma charitatis Dei, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris. Decem cubitis sunt alti, quia per obseruantiam decalogi legis Deo seruiendum prædicant: quia Deo fideliter seruientes, denario se remunerandos esse regni cælestis ostendunt. Geminas habent alas, quia Testamenta per aspera æque prospera in defesso proposito semper ad cælestia tetendisse ac peruenisse declarant: quia hoc idem suis auctoribus faciendum esse demonstrant. Quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera: quia in omni labentium rerum varietate sancti vniuersos corporis sui sensus in obsequium sui conditoris extendunt, oculos habentes semper ad Dominum, audire desiderantes vocem laudis eius, & enarrare vniuersa mirabilia eius, dulcia faucibus

suis habentes eloquia illius super mel & fauum ori suo: currentes in odore vnguentorum eius & donec superest, halitus in eis, & Spiritus Dei in naribus ipsorum, non loquentes labijs iniquitatem, nec in lingua sua stultitiam personantes: sicq; per arma iustitiæ à dextris & à sinistris incedentes ad perceptionem cœlestis denarij, quem summus paterfamilias cultoribus suæ vineæ repromisit, perueniunt.

Quia ergo opus vnum erat in duobus Cherubim, hoc innuebat, quia vtriusq; instrumenti scriptores vna eademq; castitate operis & charitatis deuotione Deo seruiebant, vna & consona Deum voce ac fide prædicant. Quæque nouum Testamentum de Dominica incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, gentium vocatione, Iudæorum expulsione, multimoda Ecclesiæ tribulatione facta narrat: hæc eadem vetus Testamentum si rectè intelligitur veraciter facienda prædicebat.

Aduentum vero Antichristi, finem seculi extremi discrimen iudicij & æternam bonorum gloriam, pœnamq; reproborum, concordi vtrumq; Testamentum veritate profatur. Alæ igitur Cherubim interiores super archam se inuicem contingebant, quia Testamenta pari de Domino attestatione consentiunt. Item alis exterioribus iste vnum parietum, ille alterum contingebat: quia vetus Testamentum propriè antiquo Dei populo scriptum est: nouum vero nobis qui post incarnationem Dominicam ad fidem venimus, & secundo pariete, hoc est, Septentrionali, rectè comparamur, quibus post figuram ac tenebras idololatriæ lucem veritatis cognoscere datum est.

Nam etsi primitiua Ecclesia maximè de Iudæis effloruit, & omnis Israel circa finem sæculi saluandus esse credatur, plurimi tamen fidelium huius temporis de gentibus congregantur ad Euangelij suscipienda Sacramenta. Quibus hoc etiam diuinitùs donatum est, vt reuelatis oculis sui cordis manifestè cognoscant literam veteris Testamenti Euangelicæ gratiæ plenam esse mysterijs. Versas habentes facies Cherubim ad exteriorem domum: quia nos qui adhuc foris stamus non reipsa sed spe salui facti sumus. Diuini sunt libri

conditi,

conditi, quia scriptores eorum iam regnantes cum Domino illumq; conlaudantes in cœlis curam nostræ gerunt salutis proq; nostris erratibus apud eius pietatem interpellant. Circumdati sunt auro Cherubim, quia præclaris scriptorum suorum operibus confirmantur auctoritatis Testamentorum, manifesta autem per orbem cognitione diuinarum scripturarum, siue interna gloria cœlestium agminum. Vterque enim Cherub, vt diximus, & Angelos & Testamenta designant. Atque hactenus quidem ille.

§.

Sequitur historia Bileami, quæ à Mose conscripta, Numeri 22. Nequaquam hic silentio est prætereunda, Angelus etenim Domini, vt ibi scribitur, Bileamo filio Beor, mago famosissimo, qui à Bilaco, filio Sephor, Moabitarum Rege, ad populum Israeliticum diris deuouendum accersitus fuerat, asinæ insidenti obuius factus cum gladio stricto, asinam quidem ita perterruit, vt de via deflexerit & ab insessore cæsa & obiurgata cum illo expostularit. Bileamo autē vetuit, ne populo Dei magicis suis carminibus seu incantationibus quicquā damni inferret, eumq; faustis potiùs, quā diris ominibus psequeretur.

Apparitio angelica facta Bileamo mago. Num. 22.

Hæc quoq; historia quiuis Christianus ad suam doctrinam & consolationem referre potest. Quot enim quæso omnes Christiani habent in hoc Mundo Bileamos & Balacos saluti suæ infestissimos, qui eos diris, anathematismis, hominibus infaustis, incantationibus, artibus, maleficis & magis, dæmonum præstigijs varijsq; dolis lædere, violare, & è medio tollere conantur? Verùm Deus pro infinita sua clementia strictis Angelorum suorum gladijs, hoc est, potestate illis concessa, nefarios hosce Bileamorum & Balacorum istorum conatus cohibet ac reprimit: ita vt omnes hæ illorum diræ, maledictiones et execrationes non modo nihil quicquam illis noxæ afferant, sed etiam in benedictiones & salutem illorum conuertantur. Quin etiam Bileamorum istorum asinæ atq; iumenta, hoc est, mancipia & administri, asinarum licet stoliditate stupiditateq; præditi, ore suo dominorū suorum iniustitiam atq; tyrannidem, piorum innocentiā, Dei iudicia & miranda & stupenda, confiteri atq; prædicare coguntur. Nos

iure credimus omnes nostras fortunas à Dei nutu pendere, absq; cuius promissione nihil contra nos potest Satan, credimus etiam ratas semper esse Dei promissiones: Benedicam eis, qui tibi benedicunt, inquit apud Prophetam. Item: Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Psal. 3.

55. Apparitiones angelicæ factæ Iosuę successori Moysis.

Porrò vt Moyses, ita quoq; eius primùm minister, deinde successor Iosua in Reipub. Israeliticæ administratione hac eadem Angelorum familiaritate atq; consuetudine vsus est fidelissima atq; frequentissima. Præ cæteris autem luculenta valdè consolationisq; plenissima est illa ἀγγελοφάνεια, seu θεοφάνεια potius, qua Iosuæ, vrbis Hierichuntinæ munitissimæ florentissimæq; expugnationem, & Regum populorumq; Transiordaninorũ deletionem aggressuro Angelus ille magni consilij apparuit. Nec verò semel tantùm, sed sæpenumero Deus olim Iosuam, tanquam seruum fidelissimum familiarissimè clementissimèq; est allocutus, illius partim docendi atq; monendi, partim animandi consolandiq; gratia. Similem benignitatem hodie quoque Deus cùm Regibus & Principibus, tùm etiam alijs hominibus, belli præsertim tempore impertit, quando illos alloquitur partim per spiritum suum sanctum, partim per Angelos hominesq; angelica præditos sanctitate atq; sapientia, illos similiter cùm de officio suo commonefaciendi, tũ in magnis difficultatibus erigendi & consolandi causa.

Est autem omnino hæc visio Regibus inprimis & ducibus siue personam videntem, siue personam visam spectemus, valdè accommodata, ex cuius vtriusq; consideratione multa egregia cùm religionis, vitæ morumq; documenta, tùm solatia efficacissima & saluberrima peti possunt. In Iosuæ enim persona cùm pietatis, religionis, fidei, humilitatis, timoris Dei, tùm ciuilis etiam prudentiæ, cautionis, circumspectionis, humanitatis atq; fortitudinis specimina hîc apparent. Personam autem visam, quæ Iosuæ apparuit, non Angelum aliquem fuisse creatum, sed Angelum illum magni consilij, hoc est filium Dei æternum & vnigenitum, pleriq; interpretum Christianorum sentiunt: quæ quidem illorum sententia ijs, quæ visionem hanc & antegressa

& comitata & consecuta sunt, facilè comprobatur, cùm singula, quæ hic narrantur, non tàm creaturæ alicui, quàm Deo propriè competant atq; conueniant. Est igitur tota hæc visio quasi speculum quoddam atq; compendium eorum, quæ de Christo, de eius cùm persona atque naturis, tùm munere & officio, quæ graphicè hîc describuntur, nobis ad salutem nostram creditu cognituq; sunt necessaria.

Ac primùm quidem omnium Iosua Angelum illum magni consilij Viri forma atq; specie vidit, qua olim Patribus antequam factus est homo Christus apparuit: quæ quidem visa futuræ illius ἐνανθρωπήσεως, siue ἐνσαρκώσεως, id est, incarnationis salutiferæ prænuncia fuerunt, & quasi prima & rudia quædam lineamenta.

Christus autem non hoc tantùm in loco, sed etiam in multis alijs sacræ scripturæ locis Vir meritò appellatur κατ' ἐξοχήν, quâ & factus homo & vir, non mulier, & quâ Vir non vulgaris, sed singularis factus est, & quâ deniq; Vir est, maritus & sponsus suæ Ecclesiæ. Quadruplici igitur respectu Vir Christus vt est, ita appellatur, nempe & naturæ humanæ, quam assumsit, & sexus virilis & virtutis singularis & coniugij illius cum Ecclesia respectu. Christum ergo videt quiuis Christianus oculo mentis & animi, id est, credit esse virum, id est, verum hominem, filium Dauidis, & Mariæ secundū carnem, qui, vt Apostolus inquit, nō angelos assumsit, id est, naturam angelicam, sed semen Abrahæ, id est, carnem siue naturam humanam nostræ coessentialem: cuius quidem futuræ eius incarnationis hæ eiusdem apparitiones in veteri Testamento sub viri specie atq; forma fuerunt quasi σκιαγραφίαι, id est, adumbrationes quædam, Christum credit esse Virum illum, de quo Zacharias vaticinatus est his verbis: Ecce vir, germen nomen eius. Vir ibi appellatur tanquam nasciturus homo, assumturus carnem, non imaginariam, non cælitus demissam, sed veram, naturalem & nostræ ὁμοούσιον. | Christus quomodo vir dicatur.

Deinde Germen dicitur eius esse nomen (vt etiam ab Esaia: Ecce adduco seruum meum Germen, & à Ieremiæ Ger-

men iustum Dauidis, Rex, qui faciet iudicium & iustitiam in terra, *& alio in loco* Germen iustitiæ *) quia vt germen è terra, aut arboris trunco, qua nihil tale paritura videbatur, excrescit: ita Christus ex Dauidis familia vili tunc temporis & ignobili, ex Maria virgine natus est. Eandem ob causam ab Isaia* radix de terra sitiente pullulans & surculus de trunco Isai nascendus *appellatur, qui è loco suo sub se sit germinaturus, qui Templi, id est, Ecclesiæ futurus sit architectus, plenus decoris, honoris & gloriæ, rex & sacerdos æternus, pacis effector & conciliator.*

Christum quinetiam credit esse λόγον illum, qui erat in principio qui erat apud Deum, qui est Deus, qui factus est caro: credit esse θεὸν φανερωθέντα ἐν σαρκὶ, id est, Deum manifestatum in carne, vt Paulus loquitur, qui, vt idem inquit, particeps factus est carnis & sanguinis, quem oportebat nobis fratribus suis per omnia fieri similem. Faciunt huc præclara illa Augustini verba libro de agone. cap. 18. Nec eos audiamus, qui non verum hominem suscepisse dicunt filium Dei, neque natum esse de fœmina: sed falsam carnem, & imaginem simulatam corporis humani ostendisse videntibus. Nesciunt enim quomodo substantia Dei administrans vniuersam creaturam inquinari omninò non possit: & tamen prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes fæces & sordes corporum spargere, & eos mundos & sinceros vbique seruare. Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari: quanto magis inuisibilis & incommutabilis veritas per spiritum animam, per animam corpus suscipiens toto homine assumto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberauit?

Deinde Christum credimus esse Virum, quoad sexum, factum ex muliere, vt Paulus loquitur, natum ex virgine: qui tametsi factus est vir, non mulier: tamen non minùs mulierum, quàm virorum saluator est & redemptor perfectissimus; ita vt nequaquam secundum

dum Philosophi cuiusdam somnium atque delirium Anna siue alia quædam mulier sit expectanda, quæ mulieres redimat: cùm salus Christi, morte atq; merito parta mulieribus in Christum credentibus cum viris sit communis.

Tertiò Christum credimus esse virum non vulgarem, sed singularem (vnde Daniel vir mirabilis, *vt etiam ab Isaia* consiliarius admirabilis, *appellatur) qui tametsi eiusdem nobiscum est naturæ atque substantiæ: tamen admirabili, ineffabili, incomprehensibili modo præter naturæ ordinem conceptus est de Spiritu sancto, natus non ex muliere, sed virgine casta & intemerata: secundum illa Archangeli verba ad Mariam* θεοτόκον *&* ἀειπάρθενον: Luc. 1.
Spiritus S. superueniet in te & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quare & quod nascetur sanctum vocabitur.

Vir est perfecta cumulatæque virtutis, sanctitatis & innocentiæ, vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, omnis planè vitij peccatique expers, victor peccati, mortis, inferni atque Diaboli. Vir quidem fuit, vt eum Esaias appellat, dolorum & plagarum, omniumque hominum contemptissimus & abiectissimus: ita vt vermis potius, quàm hominis speciem præ se ferret: tamen, vt Petrus de eodem loquitur Actor. 2. cap. vir fuit ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀποδεδειγμένος εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, *id est,* à Deo approbatus apud Iudæos præstantibus factis, & miraculis & signis: *quæ edidit per eum Deus in medio Iudæorum, quem definito Dei consilio & prouidentia traditum cùm Iudæi cepissent, & manibus suis sceleratis cruci affixum interemissent, Deus solutis mortis doloribus (eò quòd impossibile erat ipsum ab ea retineri) excitauit, ad vitam reuocauit, & ad dextram Dei euexit, qui promissum Spiritum sanctum adeptus à Patre effudit eum super homines.*

Deniquè, quod caput est, Christus vir est, non nudus aut simplex, sed verus simul Deus, ac proinde θεάνθρωπος, *id est, verus Deus & homo. Vnde* Immanuel, *id est,* Nobiscum

Deus, à Spiritu sancto fuit appellatus.

Ex his ergo constat, Christum optimo meritissimoque iure virum appellari non modò ratione humanæ naturæ, quam assumsit, sed etiam propter eius excellentiam & præstantiam admirabilem: cùm talis sit vir, qualis nec fuit, nec est, nec futurus est vnquam in æternum.

Postremò Christum agnoscimus & credimus esse virum, id est, maritum atque sponsum Ecclesiæ, Euæ viraginis atque virginis, suæ sponsæ, quæ quidem ex eius dormientis, id est, mortui costa castissima nata est, iuxta illa Pauli: Viro vni despondi vos, vt virginem castam vos exhibeatis Christo. *Vt igitur vir sponsam & vxorem suam amat, & quidem amare debet. (Vnde Paulus :* Viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. *) ita vt matrem patremque suum dimittere atque deserere sit paratus ad ei inseruiendum, atque adeò pro eius vita atque salute, si ita res postulet, non fortunas tantum, sed sanguinem quoque vitamque suam profundere debeat: ita Christus tanto amore Ecclesiam suam est complexus, vt pro illa cùm patriam Patremque suum cœlestem, & matrem quoque suam charissimam suosque discipulos ad tempus aliquod dimittere atque relinquere, tùm vitam sanguinemque suam tradere non dubitarit.*

Virum ergo homo Christianus Christum rectè credit esse secundum sacrarum literarum, vel ipsius potiùs Spiritus Sancti testimonium & quoad naturam humanam & quoad sexum, & quoad singularem humanitatis eius dignitatem atque præstantiam, & denique quoad sanctissimum arctissimumque illud Christi cum Ecclesia connubium spirituale. Conuenit cum hoc, quod S. Augustinus libro septimo, quæst. super Iud. 31. Christum cùm ob assumtam humanitatem, tùm ob virtutem scribit fuisse virum appellatum.

Deinde Iosua virum hunc vidit stantem, & quidem prope Hierichuntem, vrbem illam celeberrimam, palmetis consitam, teste Plinio libro quinto capite decimo nono, & fontibus irriguam: (vnde vrbs palmarum crebrò in sacris literis appellatur.) Palmetum autem illud Strabo scribit centum stadiorum fuisse. Sic Zacharias Christum viri similiter specie vidit insidentem equo, & stantem inter myrteta in valle profunda. Cui verò dubium, quin hoc quoque fuerit indicium, fore, vt Christus aliquando assumpta natura humana staret in Iudæa: qui tamen etiam ante assumptam humanam naturam subsitit secundùm diuinitatem suam (vt ex hoc loco & multis alijs colligitur) & Mediatoris officio functus est inter Patrem & homines. Vnde à Paulo Mediator æternus appellatur, & Christus hodie, heri & semper. Iosua Christū vidit stātem, & cur.

Christum ergo quiuis Christianus credit verè & propriè secundùm carnem, id est, naturam humanam, & secundùm verum & naturale suum corpus in his terris, & quidem in terra Iudæa stetisse, nec stetisse tantùm, sed etiam aliquando sedisse, cubuisse, inambulasse (vt ex Euangelij historia satis constat) qui quidem varius eius corporis situs certissimus fuit veræ illius humanitatis index.

Etsi verò vniuersa Iudæa Christi commemoratione, passibus, vestigijs, miraculis, actionibus & passionibus admirandis fuit nobilitata: tamen vrbs Hiericho, vt Euangelica historia testatur, duobus eximijs Christi miraculis, tanquam potentiæ et misericordiæ eius documentis clarissimis fuit illustrata. Ea fuerūt Zachæi ἀρχιτελώνου, id est, Publicanorum Principis, grauissimiq́ peccatoris vocatio ad salutem, & duorum cæcorum sanatio. Nam cùm paulò ante mortem suam vrbem hanc esset ingressus, indeque egressus Hierosolymam versus ad crucis supplicium pro salute generis humani subeundum, mortemq́ oppetendam proficisceretur, maxima illum hominum turba fuit comitata, inter quos duo fuerunt cæci, qui eum maximis clamoribus (Domine, fili Dauid,

misererere nostri) opem eius misericordiamq́ implorassent, Christus commiseratione eorum affectus, oculos illorum solo tactu suo cæcitate liberauit, qui deinde illum fuerunt secuti. Non est igitur dubitandum, quin hæc ipsa visio, qua Iosua filium Dei vidit, stantem iuxta hanc vrbem, fuerit prænuntia eorum, quæ Christus post assumptam naturam propè hanc vrbem esset acturus: de quibus modò dictum est. Nam quemadmodum Christus iuxta hanc vrbem ad eius salutem Iosuæ apparuit: ita multis post seculis, idem Christus Iesus, tanquam verus homo propè eandem vrbem & Zachæo & duobus illis cæcis, & maximæ illi hominum turbæ ad ipsorum salutem conspiciendum sese præbuit. Quiuis ergo Christianus hæc gratiæ & misericordiæ Christi specimina miraculosa in mentem suam reuocando firmißimè credit, Christum non ad suam tantùm, sed ad omnium cæcorum & Zachæorum, hoc est, grauißimorum peccatorum liberationem atq́ salutem in hasce terras in carnem venisse.

6. Hiericho vnde dicta, & cuius rei typus.

Deinde cùm Hiericho (quod nomen ab Hebræo ירח Iareach, quod Lunam significat) ciuitas in tribu Beniamin sita ab Hierosolymis 150, ab Iordane 60. distans stadijs, auri & argenti plena, fontibus irrigua, palmetis & Balsami viridarijs nobilis, sit Ecclesiæ militantis typus, quæ Lunæ instar mutabilis, palmarum instar victrix, aquarum spiritualium & cœlestium fontibus abundans est: non dubitandum est, quin Christus ei semper aßistat ac præstò sit sua gratia, sua ope atq́ spiritu sancto. Et quemadmodum Christus in Euangelio dicitur stetisse in medio discipulorũ antè clausis foribus, ita stat indubiè semper in medio eorum, qui in nomine eius sunt congregati, stat ab illorum partibus, illis adstat atq́ aßistit sua Maiestate, suo spiritu, etiamsi omnes salutis fores atq́ ianuæ illis præclusæ & interclusæ esse videantur.

Præterea vt Stephanus protomartyr ex hac vita migraturus vidit cœlos apertos, & filiũ hominis stantem à dextris Dei: ita omnis Christianus videt oculo mentis & fidei, cœlos, qui nobis propter peccata clausi fuerant, per Christum rursus esse apertos, eumq́ videt, & seden-

dentem, & stantem à dextris, hoc est, & requiescentem ab omni labore atq́ dolore, placidissimaq́ fruentem quiete, & regnantem atq́ dominantem, & erectum semper promptum & paratum ad gloriam diuinam illustrandam, ad Ecclesiæ suæ saluti inseruiendum, ad opitulandum nobis ac succurrendum, ad deprecandum pro nobis & intercedendum. Etsi igitur sæpè nobis deposita abiectaq́ omni salutis nostræ cura sedere, cubare, iacere, dormire videtur: tamen non dubitemus illum stare, hoc est, inuigilare nostræ saluti, stare á nostris partibus, resistere nostris hostibus. Christum agnum Dei, à Deo ante iacta mundi fundamenta prædestinatum, occisum ab origine mundi videt cum Iohanne Apostolo, stantem in medio throni cœlestis, in sua statione, hoc est, munere & officio sacerdotali, prophetico & regio constantissimum. Christum credit esse illam radicem Isai, quæ stat in signum, quam inquirunt gentes, cuius requies erit gloria eius. Christum credit secundùm promissionem suam stare ad ostiũ & pulsare, promptum & paratum esse ad intrandum ad eos, & cum ijs cœnandum, id est, ad spiritualia sua bona communicandum, qui vocem eius audierint, & cordium suorum fores ei aperuerint, hoc est, in illum crediderint eiq́ obtemperauerint.

Omnino igitur hoc standi verbo Christi munus & officium Pontificium, Propheticum & Regale, ac perennem perpetuamq́ eius vigilantiam, curam, defensionem & protectionem Ecclesiæ eiusq́ membrorum designari sibi persuadebit.

6. Porrò vt hic Vir, id est, filius Dei Iosuæ apparuit ex aduerso, tanquam ἀντίμαχος, ἀντικείμενος, & ὑπεναντίος, id est, aduersarij & hostis speciem præ se ferens, cùm reuera adfuisset tanquam amicus eius certissimus & fidelissimus promptus ad ipsum tuendum, hostesq́ eius delendos & exterminandos: sic etsi Deus & Christus θεάνθρωπος sæpè in maximis nostris angustijs atq́ periculis hostis & aduersarij infestissimi speciem præ se fert, nobisq́ aduersari potius quàm opitulari videtur velle, nos nimirum humiliandi, & fidem patientiamq́ nostram probandi & explorandi gratia: non est tamen, Christus apparuit Iosuæ, ceu aduersarius.

L

idcircò destinamus optimè sperare de eius gratia, amore, ope atque auxilio.

§. Idem apparuit ei armatus.

Praeterea Iosua vidit Angelum hunc magni consilij, id est, Filium Dei non inermem, sed cum telo, cum gladio, & quidem cum gladio non recondito in vagina, sed stricto & nudo, quem non accinxerat lateri, sed gestabat manu sua, tanquam expeditum ad rem gerendam. Hoc gladio, tanquam signo luculento, Deus Iosuae & vniuerso simul exercitui atq; populo significare voluit, Deum paratum esse ad ipsos quidem tuendos aduersus vim hostilem, hostes autem feriendos ac perdendos.

Deinde ipsos non gladijs armisq; humanis, sed diuinis atq; caelestibus victuros & oppressuros esse suos hostes. Quemadmodum igitur Constantino Magno, cùm ei crucis signum apparuisset, caelitùs dictum fuit: In hoc signo vinces: ita Deus Iosuae spectro huius gladij significare voluit, ipsum non suo & humano, sed diuina caelestique gladio, id est, virtute, victorijs illis admirandis aduersus hostes suos potiturum.

Eadem quoq; cuiusuis Regis ac Principis Christiani est mens, sententia animiq; persuasio, nempe omnes, quas vnquã adeptus est, aduersus hostes suos, victorias insignes, quasq; adhuc se sperat consecuturum, non humano, sed diuino & caelesti illi gladio, hoc est, iustitiae virtuti atq; potentiae acceptas esse ferendas. Eodem pertinet, quòd Gladius hic expressè dicitur, Eius gladius, vtpote quem non aliunde vel vi vel precariò, vel dono acceperit, sed quem habeat à seipso, & qui non humana, sed diuina manu fuit fabricatus, non ex humana & terrestri, sed ex diuina caelestique illa officina, seu armamentario depromtus.

§. Apparuit cum gladio in manu.

Est etiam obseruatione dignum, quòd Gladium hunc vidit non in ipsius vel ore, vel latere, sed in eius manu, id est, potestate, ita vt eo vti potuerit. Abundant quidem saepè homines gladijs, omniq; telorum & armorum genere, sed vel propter ignauiam atque desidiam, vel imperitiam vel etiam imbecillitatem ijs vti vel nolunt, vel non possunt.

poſſunt. At Angelus contrà hic magni conſilij Gladium hunc ſuum firmißimè manu tenet: ita vt nulla vi manuq́ humana ei extorqueri poßit, illum vibrat, verſat, infert quocunq́ vult, ſine vllo impedimento: Vnde colligitur vindictæ & vltionis diuinæ executionem nullis vel hominum, vel dæmonum viribus impediri, multò minùs infringi poſſe.

5.
Apparuit cum gladio ſtricto.

Poſtremò quòd Gladium hunc Ioſua vidit non in vagina reconditum, ſed eductum, ſtrictum, nudum, expeditum & paratum ad feriendum (qui item ſine dubio acutus fuit atq́ micans) eo ſignificatum fuit, cùm defenſionem populi Iſraelitici: tùm vltionem & punitionem hoſtium eſſe in procinctu, nec diu eſſe differendam: id quod euentus ipſe docuit: qui viſionem iſtam ſtatim fuit conſecutus.

6.
Gladius cuius rei ſit ſymbolum.

Porrò cùm Gladius in ſacris literis & in prophanis ſit ſecundum communem omnium ferè gentium opinionem & conſuetudinem, imperij, regni, dignitatis, poteſtatis, fortitudinis, virtutis, belli, iudicij, iuſtitiæ, vindictæ, vltionis, protectionis & defenſionis vt inſtrumentum, ita ſymbolum atq́ ſignum, Reges, Principes ac Magiſtratus gladij huius, quem Ioſua vidit, recordatione & conſideratione cogitabunt, ſibi quoq́ Gladium, id eſt, dignitatem, poteſtatemq́ regiam, imperatoriam & iudiciariam à ſummo illo Rege & Imperatore tributam eſſe atq́ conceſſam ad exercendum iudicium atq́ iuſtitiam, ad ius ſuum cuique tribuendum, ad puniendos nocentes, ad tuendos innocentes atq́ bonos, iuxta illa Pauli verba: Etenim Principes non ſunt metus bonorum operum, ſed malorum. *Si non vis timere poteſtatem, fac bonum & habebis laudem ab illa. Dei enim eſt miniſter ad bonum. Sin autem malum facis, metue. Non enim fruſtra Gladium geſtat Dei. Namq́ miniſter eſt & vindex ad iram ei, qui malum facit.* Rom. 13

Gladius itaq́ apud Hebræos, Romanos & alias gentes dignitatis huius poteſtatisq́ regiæ & magiſtralis conceſſæ fuit ſymbolum. Apud Romanos quidem, teſte Feſto, vt inſigne imperij & armorum haſta fuit (Proconſules enim de ciuilibus Prouincialium cauſis co-

gnoscentes pro tribunali hastam erigebant) ita in facinorosos homines animaduertentibus illis gladius semper in conspectu erat, iuxta illa Cypriani verba: Sæuit inuicem discordantium rabies & inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum: Hasta illic & gladius & carnifex est præstó. *Huc pertinet, quod Dio de Traiano scribit:* Nam cùm præfectum prætorio, quem creauerat, circumdaturus esset ense, nudum eum illi porrexit: Cape hunc, dixit, & siquidem bene imperauero, pro me hoc vtere. Si malé, aduersus me. *Id etiam scribit Plinius in Panegyr. ad Traianum. Sic videmus gladium euaginatum, quando in solennitatibus Imperatori & Regi præfertur, indicare iustitiam, vt terrori sit malis, & insontes sciant se sub protectione summi magistratus ab iniuria ac vi tutos esse. Hoc quoq; olim apud Masilienses vsitatum fuisse, testatur Valerius Max.* Cæterùm, *inquit*, ab vrbe condita gladius est ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoq; rebus antiquæ consuetudinis monumenta seruanda, *&c.*

Omnem igitur dabunt operam, vt hoc suo, seu Dei potius Gladio bené legitimeq; vtantur ad punitionem improborum atq; nocentum, & defensionem piorum ac innocentum, cùm persuasum exploratumque habeant Dei gladium, id est, iudicium & vindictam impendere omnibus eorum Principum capitibus atque ceruicibus, qui hoc gladio, sibi à Deo commisso, tyrannicè, iniustè & iniquè vtuntur, seu potiùs abutuntur, Dei gladium non recedere ab illorum ædibus.

Præterea gladium constat antiquissimum (vnde Genes. 3. gladij fit mentio) præcipuè verò omnibus gentibus fuisse commune belli Martisq; instrumentum: quo vt olim: ita nostra ætate viri militares & strenui inprimis contra hostes pugnando sunt vsi, parumque honestum & fortibus viris dignum visum est alijs telis, exceptis hastis, in primo congressu vti. Hinc memorantur & decantan-

cantantur Rolandi ducis illius fortißimi, qui Caroli M. nepos ex sorore fuit, & Alexandri M. & Georgij Castrioli Epirotæ (qui ceu alter Alexander Schenderbeg à Turcis, vulgò Schanderbegus appellatur) gladij, quibus illi magnas res gesserunt, maximas strages & cædes ediderunt. Hinc & Turcæ gladio illo suo leuiter incurvo (qui illis Kilitsch, *Arabibus* Seife, *Chaldæis* כיפא Saiefa, *à quo Arabicum deducitur, nobis* Schel *dicitur, quemq; Latini Acinacem, Græci* κοπίδα *vocant, potißimùm in bellis vtuntur. Idem de Romanis scribit quodam in loco Liuius:* Ventum est, *inquit,* ad gladios, vbi Mars acerrimus fuit. *Romanos Imperatores sæpe legimus milites suos hortatos esse, vt omißis pilis, gladijs rem gererent, quò facilius victoria potirentur. Eadem de causa Claudius Marcellus ob eximiam fortitudinē, teste Plutarcho,* Gladius *fuit cognominatus. Ob hunc vsum, quem habet in bello partim ad vim arcendam & repellendam, seq; defendendam, partim ad hostes feriendos, Germanis alio nomine gladius à tuendo dictus est* Wehr/ *ac in sacris literis metonymicè pro ipso bello & pro omni calamitate, deniq; pro diuina cùm protectione, tùm punitione accipitur. Vnde Deus gladium aduocare, leuare, inducere dicitur, & Exod. 15. euaginare eum. De hoc Dei gladio homines deuorante, qui inebriatur cruore occisorum, vide Isa. 1. 2. 3. 4. 6. 7. Ierem. 6. 22. 25. 50. Ezech. 7. 11. 12. Deut. 3. Os. 11. Inprimis autem gladij huius diuini, educti è vagina & irreuocabilis, id est, belli, graphicam descriptionem vide Ezech. 21. & 22. cap. Hic verò gladius iustitiæ & seueritatis, id est, vindictæ diuinæ iam per 30. & amplius annos in Gallia & Belgica prob dolor grassatus est, & adhuc grassatur, dùm misera secum ipsa digladiatur, quo innumerabilis hominum multitudo est absumta. Hic gladius plurimorum sanguine inebriatus est vere, vt Iobi verbis vtar,* vltor iniquitatum, à cuius facie est fugiendum. *O gladium dirum ac funestum? Vt autem Dauid similiter atq; Iosua cùm conspexisset suo tempore Angelum stantem inter cælum & terram cum euaginato gladio: quo gladio pestifero multa breui tempore homi-*

Ezech. 38.
Es. 1. Psa. 7.

cum millia fuerunt absumta, ardentissimè est precatus, vt gladium illum in vaginam reconderet, hoc est, seueritati & vindictæ suæ finem imponeret: ita nos Christiani Deum & Angelum illum magni consilij dies noctesque ex animo orare, obsecrare, obtestari debemus, vt gladium hunc suum multorum sanguine ebrium in vaginam recondat, hoc est, suæ iustitiæ & tristibus funestisque istis orbis Christiani bellis intestinis finem statuat, & vt gladios hos Christianorũ rigidos atq; hastas in vomeres, falces & ligones, vel in communiũ & immanissimorum illorum nostrorum hostiũ, vt Turcarũ, Tartarorum et aliorum Barbarorum capita conuertat. Recordabimur etiam sæpe illius dicti & vaticinij Christi, cùm dixit, se non venisse ad pacẽ, sed ad gladium, id est, bellum, seditiones, tumultus, dissidia terræ immittendum. Vnde non mirabimur iam aliquot seculis homines propter Christianæ religionis professionem grauissimè inter se digladiatos esse, & adhuc digladiari. Miremur potius, cùm Christus noluerit Sanctum Petrum vti gladio corporeo, eos, qui se Christi vicarios & Petri successores esse gloriantur & iactitant, vtrunq; sibi gladium, hoc est, potestatem & politicam & ecclesiasticam arrogare & assumere, eamq; vsurpare: quo quidem gladio totum orbem Christianum iam aliquot seculis perturbarunt ac infestarunt.

5. Gladius spiritualis quis.

NB

Porrò alius quoq; est Christi gladius spiritualis, nempe oris ipsius gladius, qui est ipsius Verbum, Lex & Euangelium, quod per Angelos, per Prophetas & Apostolos, tanquam ora sua atq; organa hominibus prædicari, & literis monumentisq; ad omnem posteritatem consecrari curauit: cuius ipse quoq; præco & promulgator extitit fidelissimus, iuxta illa Esaiæ verba: Et posuit os meum vt gladium acutum, & sicut sagittam electam, siue tersam & expolitam, quam reposuit in pharetram suam. His verbis exprimitur ab Esaia docendi munus Christo à Deo esse impositum, simulq; vis verbi diuini: quod quidem altiùs penetrat hominum animos atq; corda, quàm quiuis vel acutissimus gladius atq; sagitta secundum illa Pauli: Sermo Dei verè est viuus, efficax & pene-

Esaiæ 46.

Heb. 4.

trabilior

trabilior quouis ancipiti gladio, pertingens vsq; ad diuisionem animæ simul & spiritus. *Hic gladius est discretor cogitationum & intentionum cordis. Hic gladius Dei, id est, sermo Dei viuus, percutit, vt S. Hieronymus inquit, illa, quæ absq; auctoritate & testimonijs scripturarum proferuntur. Hic gladius est spiritus, nempe Verbum Dei: cuius in panoplia illa spirituali Christiani hominis à Paulo fit mentio. Hic est gladius ille vtraq; parte acutus, qui in illa Filij hominis, Christi, prosopographia dicitur ex ore eius exiuisse. Hoc gladio oris sui Christus minatur, se pugnaturum cum Pergamensibus, id est, oppugnaturum & refutaturum falsos illorum doctores Baliamitas, Nicolaitas & illorum doctorum impia dogmata. Eiusdem gladij vtraq; ex parte acuti & procedentis ex eius ore in altera quoq; illa Christi descriptione quasiq; pictura fit mentio, quo gentes sit percussurus. Hic deniq; gladius est spiritus ille oris, quo Dominus hominem peccati, filium perditionis, id est, Antichristum, secundum Pauli vaticinium conficiet. Verbum Dei igitur & gladius oris Christi, siue ex ore eius procedens, & gladius spiritus, & spiritus Dei vel Christi appellatur.* Apo. 1. et 2.

Postremò hoc gladio Angeli magni consilij, quem Iosua vidit, procul dubio crux quoq; Christi fuit adumbrata. Crucis enim forma non dissimilis est gladij formæ. Itemq; mors eius: qua opera diaboli, hoc est, peccatum, mortem & infernum destruxit & aboleuit. Etsi ergo Christus gladijs, lanceis, telis & armis corporis Iudæorum & Ethnicorum captus, comprehensus, excruciatus atq; occisus fuit, tamen hoc ipso gladio, hoc est, cruce & morte sua probrosa, ignominiosa, crudeli & immmani, quæ gladij instar acuti sanctissimæ illius matris castissimum sanctissimumq; pectus transuerberauit, hoc est, grauissimo dolore affecit, ac penè confodit atq; confecit, diabolum, mundũ, mortẽ atq; infernũ vicit atq; prostrauit. Hoc ipso gladio, id est, cruce Christi per fidẽ electi, mundũ, diabolũ atq; carnẽ vincũt. Atq; hic quidem gladius Christi robustior, fortior & potentior est omnibus vel totius mundi gladijs, telis & armis.

Crux Christi gladio adumbrata.

Angeli ad interrogatum responsio.

Porrò Angelus hic magni consilij à Iosua interrogatus, quis nam esset, familiarissimè humanissimeq; ei respondet, eumque docet, monet & consolatur. Sic hodie quoque Christus quibusuis eum interrogantibus, rogantibus ac consulentibus respondet, illorum precibus votisq; pijs & religiosis plenè cumulateque satis facit, illos cum interno ministerio sui spiritus, tùm externè sui Verbi & Sacramentorum docet, erudit, animat & consolatur. Christus etenim est orator, doctor, ac magister fidelissimus & perfectissimus omnis veritatis, virtutis atque officij. Estque hæc eius oratio, partim κατασκευαστικὴ, id est, affirmans atque confirmans veram de ipso, de illius persona, naturis & officio (in quorum cognitione salus nostra consistit) doctrinam: partim ἀνασκευαστικὴ, negans, refellens atque refutans contrarias ei opiniones, hæreses atque errores.

Primùm autem interrogatus à Iosua, sit ne è numero hostium, Angelus, respondet, se non adesse, tanquam hostem & aduersarium ad illos oppugnandos & lædendos, sed tanquam amicum & opitulatorem ad illos defendendos, hostes verò exterminandos. Ita Christus in Euangelio sepe docet non venisse ad Mundum condemnandum, sed ad illum potius seruandum, æternaque salute donandum, non se Mundi hominumque esse osorem & hostem, sed amicum & seruatorem. Hunc verò flagrantissimum suum erga nos amorem & ardentissimum suum salutis nostræ studium multifariam non verbis tantùm, sed etiam factis, operibus, miraculis, sanguinis denique sui preciosissimi effusione demonstrauit.

6.

Princeps vocatur Angelus.

Deinde non vulgarem se nudumq; hominē esse docet, sed כר Sar, *(vnde forsan Gallicum* Sire *est deriuatum) hoc est,* ἀρχιστράτηγον, *vt* LXX. *verterunt, Imperatorem ac primarium ducem exercitus Dei vocat; quem Iosua postea* ארבי Adoni, *hoc est, Dominum suum appellat, qui idem capite sequenti* יהוה Iehoua *(quod nomen solius est Dei) vocatur. Ita ergo cuiusuis hominis Christiani est* credere

credere Christum non modò esse איש Isch, id est, hominem verum, sed etiam יהוה Iehoua, id est Deum verum & naturalem, eiusdem cum Spiritu sancto & Patre οὐσίας καὶ ἐξουσίας, essentiæ atq; potentiæ. Item eiusdem est, credere hunc esse שר Sar, Deum exercituum, אדני Adoni & Adonai, hoc est Regem Regum, & Dominum Dominorum, omnium creaturarum visibilium & inuisibilium, terrestriū & cœlestium (quæ quidem sunt exercitus Dei) non modò creatorem, sed etiam dominatorem & moderatorem potentissimum & sapientissimum, quibus ille vtatur ad illustrandam suam gloriam, ad exercendam suam potentiam, sapientiam, iustitiam & misericordiam, ad exequenda æterna sua decreta.

Christum præterea rectè credit ille speciatim esse exercitus illius sui singularis, id est, Ecclesiæ & electorum שר Sar & אדון Adon summum, id est, dominum, ducem, principem, regem, caput, pastorem, sacerdotem, doctorem, prophetam, maritum, sponsum, mediatorem, aduocatum, patronum, tutorem, seruatorem & redemtorem. Ecclesia etenim verè est exercitus Dei, exercitus diuinus & cœlestis, cuius milites innumerabiles sunt singula Ecclesiæ membra, id est, fideles & electi, cuius Imperator quidem est Christus, duces autem inferiores sunt Ecclesiæ ministri, cuius tubæ, buccinæ & signa sunt Verbum Dei & Sacramenta: cuius signum & vexillum est crux Christi, cuius ordo & εὐταξία est admirabilis, cuius panoplia, quam Paulus describit, est validissima, cui bellum in hoc Mundo atq; pugna est cum ipso Mundo, cum Diabolo, cum carne, cum Antichristo ἄσπονδος καὶ ἀκατάλλακτος continua & irreconciliabilis, vt Græci loquuntur, cuius victoria est Fides, cuius deniq; præmium, laurea, corona ἀμάραντος καὶ ἀμίαντος, ouatio atq; triumphus est regnum cœlorum, cœlestis & æterna illa hæreditas, gloria, lætitia, voluptas ac beatitudo.

Christum quinetiam credimus, vt hic שר Sar, id est, princeps exercitus Dei & אדון Adon nominatur, esse principem illum magnum, stantem pro filijs populi sui, vt est apud Danielem cap. 12. esse

מושל Moschel, *id est, dominatorem, qui ex Betlehem Ephrata secundum carnem egressus est, cuius exitus fuit ab æterno, qui stabit & pascet in fortitudine, & in magnificentia nominis Dei sui, vt multi conuertantur, eritq; pax, vt Micheas de illo vaticinatus est. Illum esse Principem pa is, qui puer natus est nobis, filius datus est nobis, super cuius humerum factus est principatus, cuius nomen est.* Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. *Christum credimus esse Dominum gloriæ, pro nobis crucifixum, vt in Actis appellatur, in cuius femore & vestimentis, vt legitur in Apocalypsi. scriptum est,* Rex Regum, & Dominus dominantium, *esse* ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, *vt Petrus,* ἀρχηγὸν πίστεως καὶ τελειωτὴν, *id est, fidei ducem & perfectorem, vt Paulus eum appellat.*

Heb. 12 §.

Angelus quomodo dicatur nüc venisse.

Tertiò Angelus hic magni consilij addit: Se venisse, *& quidem* Nunc venisse. *Subintellige ad ei totique populo subueniendum & opitulandum, ad hostium vim ab illis repellendum, ad ferendum illis opem, ad arcendos eorum hostes, & quidem* Nunc, *id est, tempore opportuno, maturo atq; commodo.*

Etsi verò Christus olim venit ad Patriarchas, & Patres veteris Testamenti secundum Deitatem suam suo Spiritu atque gratia, & quidem πολυτρόπως, *multifariam, multisque modis ijs apparuit, seque illis patefecit: tamen* Nunc, nunc, *inquam, hoc est, in plenitudine temporum, tempore maturo ab ipso Deo definito, non casu & fortuna, sed singulari Dei consilio ac voluntate, non frustra, sed ad salutem generis humani, venit admirabili, ineffabili, incomprehensibilique modo, secundum illa Pauli ad Galatas quarto capite:* Quum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, *&c. De hoc quidem eius aduentu eiusque causis & effectis saluberrimis plurima extant in nouo Testamento testimonia consolationis salutaris plenissima. Est autem hic eius aduentus, vt vno verbo dicam, eius* ἐνανθρώπησις, *siue* ἐνσάρκωσις, *carnis siue natura*

humana

humana assumtio: Venit, *inquit Augustinus*, non per loci muta- Lib. 6. Confes.
tionem, sed per humanitatis assumtionem: ipsum assume-
re fuit venire. Et sic sæpè eius incarnatio vocatur aduen-
tus ratione humiliationis & manifestationis per carnem. ¶.
Non per locorum spatia veniendo, *inquit idem*, sed in car-
ne mortali mortalibus apparendo venisse ad nos dicitur. Lib. 1. de doctrina Christi cap. 11.
De hoc Christi aduentu Daniel: Quum venerit, *inquit*, San-
ctus Sanctorum cessabit vnctio. Ipse est lapis ille abscissus Dan. 9
de monte sine manibus concidentium. *Zacharias*, Ecce, Zach. 9
Rex tuus, *inquit*, Sanctus Spiritus instinctu venit tibi iustus
& Saluator, qui quidem afflictus est sedens super asinum,
& super pullum filium asinæ.

Hoc etiam aduentu Christi non solùm eius conceptio, & natiuitas, sed totum redemptionis opus, quod Christus pro nostra salute peregit, & adhuc peragit, intelligitur. Iohannes Baptista πρόδρομος Christi, siue, vt à Tertulliano vocatur, præuius, anteambulo, testis atque præco sanctissimus interrogatus fuit à Iudæis, sit ne ille Veniens, *an verò alius sit expectandus, id est, sit ne multis antè seculis promissus ille à Deo per Prophetas Meßias, ille* שילה Siloh, *qui à Deo in hunc Mundum sit mittendus, quique sit venturus ad Mundum redimendum, cuius aduentus ardentissimè à Veteribus desideratus & exoptatus fuerat?*

Hunc ipsum ergo credimus iam venisse, & non alium esse expectandum. Christum credimus esse illum benedictum, venientem in nomine Domini, quem venire oportuit ad redimendum & seruandum genus humanum. Christum Filium hominis credimus & confitemur, quemadmodum ipsemet de seipso testatur ad Zachæum, venisse se ἐς τὸ ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς, *id est, ad quærendum & seruandum, id, quod perierat, nempe perditissimum genus humanum, perditas, vagas, errantes, aberrantes à tramite salutis oues.*

Christum credimus & confitemur, vt ipsemet de seipso testatur, venisse in nomine Dei, id est, à Deo missum, ad gloriam Dei & salutem hominum illustrandam ac promouendam. Iesum Christum credimus & confitemur, vt S. Paulus loquitur, venisse in Mundum

1. Tim. 1. ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ad peccatores seruandos, *qui quidem est λόγος, vt idem Paulus ait,* πιστὸς καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, Sermo fide & assensione approbationéue certa dignissimus. *Christum credimus esse* θεὸν ὃς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. *Id quod Paulus dicit* ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, *id est*, consensu & confessione piorum magnum pietatis esse mysterium. *Iesum Christum credimus & confitemur* ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα *in carne venisse, etiam iuxta illa Iohannis:* Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum

1. Iohan. 3 in carne, ex Deo non est, & hoc est Antichristi, de quo audiuistis, *&c.*

Postremò postquam Angelus hic magni consilij Iosuæ suam personam, suas naturas, diuinam & humanam, suum denique munus & officium, de quo suprà, patefecit, interrogatus ab eodem, quid facto sit opus, respondit breui mandato, quod dedit. Id etsi breue admodum est & vile videtur: tamen si penitiùs introspiciatur, ac diligenter consideretur, constabit, illud grauissimum esse pœnitentiæ præceptum et ferè compendium totius legis & Euangelij. Præcipit igitur ei, vt calceos soluat ac deponat, *addita hac ratione,* quòd locus sit sanctus.

Mandatum de depositione calceorum.

Simile mandatum calceos soluendi Angelus ille, qui Moysi in flamma ignis ruboq; ardente apparuit, ei dedit, de quo suprà: qui Angelus idem videtur fuisse, qui Iosuæ Moysis ministro & successori apparuit. Hac verò calceorum depositione pedumq; nuditate Angelus ille magni consilij vtrunq;, nempe & Moysem & Iosuam, ad religiosam Numinis diuini reuerentiam excitare voluit. Omnes namq; eos, qui ad Deum accedunt, Maiestatem eius verè serioq; revereri, &

omnibus

omnibus cogitationibus, curis, sollicitudinibus, affectibus terrenis ac humanis liberos atq; solutos, rerum diuinarum atq; cœlestium meditationibus decet animis suis vacare ac studere. Est praeterea praeceptum hoc non tàm corporaliter & secundum literam, quàm allegoricè & spiritualiter intelligendum. Calcei siue Calceamenta partim quia animalium mortuorum pellibus constant, & ex ijs conficiuntur, partim quia terram calcando facillimè sordibus, pulueribus atq; luto inquinantur & contaminantur, impuritatis & immunditiae non modò corporis, sed etiam inprimis animi, mentis, cordis, affectuum ac vitiorum peccatorumq; sunt symbolum. Est igitur haec Legis simul & Euangelij concio atq; praeceptio, quae non ad Iosuam tantùm, sed ad nos omnes pertinet, vt nimirũ non tàm corporis & pedum, quàm animi, mentis cordisq; calceos veteres, pertusos, consutiles, sordidos, fœdos, lutosos (cuiusmodi fuerunt illi Gabaonitarum calcei) hoc est, errores, opiniones, cogitationes, affectus, cupiditates prauas, vitia, opera carnis deponamus & abijciamus, vt exuamus pellem brutorum & mortuorum animalium, id est, veterem Adamum, & noui hominis, id est, Christi pellem atq; vestem (quae primis illis primorum nostrorum parentum pellibus & vestibus fuit adumbrata) induamus, accincti & parati ad audiendum simul & praedicandũ Euangelium, quod est laetissimus nuntius atq; testimonium verae solidaeq; pacis, pacis nostrae cum Deo, & nobiscum inuicem.

Calcei in genere cuius rei symbolum.

Praeterea cùm alterius calcei solutio ac depositio olim cessionis de iure, subiectionis & humilitatis fuerit symbolum (cuius ceremoniae illustre exemplũ extat in historia Ruth) hac similiter, quae Iosuae praecipitur, calcei solutione ac depositione significatur iusta debitaq; nostri abnegatio & cessio de iure, potestateq; nostra & naturae et carnis, vt nos totos Dei imperio potestatiq; dedamus, dedicemus, consecremus: nosq; humiliemus sub potenti eius manu.

Vnius duntaxat calcei depositio quid notet.

Sed non silentio est praetereunda huius praecepti αἰτιολογία, quae subiungitur: Quia locus est sanctus: vel vt LXX. verterunt, Quia terra est sancta. Sic Exodi tertio similiter ob Angeli illius

αἰτιολογία praecepti de calceorũ depositione.

præsentiam, locus, in quo Moysi apparuit, sanctus appellatur. Eadem ob causam locus, in quo Angelus Iacobo Patriarchæ visus est, & Bethel, id est, domus Dei, & schahar El, id est, Porta Dei, & Penuel, id est, facies siue vultus, siue visio Dei appellatur. Hic autem locus sanctus, hæc terra sancta, hæc domus Dei, hæc porta Dei, hæc visio Dei est Ecclesia: cui quidem Deus perpetuò adest, interest, imò præest. Ecclesia namq; est locus & terra sancta, terra, vt sæpè appellatur, viuentium: cuius terra illa Chananæa, quæ terra sancta & promissionis, fuit typus, in qua sanctissimum Dei verbum, sanctissima sacramenta, sanctissima disciplina, sanctus ille sanctorum, id est, Christus regnat, qui illam spiritu suo sancto sanctificat. Ecclesia est reuera Dei domus, Dei porta supra Christum, tanquam fundamentum atq; petram solidissimam ædificata, cui portæ inferorũ non possunt præualere. Ecclesia est verè Penuel, in qua Deus nobis apparet: in qua sese per Verbum & Sacramenta sua, tanquam per specula speciosissima & clarissima nobis spiritus sanctus lumine illustratis conspiciendum præbet. Hæc ipsa quoq; nomina & elogia, quibus Ecclesia insignitur nobis merito pœnitentiæ, sanctitatis & religionis debent esse inuitamenta.

Abusus depositionis calceorum quis.

Ex hac autem duplici & quidem antiquissima visione atque historia cùm Iudæi, tùm Ethnici κακοζηλία quadam superstitiosarum potius, quàm religiosarum ceremoniarum occasionem sumpserunt.

Apud Hebræos moris fuit, vt voti rei raso vertice nudisque pedibus sacra facerent, vt de Bernice verba faciens Iosephus testatur libro secundo belli Iudaici. Iudæi asserunt sacerdotes discalciatos omnia sua sacra in templo obijsse. Romani habuerunt Nudipedalia sua sacra: quorum etiam Tertullianus in Apologetico suo meminit. Inter Pythagoræ, Philosophi antiquissimi symbola hoc quoque numeratur: Nudis pedibus rem diuinam facito & adorato. Lacedæmonios quoque legimus nudis pedibus adorare, & rei diuinæ vacare fuisse solitos. Quid hodie à Christianis

fiat,

sciat, est notissimum. Non opus est multis verbis. Etsi verò non improbandæ sunt omnes ceremoniæ, quæ reuerentiæ causa in sacris adhibentur: vt est capitis denudatio, genuum flexio, & aliæ id genus (modò absit hypocrisis & superstitio) tamen hoc Dei præceptum, quod Moysi & Iosuæ datum est, existimandum est fuisse singulare & extraordinarium, non autem generale & perpetuum: & idcircò non, vt etiam alia id generis, temerè ad imitationem trahi debet. Non enim pedum, vel etiam capitis, vel aliarum partium corporis denudatio, ac nuditas, sed pectoris nuditas. id est, sinceritas & integritas, vacuitas à fraude, dolo, hypocrisi, prauis opinionibus & affectibus Deo grata est & iucunda. Itaque cùm omni in loco omnique tempore, toto vitæ nostræ curriculo, tùm in templis, loco cœtuque sacro & publico, in quo prædicatur & auditur Verbum Dei, sacra mysteria celebrantur, preces ad Deum funduntur, vbi Deus adest suo Spiritu, vbi adest tota Trinitas, vbi adest Angelorum chorus, deponendi nobis & abijciendi sunt calcei sordidi, hoc est, omnes terrenæ, mundanæ, carnales, humanæ & prophanæ cogitationes, affectus, cupiditates, & agenda meditandaque sunt tantùm spiritualia, cœlestia, sacra, diuina & æterna, ad æternam vitam spectantia. Olim apud Romanos moris fuit, vt accessuri ad mensam calceos prius deponerent, pedesque lauarent: ita multò iustiore de causa nos accessuri ad sacrosanctum Baptismum, ad Cœnam Dominicam & sacrosanctam, ad oraculorum diuinorum auditionem, tanquam ad mensam & pastum animarum nostrarũ saluberrimum, ad vitulos labiorum nostrorum, id est, vota precesque nostras Deo offerendas, impuros & immundos prius nostros calceos, id est, affectus, vt iram, odium, inuidiã, maleuolentiã, ambitionẽ, auaritiã, libidinẽ & alias cupiditates nefarias abijcere debemus: vt nõ illotis, sed lotis purisque pedib⁹ & manib⁹, id est mentib⁹ & affectib⁹ ad illa accedam⁹. Esset etiã, vt hoc quoque addã, magnopè optandũ et expetendum, vt accessuri ad loca cœt⁹que illos sacros, ad sacra mysteria, tanquã rei multorũ peccatorũ læsæ diuinæ Maiestatis supplices, deposito ab-

tectoq; omni & calceorum & pileorum & indusiorum & thoracum & tunicarum & caligarum & palliorum & manicarum & chiroteca-rum & aliorum vestimentorum, monilium, ornamentorum exotico-rum, peregrinorum, operosissimorum, sumtuosissimorumq; luxu atque luxuria, quæ libidinum potiùs & cupiditatum prauarum, quàm pieta tis religionisq; sunt incitamenta, ad irritandam magis, quàm placan-dam iram diuinam spectant, gestu habituq; simplici, modesto, patrio, frugali, & decoro ad illa nostra sacra mysteria, preces, vota & elee-mosynas accederemus.

Considera-tio personæ videntis.

Et hæc sint de persona, quæ à Iosua visa fuit, dicta. Quantum verò ad personam videntem, hoc est, Iosuam ipsum attinet, in illa multa egregia cùm religionis, tùm vitæ morumq; documenta propo-nuntur, quæ cum omnibus hominibus, tùm præcipuè Rerumpublica-rum, Regnorum & Ecclesiarum moderatoribus ad imitationem pro ponuntur.

Iosua ocu-los in al-tum sustu-lit.

Iosua igitur oculos in altum dicitur sustulisse, nimirum vrbis re-gionisq; Hierichuntinæ perlustrandi & alia quoq; necessaria cognitu inspiciendi & contemplandi causa. Obseruanda hîc est Iosuæ indu-stria, prudentia, cautio & circumspectio, omnia diligenter exploran-di cognoscendiq; studium: quæ Imperatoris in bellis propriè iudicari debent virtutes. Non rem ipse negligens, securus atq; socors alijs committit, sed singula oculis suis perlustrat, peruidet & explorat. Nam, vt peruulgato nostro fertur prouerbio: Si feliciter & ex ani-mi tui sententia res tibi vis succedere, fac illarum sis ipsemet specta-tor: Wilt daß dir geling/ so lůg selbs zů deim ding. Belli itaq; ducem decet esse vigilantem, cautum, prouidum & circumspe-ctum, & vel Argo oculatiorem, rerum omnium obseruantissimum. Notum enim est & hoc prouerbium: In bello non licet bis pec-care. In alijs namq; rebus mala instituta posterioribus consilijs me-lioribus possunt corrigi. At in bellis id facere non licet. Idcirco & Scipio Africanus dicere solebat, turpe verbum esse Imperatori dice-re: Non putâram. Et Iphicrates cùm in amicorum & sociorum

agris

agris exercitum habens, castra nihilominus vallo & fossa optimè munijsset, interrogatus cur id faceret, fertur similiter respondisse, pessimam hanc esse & Imperatore indignissimam vocem: Non putâram. Sic Reges atque duces in bellis præsertim gerendis cautos, circumspectos, vigilantesque esse decet. Non dubium etiam est, quin Iosua sublatis in cælum oculis Deum exercituum in tanto periculo ardentissimè toto pectore inuocauerit & opem auxiliumque eius implorârit. Ita Christum & alios sanctos legimus sublatis in cælum oculis & manibus Deum adorâsse & inuocâsse. Sic cùm Reges & duces, tùm omnes verè Christiani in grauissimis creberrimisque suis periculis ad Deum, tanquam ad sacram ancoram, ad asylum portumque salutis suæ confugiunt eumque sine cessatione & intermissione inuocant & precantur, vt sibi sit propitius, sibi & suis auxilio sit atque præsidio.

Est simul obseruatione dignum, quòd Iosua oculos non tàm corporis, quàm mentis suæ, non humi, non in rebus & auxilijs humanis defixos habet & depressos sed illos attollit in altũ, in sublime, ad Deum, ad cælum, ad contemplationem Dei rerumque diuinarum & cælestium. Hoc autem est cuiusuis hominis Christiani officium.

Plinius lib. 8. cap. 21. & Ælianus lib. 7. cap. 5. suæ historiæ meminerunt cuiusdam bestiæ tauro similis, caput prægraue ægrè ferentis, aspectu terribilis, quæ non directè, sed ad terrã versus intuetur, caputque semper deiectum in terram (vnde κατωβλέπων, Catoblepus, siue Catoblepas, id est, deorsum intuens appellatur) habet, funestæ humano generi, omnibus qui oculos eius viderunt, confestim expirantibus. Non igitur homines feræ ac venenatæ illius bestiæ more καταβλέπειν, sed ἀναβλέπειν decet (vnde etiam ἄνθρωπος Græce dictus quasi ἄνω τὴν ὄπα ἔχων, vel ἄνω θεωρῶν) secundum scita illa S. Pauli verba: εἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ χριστῷ τὰ ἄνω ζητεῖτε, οὗ ὁ χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ καθήμενος, τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς: Quòd si igitur consurrexistis, inquit, cum Christo, ea, quæ supra sunt, quærite, &c.

Ipsi quoque Ethnici, naturã duce & magistra, homini idcircò vultum

ſublimẽ & excelſũ affirmarũt fuiſſe tributũ, vt ſublimia & cœleſtia non terreſtria cõtemplemur. Vnde Ouid. lib. 1. Metamorph. ſic canit:

Os homini ſublime dedit, cœlumq́ue videre
Iuſsit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Quiuis igitur Chriſtianus Ioſuæ exemplo mentẽ cogitationẽq́ ſuam ſæpè in cœlũ erigit & extollit, & neglectis cõtemptiſq́ rebus humanis & terreſtribus, Deũ reſq́ diuinas & cœleſtes intuetur ac contemplatur, ex innumeris ſeipſũ ærumnis, doloribus ac moleſtijs, quibus diuexatur, reficiendi recreandiq́ gratia.

Quod itẽ Ioſua oculis ſuis in cœlũ ſublatis vidit, id, quod erat viſu & ſpectatu digniſſimũ, quodq́ ad ipſius & totius populi cõſolationem & salutẽ pertinebat, nempe Angelũ illũ magni cõſilij, qui aderat tanquã cõſolator & opitulator fideliſsimus: inde colligimus, eos, qui corporis mentiſq́ oculos non habent clauſos, ſomno oppreſſos, deiectos humi, ſed apertos, vigilantes, erectos & intentos rebus honeſtis ſiue corporalibus ſiue ſpiritualibus, plurima videre ac prouidere (Deo nimirũ illorũ oculos mentis ſuo ſpiritu illuminante) quæ alios latent, quæ ipſis & etiã alijs maximo poſſunt eſſe vſui, cõmodo & ſaluti. Ita quoque quiuis Chriſtianus, quoniã mentis ſuæ oculos ſæpiſsimè habet ſublatos in altũ, ad Deũ, ad cœlũ: idcircò videt, perſpicit ac proſpicit S. ſpiritus lumine plurima, quæ ad ipſius & proximi ſui ſalutẽ ſpectant.

Iosuæ magnanimitas

Obſeruanda quinetiam eſt Ioſuæ μεγαλοψυχία, hoc eſt, alti & excelſi animi robur ac fortitudo. Non etenim conſpecto illo viro armato, quem verũ putabat eſſe virũ, & quidẽ vnũ ex hoſtiũ numero non terga vertit, ſeq́ turpi fugæ mandauit: ſed etiam ad illũ, ſtrictũ licet manu ſua tenentem gladiũ, propius acceßit, illũ eſt allocutus: paratus etiã, ſi neceßitas poſtularet, manus cũ illo conſerere: id quod argumento fuit egregiæ illius fortitudinis. Sic Imperatorẽ minimè oportet eſſe timidũ atq́ pauidũ, ſed animo Herculeo & leonino, imperterrito & impauido. Fortes enim & audaces Fortuna, ſeu Deus potius adiuuat.

Eſt præterea animaduerſione dignum, quòd Ioſua non ſtatim

ac timo-

ac temerè in virum illum, hostis præ se ferentem speciem, impetum facit, sed illum prius alloquitur & interrogat, quis nam sit, sit ne amicus, an inimicus? Sic quemuis belli ducem, fortem quidem decet esse atq; strenuum, magno excelsoq; animo, sed non nimis audacem, temerarium ac præcipitem: ita vt statim, rebus prius non benè exploratis, in quosuis impetum faciat, seq; sine causa in quæuis pericula maxima conijciat. Nam vt 1. Offic. inquit Tullius, temerè in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est. Sed cùm tempus est, necessitasq; postulat, decertandum manu est, & mors seruituti turpitudiniq; anteponenda, *Et paulò pòst:* Nunquam omnino periculum fugæ est committendum, vt imbelles timidiq; videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda Medicorum est, qui leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. *Similiter duces & imperatores non decet esse φιλοκινδύνους, hoc est, nimis facilè, ne dicam, temerè caput suum quibusuis periculis obijcere & vitæ suæ atq; saluti ita tutiùs consulere.*

Iosua alloquitur Angelum.

Iam verò quemadmodum Iosua sese gessit erga Angelum hunc magni consilij, id est, filium Dei: eodem modo quiuis Christianus princeps sese erga eundem gerere debet.

Primùm autem Iosua dicitur Angelum illum magni consilij vidisse oculis scilicet corporis, cùm hominis siue viri specie atq; forma ei apparuisset, quod, vt iam aliquoties monui, futuræ eius apparitionis veræ & hypostaticæ, hoc est, incarnationis fuit quasi σκιαγραφία, seu adumbratio. Et in hac quidem assumta carne ὤφθη ἀγγέλοις, id est, visus est Angelis, *vt Paulus loquitur, itemq; plurimis hominibus in his terris cum incredibili ipsorum lætitia ac voluptate, non tàm oculis corporeis, quàm oculo illo animi oculatissimo, id est, vera fide, qua illum sunt amplexi.*

Vsus eorum, quæ de Iosua dicuntur.

Sic hodie quoq; quilibet Christianus hoc nomine verè dignus Christum θεάνθρωπον, Dei hominem, *si ita licet vertere, hoc est, verum Deum & hominem, Deum manifestatũ in carne videt oculo suæ mentis atq; animi, nempe fide ad suam salutem cum maximo animi sui gaudio ac delectatione. Quemadmodum igitur olim Israelitæ in deserto mortiferis serpentum venenatorum morsibus sauciati, serpentem illum æneum in pala suspensum cernendo ac intuendo mortis periculo liberati sanitati restituebantur: Sic quilibet Christianus persuasissimum habet, se aliosq; homines tartarei illius serpentis siue draconis morsu morti addictos & mancipatos, Christum, vt ipsemet docuit & testatus est, crucifixũ, qui serpentis atq; vermis vilissimi speciem præ se tulit, intuendo, hoc est, in illum credendo ab æterna illa morte liberatos æternæ vitæ fore participes. Etsi igitur nunc corpus illius clarificatum non videt oculis suis corporeis, quod nunc non est neq; visibiliter neq; inuisibiliter in terris sed in cœlis, vt sacra scriptura & symbolum Apostolicum testatur: ibiq; manebit donec redierit ad extremum iudicium: tamen illum videt totum oculo illo animi sui, hoc est, nimirum in eum credendo: ita vt cum Simeone illo iusto dicere possit (qui Christum non tàm corporeis oculis, quàm spirituali oculo viderat, nec tàm corporis manibus atq; brachijs, quàm spirituali sua manu atq; brachio, id est, vera fide cõplexus fuerat:)* Luc.2. Dimitte nunc ô Domine, seruum tuum: quia oculi mei viderunt salutare tuum. *Recordatur etiam sæpè verborum illorum Christi ad sanctum Thomam Apostolum:* Tu Thoma, quia vidisti scili- et ocu*lis corporeis manus, corpus & mea vulnera,* credidisti: sed beati, qui non vident, & credunt tamen. *Sperat deniq;, & firmiter credit, se Christum in fine seculi, in extremo illo die etiam secundum carnem, id est, humanitatem venientem ad vniuersale illud iudicium in nubibus cœli magna cum maiestate, innumerabiliũ Angelorũ comitatu, etiam oculis suis corporeis visurum, & perpetua, æterna, beatissima ac iucundissima Dei patris, filij & spiritus sancti cõtemplatione de facie ad faciem, vt sacræ loquuntur literæ, in cœlis fruiturum.*

Deinde

Deinde quemadmodum Iosua ad Angelum hunc magni consilij visum à se & conspectum propiùs dicitur accessisse: ita homo pius & fidelis non corporis, sed animi fideiq́ pedibus ac passibus seu affectibus ad Christum propiùs indies accedere studet secutus humanissimã illius inuitationem atq́ promissiones: Venite, *inquit,* ad me omnes, qui laboratis. *Item:* Qui venerit ad me, illum non extrudam foras. *Nemo tamen, vt idem testatur, ad eum venire, id est, in eum credere potest, nisi Pater traxerit eum, siue, vt alibi eodem sensu loquitur, nisi ei à Patre datum: cùm fides sit Dei donum.* Math. 11 Iohan. 10

Præterea, vt Iosua Angelum hunc magni consilij diligenter interrogauit, quis nam & qualis sit? Ita quiuis Christianus Christi, eius nimirum personæ, naturarũ, muneris & officij cognoscendi debet esse cupidissimus, operãq́ dare vt maiores indies in Christi cognitione progressus faciat: in qua non ignorare debet salutem nostram esse sitam, iuxta id: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & eum, quem misisti Iesum Christum. *Item iuxta illa Ieremiæ verba:* Notitia sui saluabit multos. *Vnde cum S. Paulo ait,* se nihil scire nisi Christum & hunc crucifixum. *Atq́ hæc quidem est scientia scientiarum, ars artium, sine qua omnes reliquæ artes atq́ scientiæ omnisq́ aliarum rerum cognitio hominibus magis est condemnationis, exitij atq́ interitus, quàm salutis causa. Vnde rectè Poeta ille Christianus cecinit:* Iohan. 17

Si Christum nescis, nihil est, quòd cætera discis.
Si Christum benè scis, nihil est, quòd cætera nescis.

Christum autem cognoscimus illum interrogando: quod fit, cùm assiduis & religiosis votis ac precibus tùm iugi & indefessa sacrarum literarum, quæ, vt ipsemet ait, de illo loquuntur, lectione, auditione ac meditatione.

Porrò Iosua postquam hunc virum ex ipsius responso cognouit, non esse hominem, sed Angelum, & quidem magni consilij è vestigio sese coram illo humiliat & præ timore atq́ reuerentia eius nominis se abijcit & prosternit in terram super faciem, illum adorat, colit, ac

veneratur, illum agnoscit & confitetur suum Dominum, ex illo quærit, quid sibi facto sit opus, quid à se fieri velit, se totum ad nutum eius & imperium aggregat, promtum se paratumq; esse profitetur ad capescenda & exequenda quæuis eius iussa ac mandata, omnia deniq; ei offert sua studia, officia & obsequia.

En hîc habemus quasi compendium quoddam totius religionis & omnium virtutũ, quæ quouis Christiano homine & Principe inprimis dignæ sunt: cuiusmodi est fides, humilitas, timor, charitas, obedientia, pœnitentia, innocentia & supplicatio, quæ hoc Iosuæ gestu atq; sermone ad Angelũ hunc habito nobis quasi vno fasciculo cõprehenduntur.

Primùm igitur fidem adhibet Iosua magni huius Angeli verbis, quæ quidem fides ex Dei inspiratione promanans initium est ac fundamentum, fons & origo omnium reliquarum virtutũ & bonorum operum. Hæc autẽ Iosuæ fides ex his ipsis dictis & gestibus elucescit: Ita homo Christianus fidem adiungit verbo diuino: quæ quidem nostra est victoria, qua carnem, Mundum & Diabolum vincimus.

Deinde Iosua, qui steterat, qui oculos suos sustulerat in altum, conscius sibi suæ miseriæ & indignitatis præ pudore & timore sese abijcit atq; prosternit in terram, humi prostratus iacet, faciem vultumq; suum abscondit: Quibus gestibus significat, se puluerem esse atq; cinerem ex terra natum & ad terram rursus eum redigendũ, atq; adeò indignum esse Dei conspectu: cuius maiestatis fulgorem ferre non possit. Est ergo corporeus hic illius gestus quasi tacitus quidam sermo, ac demissi, abiecti, fracti, contriti eius animi, agnoscentis suam indignitatem atq; miseriam, timoris quin etiam humilitatisq; singularis testimonium: Ita agnoscere & confiteri quotidie coram Maiestate diuina suam quisq; culpam, sua peccata, suam miseriam debet, ac licet magno honore, dignitate, maiestate, virtutibus multis præstet & antecellat singulari Dei gratia reliquis hominibus, tamen hominem se esse mortalem, fragilem, caducum, multis peccatis inquinatum, & idcircò indignum Dei gratia: ira autem eius & æterna morte dignissimum. Quapropter à Dei iustitia atq; seruitute prouocat animo votisq;

tiúq; suis supplicibus ad eius gratiam atq; misericordiam Christiq; meritum, quo solo nixus fretusq; spem habet vitæ & salutis æternæ certißimam.

Præterea, vt Iosua hunc ipsum Angelum, Christum adorat & inuocat (adorationis aũt nomine cultus vniuersus Deo debitus significatur, qui quidem in fide, spe, charitate, timore & inuocatione cõsistit:) Ita homo Christianus vt in Christum θεάνθρωπον credit: ita eum, tanquam vnicum suum seruatorem & redemtorem ardenter, humiliter & aßiduè amat, timet, & inuocat, eumq; sibi amandum, reuerendum & inuocandum esse ducit. Item vt Iosua hunc Angelum confitetur esse Dominum & quidem suum Dominum, qui ius potestatemq; habeat quiduis sibi imperandi & iubendi: & idcircò se vicißim eius profitetur esse seruum, pronũ atq; procliuem ad eius voluntati, quam cognoscere cupit, eiusq; mandatis obtemperandum: Ita cuiq; nostrûm nihil debet esse prius & antiquius, quàm vt voluntati legiq; diuinæ parere & obsequi poßit.

Postremò quemadmodum Iosua iussus ab Angelo hoc calceos suos exuere atq; deponere, cùm locus in quo versetur, sacer sit, nempe propter ipsam Angeli præsentiã, sine mora & cunctatione omni ei morem gerit, & mandatum hoc eius exequitur: Ita quilibet etiã Christianus magis ac magis suos calceos pueriles, vt vulgò loquuntur, id est, suam carnẽ, veteremq; hominẽ secundũ Christi præceptũ debet mortificare & crucifigere, hoc est prauis suis desiderijs, concupiscentijs, cupiditatibus & affectibus renũciare ac valedicere & vitæ morumq; nouitati, veræ seriæq; pœnitẽtiæ studere. Atq; hactenus de hac nobilißima, pulcherrimaq; apparitione, quæ Iosuæ seruo & successori Moysis facta est.

Sequitur Iobi quoq; (quẽ pleriq; Patriarcharũ temporibus vixisse volunt) historia antiquißima: quæ non minus atq; illa Iosuæ historia, Angelorũ naturæ, officij, tutelæ atq; custodiæ testis est locupletißima. Historia Iobi.

Vir ille sanctißimus (qui historiæ illius subiectũ & argumentũ est præcipuum, atq; etiam, vt nonnulli volunt, scriptor) plurimis grauißimis ac penè intollerabilibus animi, corporis fortunæque malis

atq; tormentis exercitus cœlo terraq; ab hominibus pariter ac Dæmonibus horrendum in modum afflictus ac diuexatus clarum profectò et illustre cùm fidei, sanctitatis, patientiæ, humilitatis, constantiæ & aliarum virtutum præstantissimarum exemplum, tùm diuinæ prouidentiæ, iustitiæ atq; misericordiæ documentum, tùm deniq; Mundi rerumq; humanarū varietatis, inuolubilitatis, inconstantiæ atq; vicissitudinis perpetuæ specimen siue speculum extitit. Hanc verò historiam authenticam, canonicam, sacram & diuinam, grauissimis fructuosissimisq; mysterijs, præceptis documentisq; refertam, vitæ officiorumq; omnis generis magistram, temporibus præsertim hisce nostris luctuosissimis atq; casibus accommodatam valde & appositam animo suo sæpè quiuis Christianus meditari debet. Et quoniam illa ad eos potissimum pertinet, qui grauissimis à Deo exercentur miserijs atq; periculis: idcirco non ineptè HENRICO IV. serenissimo ac potentissimo illi Gallorum & Nauarrorum Regi: cuius vita vt calamitatum: ita etiam patientiæ quasi theatrum splendidissimum adhuc extitit, videtur posse applicari. Nam primum quemadmodū vir & genere, & virtutibus & dignitate & fama & diuitijs nobilissimus ac præstantissimus, Satana eiusq; satellitum ac ministrorum calumnijs, insidijs, atq; furore, Deo id permittente, sapientissimeq; moderante subitò non pecorum tantùm atq; famulorum, sed etiam liberorum, tanquam pignorum suorum charissimorum, conuiuia lætissima tunc temporis agitantium iacturam fecit & ad extremam ignominiosamq; egestatem orbitatemq; est redactus: ita Rex HENRICVS (Iobo & generis nobilitate, & virtutibus heroïcis, & fama, & dignitate, & opibus nihilo ferè inferior) anno illo septuagesimo secundo (qui nequaquam secundus, sed aduersus, fatalis atq; funestus toti Galliæ extitit) in illa ipsa nuptiarum, conuiuiorum, ludorumq; regalium festiuitate atque lætitia subitò & improuiso cùm matre sua regina & heroïna beatæ gloriosæq; memoriæ, tùm plurimis, fidelissimis, charissimisq; suis propinquis, necessarijs, consanguineis, affinibus, amicis, familiaribus, ministris, officiarijs, subditis, qui ei liberorum charissimorum loco fuerant,

rant, cùm Lutetiæ in illa totius regni Francici metropoli, tùm passim per totum regnū vno eodemq; tempore ac penè momento fuit orbatus.

Fuit autem hac in parte tristior longè ac funestior Regis HENRICI, quā Iobi sors atq; fortuna. Iobus enim cùm cædis atq; exitij illius pecorum famulorumq; suorū immanissimi, qui partim Sabæorum Chaldæorumq; vi atq; impetu, partim igne cælitus delapso extincti fuerunt, tùm miserandi liberorū suorum interitus, qui triclinij illius, in quo epulabantur genioq; indulgebant, ruina subita oppressi fuerant, auditor tantùm fuit ac nuntios tristissimos accepit, non autem tragœdiarum illarū spectator esse coactus fuit. At Rex HENRICVS non modò nuncios ferè quotidianos accepit, quauis morte acerbiores de cæde immanissima plurimorū suorum amicorum, famulorum & propinquorum dilectissimorū, qui passim per totum regnum, tanquam pecora macello mactationiq; destinata trucidabantur: qui quidem nuncij tenerrimū eius pectus grauissimè proculdubio sauciabant, sed etiā, proh Dei hominumq; fidē, coram et præsens matris suæ charissimæ, iam iam ex veneno illo, quo infecta fuerat, moriturae & tot propinquorū, amicorum famulorumq; suorū, qui non secus atq; pecora ante eius conspectum mactabantur, cùm gemitus, suspiria, lachrymas, clamores, vocesq; lamentabiles audire, tùm ictus, vulnera, lanienā, cædem, cruorē atq; sanguinē, quo vrbs tota & Sequana flumen replebatur, tùm cadauerum deniq;, quorū plurimi passim erant acerui, quasi lignorū strues, in flumen protractionē atq; proiectionē coràm aspicere atq; intueri fuit coactus. Quid dicā, quòd laniorū quoq; atq; latronū illorum crudelissimorum cùm voces furiales atq; blasphemas, tùm ora atq; vultus hispidos, truces, Satyricos, horridos atq; diabolicos, tùm deniq; manus immanes et cruentas, quibus illi innocentissimis præstantissimisq; omnis sexus, ætatis, atq; conditionis hominibus necem indignissimā inferebant, auribus oculisq; suis castissimis atq; tenerrimis vsurpare ei necesse fuit. Quis dubitet, quin hoc tàm dirū, tàm funestū, tàm horrendū, miserandumq; spectaculū ei, qui ab omni crudelitatis specie vel minima penitus abhorret, mille instar mortium fuerit, animumq; mansue-

cissimum ac misericordissimũ maiori dolore excruciauerit, quàm vllis verbis exprimi queat? Nam, vt verè Cicero ait, Oculi augent dolorem: qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri cogit, nec auertere à miserijs cogitationem sinit. His adde, quod grauior HENRICI Regis, quàm Iobi, si spectes ea, quæ vterq; amisit, videtur iactura fuisse. Iobus enim præter liberos vtriusq; sexus (quæ quidem grauissima funestissimaq; eius fuit iactura) pecora tantùm atq; mancipia amisit vilia & abiecta. At Rex HENRICVS & matrẽ suã, Reginam serenissimam, inter quam & ipsum amor intercesserat flagrantissimus, & propinquos, amicos, famulosq; fidelissimos, maxima amplissimaq; dignitatis viros, quos ipse, tanquam liberos, siue fratres ardentissimo amore prosequebatur, & à quibus ipse tanquam pater seu frater vnicè fuit adamatus, eosq; non paucos, sed plurimos subitò ac vno quasi momento amisit.

Deinde vt Iobus amisso pecore famulitioq; suo subitò ex ditissimo & locupletissimo factus est pauperrimus ac mendicissimus cum summa etiã dignitatis existimationisq; suæ diminutione: ita Rex HENRICVS in bellis istis ciuilibus ac intestinis maximum bonorum fortunarumque suarum iacturam fecit, extremam sæpe & pecuniarum, quæ belli sunt nerui, & militum & commeatus perpessus est inopiam. Nec sanè stetit per hostes ipsius immanissimos: quin & à Pontifice Romano, (qui totius Reip. Christianæ caput vult haberi) & à Rege regniq; proceribus proscriptus, & totius quasi orbis Christiani prædæ expositus, regno fortunisque suis omnibus exutus fuisset ac spoliatus. Vnde etiam nonnulli fuerunt, qui opum fortunarumq; eius tenuitatem famosis & scurrilibus quibusdam libellis perstringere & exagitare non dubitarunt.

Præterea quemadmodum Iobi corpus sanum, vegetũ ac robustum repente Satanæ vi atq; iniuria, Deiq; permissione ac voluntate à vertice capitis ad plantam vsq; pedis fœdis ac dolorificis vlceribus deformatum fuit: ita vt cadaueri factum simillimum horrendum miserandumque fuerit spectaculum: Ita Regis HENRICI corpus sanum

sua

sua natura validum, robustum & pulchrum iam per multos annos perpetuis vigilijs, humicubationibus, cursibus, laboribus, doloribus, æstu, frigore, siti, inedia, quæ subijt ac perpessus est, plagis quoq; atque vulneribus, quæ accepit, iampridē exhaustum fuisset atq; consumtum: nisi Deus illud pro sua misericordia mirificè conseruasset. Pleuritide quoq; ante paucos annos grauissima & periculosissima prope Niortū laborauit, quam bellicis vigilijs atq; laboribus contraxerat, quo vel solo morbo cùm Medici iam omnē de eius vita spem abiecissent, fuisset confectus & extinctus: nisi Deus, qui illum ad maius opus reseruare voluit, medicam ei manum porrexisset. Quid dicam de animi ipsius quasi vlceribus, vulneribus atq; tormentis, quibus per tot annos ad hodiernum vsq; diem affligitur? His adde, quòd ipsius quoq; regnū atq; populus Francicus, qui illius est quasi corpus, cuius ipse est tanquam caput, fatali diuturnoq; illo bello ciuili plurimis horrendis vulneribus atq; vlceribus, id est, cladibus ac calamitatibus concisus, afflictus, deformatus ac tantum non planè deletus & excisus fuit?

Præterea vt Iobus in sterquilinio & cineribus sedisse, seu iacuisse potius dicitur: ita Rex HENRICVS *ad extremam redactus miseriam, seruitutem & ignominiam in Lutetiano illo luto atq; cœno, in illo quasi ergastulo omniumq; miseriarum sterquilinio iacuit per aliquot annos & volutatus est.*

Item vt Iobus in extremis istis miserijs constitutus, ipsi suæ coniugi thoriq; sociæ, nec non amicis & familiaribus suis, qui ei solatio & alleuamento esse debuerant, suspectus, inuisus, exosus, ludibrio atq; horrori fuit, multisq; ab illis opprobrijs, conuitijs atq; calumnijs fuit dilaceratus: ita Regem HENRICVM *constat iam per aliquot annos ab ipsa sua coniuge, à sua socru, à multis suis consanguineis, affinibus, amicis, domesticis ac familiaribus, de quibus ipse optimè meritus fuerat, non solùm verbis, sannis, opprobrijs, sed etiam vi, manu, copijs, omni insidiarum genere indignissimè crudelissimeq; petitum & oppugnatum fuisse.*

Verùm vt Iobus omnes has Diaboli, & hominū cùm externorum,

tùm domesticorum iniurias grauißimas, omnesq́ has miserias dolores, atq́ tormenta animi, corporis atq́ fortunæ penè intolerabilia æquißimo patientißimoq́ animo tulit: sic Regis HENRICI *admirabilis adhuc ac penè incredibilis, inuicta quodammodo & inexpugnabilis fuit in quibusuis inimicorum suorum iniurijs sustinendis atq́ toleran dis patientia, constantia, fortitudo, in ijsq́ non tàm persequendis & vlciscendis, quàm remittendis & condonandis clementia ac mansuetudo omnium admiratione dignißima.*

Porrò quemadmodum Iobus Satanæ eiusq́ satellitum vi atq́ vio lentia, Deo id concedente, in fortunis quidē atq́ familia sua & in ipso suo corpore funestißimas ac penè mortiferas plagas accepit: anima ta men eius atq́ vita, diuina munita sepe, vt ipsemet Satan confiteri fuit coactus, salua permansit & incolumis: ita Deus Opt. Max in diutur no isto belli ciuilis incendio atq́ flamma HENRICI *Regis vitam atque salutem angelico septam ac munitam præsidio miraculosißimè contra plurimorum potentißimorum, tùm externorum, tùm internorum, vel occultorum vel manifestorum hostium insidias, fraudes, fal lacias pariter atq́ vim apertam conseruauit atq́ tutatus est: ita vt omnes, quibus totus vitæ illius cursus probè cognitus est, illum merito mirentur adhuc viuere, nedum regnare.*

His adde, vt Iobus ex innumeris miserijs & calamitatib. Dei cle mentia atq́ misericordia singulari, liberatus pristinæ sanitati corporis dignitatiq́ fuit restitutus, atq́ ita Deus hanc illius, tanquam strenui athletæ, patientiam, fortitudinem atq́ constantiam amplißimis præmijs decorauit: Sic Rex HENRICVS *admirabili Dei potentia atque clementia ex ærumnoso, ignominioso periculosoq́ illo rerum statu ad altißimum dignitatis, honoris, atq́ opum gradum peruenit.*

Postremò quemadmodum Iobus, virtutibus licet præstantißimis fuerit præditus, tamen suos quoq́ habuit næuos atq́ maculas, vt sacra testatur historia, quas etiam ipsemet liberè & ingenuè est confessus, & neminem quidem mortalium, ne ipsos quidem Angelos coram Deo perfectè mundos esse docuit: ita Rex Henricus, tametsi omnium

nium ferè Christianorum confessione præclaris & eximijs virtutibus est ornatus secundum illud sapientissimum & verè Christianum dictum γνῶθι σαυτόν, id est, cognosce teipsum, tamen piæ modestiæ humilitatisq; memor, agnoscet & confitebitur coram Deo peccata sua atq; delicta, ea deplorabit ac lamentabitur, eorum veniam à Deo supplex flagitabit, veræ deniq; seriæq; pœnitentiæ magis ac magis, diuina adiuuante gratia, studebit.

Quoniam autem Iobus ille in omnibus hisce suis miserijs, ærumnis atq; periculis Angelorum, tanquam ministrorum Dei fidelissimorum tutelam atq; consolationem optimè est expertus, mirum non est, tàm luculentam eorum hoc ipso libro atq; historia mentionem fieri. Ac ab illius quidem statim initio speciosissimum profectò nobis Prouidentiæ diuinæ speculum atq; imago proponitur: ex qua liquidò apparet, Deum in totius Mundi huius administratione ad hominum partim defensionem, partim castigationem ac punitionem vti spirituum illorum cùm bonorum, tùm etiam malorum opera ac ministerio. In graphica autem hac Prouidentiæ diuinæ descriptione (quæ totius huius operis siue historiæ est quasi fundamentum) bonorum Angelorum primùm fit mentio his verbis, quæ deinde cap. 2. initio repetuntur: Et erat dies, veniebantq; filij Dei, vt sese sisterent, siue consisterent coram Domino.

His quidem verbis Angelorum cùm origo, tùm natura, tùm ministerium atq; functio breuiter quidem, sed plenè planeq; exprimitur & describitur. His subiungitur deinceps Satanæ mentio, qui ipse quoque in medium Angelorum venisse, & coram Domino stetisse dicitur.

Quantum autem ad Angelos bonos attinet, illi primùm filij Dei *appellantur: vt etiam secundo & 38. cap. Vnde facilè colligi potest, illos à Deo rerum omnium creatore, ante res visibiles esse conditos, & idcirco non esse propriè Deos, sed Dei filios: nec etiam Deo coæternos & creatores, sed Dei creaturas certo tempore ab illo conditas.* Angeli vocantur filij Dei.

Deinde filij Dei sunt & appellantur, non quòd eiusdem sint cum Deo essentiæ atq; naturæ, vt filius ille Dei vnigena, sed per gratiam

& adoptionem, & quòd cùm sint spiritus propiùs quàm nos, ad Dei, qui spiritus est infinitus & immensus, imaginem atq; similitudinem accedant. Præterea Angeli cùm sint Dei filij, Deo perchari sunt & iucundi, Dei tanquam patris sui sunt amantissimi, & ad ei in omnibus obsequendum promptissimi, sunt deniq; nostri fratres & cohæredes regni æterni salutisq; nostræ, dũ adhuc in his terris versamur, studiosissimi. Satanas quoq; et eius Angeli boni similiter à Deo ad ipsius creati imaginem, fuerunt Dei filij, sed propter superbiam & apostasiam suam turpissimam hoc filiorum Dei ius, dignitatem atq; nomen planè amiserunt, non Dei filij, sed hostes, nec regni cælestis, sed gehennæ ignisq; illius inextinguibilis facti hæredes.

§. Angeli quomodo venire & moueri dicantur.

Secundò Veniendi verbo Angelorum cùm motus propriè dictus de loco ad locum (qui cùm sit celerrimus, cursus atq; volatus creberrimè in sacris literis appellatur, illisq; alæ tribuuntur) tùm munus seu ministerium exprimitur. Ac primùm quidem Angeli, vt in genere omnes spiritus finiti, & mitti, & ire, redire, moueri de loco ad locum, in loco deniq; esse dicuntur, non quidem, vt corpora & res corporeæ, circumscriptiuè, & vera locomotiua (vt vulgò loquuntur) sed definitiuè (quoniam non est infinita illorum essentia) Vnde pluribus simul in locis esse non possunt magis, quàm corporeæ substantiæ, ac ne definitiuè quidem duo simul Angeli vno & eodem simul in loco esse possunt: quemadmodũ non solùm Theologi scholastici, sed etiam ante hos Didymus Basilius aduersus πνευματομάχους & alij Patres disertè ex sacris literis docuerunt. Quemadmodum autem spiritus, sua quamuis non quantitate circumscripta: tamen proprietate definitæ suæ naturæ atq; etiam distantiæ locorum respectu, ad quæ accedunt, & à quibus recedunt, propriè & sine tropo venire & abire, accedere & recedere dicuntur: sic ipsius Dei mittentis, infiniti & omnipræsentis habita ratione à loco ad locum transeunt, vt à Deo tamen infinito (qui est vbiq; non tantùm effectiuè, sed etiam essentialiter, incõprehensibiliter & omnia continens) abesse nusquam dici possint. Deinde quòd Angeli in cælo, in domicilio illo lucis & gloriæ habitare, coram Deo eiusq; throno stare, consistere, apparere, videre faciem

Patris, Deum celebrare, cœlitùs à Deo mitti, in terras descendere, inde in cœlos ascendere, & redire crebrò in sacris literis dicuntur. Sic illorum munus, eiusq́ functio diligens, expedita, promta & aßidua significatur. De Angelorum motu, loco intellectuali & materiali seu corporeo, & quomodo sint in loco, nempe, vt Damascenus loquitur, τῷ νοντῶς παρεῖναι, καὶ ἐνέργεῖν, hoc est, per operationem externam, quia in loco operantur, & vtrum vnus Angelus poßit simul esse pluribus in locis, & vtrum vno & eodem in loco plures simul poßint esse Angeli, vide Thom. Aquinam in Summa contra Gentiles lib. 3. c. 68. Substãtiæ, inquit ille, incorporeę sunt in loco per applicationem suæ virtutis, siue operationem externã, qua aliquid producitur in loco. Et sicut, inquit idẽ, impropriè sunt in loco (sunt enim in loco, quia in loco operantur, non aũt quia circumscribuntur loco) ita & impropriè possunt dici localiter moueri, quia videlicet successiuè sua virtute diuersa loca contingat, non autem quia diuersa loca occupent successiuè per continentiam â loco. Veniunt igitur Angeli è cœlis à Deo missi in terras ad homines, vt paßim testatur S. scriptura, tanquã nuntij mysteriorũ, decretorũ atq́; cõsiliorũ diuinorũ & vt doctores, magistri atq́; præceptores officiorũ, & tanquã duces, comites, vigiles, custodes, tutores, liberatores, benefactores, & cõsolatores quorũuis hominũ, inprimis electorũ, aliquãdo etiã tanquã vltionis atq́; vindictæ diuinæ executores. Veniũt deinde seu redeũt è terra in cœlos ad Deũ, postquã legationis suæ munere in terris fidelißimè functi fuerũt, partim muneris sui Deo rationẽ reddendi, partim vota precesq́; hominũ ad Deũ deferendi, et pro eorũ salute deprecandi, partim Deo gratias agendi, illũ laudandi ac celebrandi, eius iussa & mandata cognoscendi capessendiq́; gratia. Vnde additur, vt se sisterent & apparerent in cõspectu Dei: vnde Orig. scité in hũc locũ: Venerũt, inquit, honorificantes, magnificantes, cõfitẽtes, gratias agẽtes Deo. Hác ob causam Angeli elegãter à Phil. πορθμεύοντες καὶ ἑρμηνευταὶ .i. Dei hominũq; nuntij, renũtij atq; interpretes, nec nõ Dei aures atq́; oculi appellãtur, quòd ppetuò sunt in cœlis et è cœlis in terras, è terris in cœlos redeũt.

Angeli quo modo stare dicantur.

Tertio igitur loco Angeli coram Deo, siue in eius conspectu dicuntur constitisse: quo standi *seu* consistendi *verbo (quod sæpè in sacris literis Angelis tribuitur) illorum stabilis, constans ac sempiterna cùm dignitas, tùm obedientia, quam Deo, in obeundis sibi ab illo iniunctis nuntijs præstant, significatur. Sic Angelus Gabriel de seipso ita loquitur:* Ego sum, *inquit,* Gabriel, quia steti in conspectu Dei. *Ab hoc verbo Hebræo deriuatur, & vox* נִצָּב Nizzab, *qua Regis alicuius vicarium, siue locum tenentẽ significat, & vox* מַצָּב Mazzab, *qua stationem, præsidium, siue milites præsidiarios designat. Huiusmodi sanè & Dei vicarij & milites præsidiarij seu stationarij ad salutis nostræ præsidium à Deo ordinati & cõstituti sunt sancti illi spiritus. His verò Angelis bonis opponitur hoc in loco Satan, qui & ipse peragratis terris in Dei conspectum venisse, & in medio Angelorum cõstitisse dicitur, sed longè alio affectu atq; fine, quàm Angeli boni. Venit enim ille cum coborte sua illa pretoria, seu potiùs prædatoria atq; tartarea Angelorũ malorũ et malignorũ, non tanquã Dei filius bonus & obsequens (qualis ab initio creatus fuerat) sed tanquam Dei hominumq; hostis & aduersarius perennis atq; perpetuus (vnde etiam Satan meritò appellatur) qui quidem & diuinæ gloriæ ac voluntati, & Angelorum bonorum ministerio & hominum saluti & sibi deniq; ipsi aßiduè pertinacißimeq; aduersatur atq; repugnat. Eandem ob causam* διάβολος *Græcè (sicut LXX. interpretes nomen Hebræum verterunt) hoc est, calumniator dicitur, quòd & Deum apud homines, & homines apud Deum sine cessatione & intermißione vlla calumniatur, hisq; suis calumnijs, tentationibus & suggestionibus calumniosißimis, & Deum hominibus, & homines Deo abalienare atq; abstrahere conatur: vt & primorum nostrorum parentum, & hæc ipsa Iobi historia & omnium seculorum experientia clarißimè testatur.*

1. Reg. 22

Præsidium · præsidiarij.

Vnde impuri Angeli veniant.

Venit ergo adhuc quotidie impurus & immundus ille spiritus, ille κοσμοκράτωρ, *ille princeps aëris, non quidem è cœlo (vnde propter superbiam & apostasiam suam est deturbatus) sed ex aëre, seu ergastulo illo*

ftulo illo ſuo tenebricoſo, obſcuro & turbulento, ex loco illo ſuo tartareo non tàm miſſione quàm permiſſione diuina, cum Angelorum ſuorum maleficorum turba in has terras, illas peragrat atq; perambulat, huc illuc paſſim volitans non homines ſeruandi, tuendi ac liberandi, ſed potius tentandi, ad peccata, ad quæ ſuapte natura procliues ſunt atq; propenſi, ſollicitandi & inſtigandi, illos deniq; ad deſperationem adigendi atq; perdendi gratia. Vnde meritò Petrus eum leoni rugienti atq; eſurienti cōparat, qui paſſim per has terras obambulando atq; vagando omnium hominum & corpora & fortunas & animas lædendi atq; perdendi occaſionem captat: quæ tamen eius poteſtas Dei manu coërcetur ac refrenatur: ita vt ne tantillū quidem poſſit, niſi quantùm illi à Deo conceſſum atq; permiſſum fuerit: vt ex hac ipſa hiſtoria ſatis ſuperq; conſtat. Venit autem idem Satan, non quidem in cœlum, in beatiſſimum illum Angelorum locum atq; ſedem, ſed in Dei conſpectum, quem effugere nuſquam poteſt, ſeq; coram Deo ſiſtit non volens ac lubens, ſed inuitus ac coactus: non cum gaudio, ſed acerbiſſimo ſuo cruciatu atq; tormento: non Dei voluntati obſequendi ſed reluctandi: non Dei laudandi & honorandi, ſed blaſphemandi gratia: non deniq; hominū ſalutem, ſiue temporalem, ſiue æternam promouendi ſed impediendi potius ac conuellendi cauſa. Venit ergo malignus ille ſpiritus in Dei conſpectum longè alio affectu, voluntate, conſilio atq; fine, quàm boni Angeli: fit tamen admiranda; imò ſtupenda Dei bonitate atq; potentia, vt ille ipſe Dei hominumq; hoſtis infeſtiſſimus ac funeſtiſſimus, cùm Dei voluntatem atq; gloriam, tùm electorum ſalutem grauiſſimè oppugnando; vtriq; tamen contra propoſitum ac voluntatem ſuam plurimum commodet ac ſeruiat. Vnde Theodor. præclarè dicit Serm. 3. aduerſus Græcos infideles, Deum & Angelorū bonorū opera ad pios cuſtodiendos contra dæmonū vim & impetum, & ipſorum dæmonum malitia, non ſecus atq; Medicum viperis, vti ad piorum ſalutem. Similis autem huic ſpectaculo extat apud Zachariam Prophetam Viſio: vbi Ioſua, ſiue Ieſus ſacerdos ſummus ante faciem Angeli Domini ſteti ſſe dicitur, & Satanam ab

1. Pet. 5.

eius dextris. Vnde similiter constat, bonos quidem Angelos pioru salutem propugnare assiduè atq tueri, malos autem eandem oppugnare. Vnde maximum perpetuumq est inter bonos & malos Angelos dissidium atq certamen.

Est præterea in hoc ipso prouidentiæ diuinæ theatro spectatu consideratione q dignum: imò magna cum consolatione coniunctum: quod vel ipsemet Satan, velit nolit, coram Deo cogitur fateri, fuisse eu Iobo, eius domui siue familiæ velut sepem firmissimam, ac Deum omnibus eius facultatibus, possessionibus atq operibus manuum benedixisse.

Deus omniu fideliu sepes.

Hinc igitur Deum, vt Iobi, ita omnium, piorum præsertim & fidelium esse sepem, (qui & apud Zachariam murus igneus, & apud Isaiam flumen latissimum appellatur) qua circundati, septi et muniti immunes sunt ab exitio atq interitu, quem Satan illis indefesso studio machinatur.

Hanc autem sepem atque murum non incommodè etiam Angelorum præsidium, quo Deus ad illos tegendos ac custodiendos vtitur, interpretari possumus, vt Chrysostomus quoq Homil. 40. in 21. cap. Matth. in illa verba: Et sepem circumdedit, &c. explicat: Quid est, inqt ille, sepes, nisi Angeli circulus custodientis populum Dei, ne in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant. Angelos enim præesse hominibus & Apostolus dicit, cùm ait: Mulier velamen debet habere super caput propter Angelos. De hac angelica sepe Dauid Psal. 34. 8. disertè disserit: cuius exemplu inter multa alia illustre extat 2. Reg. 6. Hac sepe, hoc muro firmissimo et inexpugnabili omnes Dei amantes atq timentes freti, quasuis Satanæ eiusq ministrorum impetus atq insultus nequaquam extimescent & reformidabunt.

Oratio Bildadi de Angelis.

Porrò in eodem hoc Iobi libro sancto atq diuino Bildadus quoq ille Sabæus, qui vnus fuit ex Iobi amicis et familiaribus præclarè de Angelis hunc in modum disserit: Penes Deum, inquit, est rerum omnium imperium ac potestas. Is igitur timendus est ac

reue-

reuerendus: qui pacem facit in Excelsis suis. *Per excelsos siue sublimes hic secundum omnes ferè interpretes Angelos intelligit. Hi meritò* Excelsi, *siue* Sublimes, *appellantur: tùm quia excelsa & sublimis est illorum & scientia & dignitas & potestas: Vnde etiam principatus, potestates, dominationes, throni vocantur.*

Vt autem cælorum, orbium & astrorum cælestium admirabilis & vix explicabilis est harmonia: ita Angelorum quoque, qui ipsi Astra vocantur, summa est constantissimaq; concordia & pax serenissima & placidissima, quam & cum Deo, & cum hominibus, & secum ipsi inuicem colunt, cuius effector quidem & conseruator est solus Deus: Dæmonum contrà, vt etiam hominum diabolicorum, maxima est discordia atque distractio. Angelorũ summa est concordia.

Addit Bildadus: Nunquid est numerus expeditis siue militibus, siue copijs eius? *Ac Angeli quidem reuera, vt hic & in multis alijs sacræ Scripturæ locis appellantur, sunt Dei exercitus, manus, copiæ atque milites semper accincti, instructi, expediti, armati, parati ad Dei facienda iussa. Horum verò numerus, vt & stellarum cæli & arenarum maris, est numerosissimus, imò innumerabilis: de quo Angelorum numero atque concordia, quæ regina est in magna hominum multitudine, egregia sunt hæc Gregorij in hunc ipsum locum verba:* In cogitatione, *inquit*, humanæ rationis supernorum spirituum numerus non est, quæ quanta sit illa frequentia inuisibilis exercitus nescit: de quo per Danielem dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: Supernorum ciuium numerus infinitus & definitus exprimitur, vt qui Deo est numerabilis, hominibus innumerabilis demonstretur. Angelicos verò spiritus, *inquit idem*, rectè Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aëreas nõ ignoramus.

Quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quicquid agendo contra spiritus immundos appetunt ex adiutorio, cuncta regentis possunt. De hac nanque militia nascente Rege nostro scriptum est: Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, cui tamen militiæ electorum quoque hominum numerus iungitur: qui per sublime mortis desiderium à terrena conuersationis seruitute liberantur, de quibus per Paulum dicitur: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. *His ergo paucis verbis Bildadus, vt ad illũ redeam, Angelorũ & multitudinem & dignitatem & potentiã & pacẽ atque concordiã & diuino imperio atque voluntati parendi studium promtissimum breuiter est complexus.*

Luc. 2

Addit postremò: Stellæ non sunt mundæ in cõspectu eius, *id est, Dei, (per stellas aũt multi Angelos intelligunt)* quantò minùs ergo homo natus ex muliere, filius hominis, vermis rubicundus iustificabitur, *hoc est, pro mundo & iusto reputabitur* coram Deo? *Sic Gregorius in illa verba*, Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur? Iustitia humana, *inquit*, diuinę comparata iustitię iniustitia est: quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, quæ in Solis radio posita tenebratur.

Sed de Angelorũ quoque natura mutabili & apostasia eodẽ hoc libro luculentum habemus testimoniũ: Ecce qui seruiunt ei, *inquit Eliphas*, non sunt stabiles & in Angelis suis reperit prauitatẽ: quantò magis igitur, qui domus incolũt luteas, quique terrenum habent fundamentum tineæ consumuntur? *In quæ verba sic commentatus est Gregorius:* Natura angelica etsi contemplatione auctoris inhærendo in statu suo immobiliter permanet: eo ipso tamen, quo creatura est, in seipso vicissitudinem mutabilitatis habet. Mutari autem ex alio in aliud ire est, & in semetipso stabilem non esse. Vnaquæque enim res quasi tot passibus ad aliud tendit, quot mutabilitatis suæ se motibus subijcit.

Postremò ipse Deus, quem loquentem historia illa introducit in prolixa illa creaturarum, laudes eius prædicantium, enumeratione docet, ipsa quoque astra, siue stellas matutinas, ac Dei filios Deum laudare. Per astra autem hæc matutina atq; filios Dei Angelos pleriq; interpretantur. Hi cur filij Dei appellentur, supra fuit explicatum. Iidem autem astrorum quoq; siue stellarum nomine insigniuntur: propterea quòd illis & ppter altitudinē, & magnitudinē, & multitudinem, & celeritatē, & splendorē, & εὐταξίαν atq; ordinem & efficientiam admirabilem sunt simillimi. Et quidem astra non vespertina, sed matutina appellat, non sine graui causa. Nā quemadmodū astra matutina, quæ Solē, tanquā Regē suū & antegrediuntur & comitantur & consequuntur, eiusq; splendore obscurantur, atq; adeò Sol ipse, qui inter omnia astra principatū obtinet, cùm cætera animalia, tū homines inprimis ex somno atq; somnijs, ex nocte atq; tenebris tristibus recreat mirificè atq; exhilarat: sic Angeli quibusuis stellis longè clariores Solis istius iustitiæ, nempe Dei, anteambulones, comites atq; pedissequi sunt quidem assidui: sed propriè Sol ipse iustitiæ homines suā ... miseriarū & afflictionū caligine oppressos mirū in modū recreat atq; cōsolatur. Hæ præterea stellæ spirituales, hoc est mentes lucidissimæ & splendidissimæ Dei laudes perpetuò decantāt secundū illud Theodoreti: ἡ τῶν ἀγγέλων λειτουργία ἐστὶ ψαλμῳδία.

Angeli per astra intelliguntur.

Cur per astra.

Quando igitur quiuis Christianus summo diluculo surgens, stellas has matutinas, φωσφόρον siue Luciferū hūc clarissimū ipsūq; tandem Solē aspicit ac intuetur, stellarū simul harū spiritualiū, id est Angelorū, animū eius cogitatio subit, & idcircò Deū laudibus celebrat: eiq; pro illis cū corporeis & visibilibus, tùm incorporeis et inuisibilibus astris, humanæ voluntati & saluti fidelissimè inseruientibus gratias & agit & habet maximas.

Porrò vt Patriarchæ illi prisci seculi, populi Israelitici genarchæ, & Moyses atq; Iosua eius liberatores atq; ductores heroici, qui populū illū ex Aegypto, tristi funestaq; illa seruitute eduxerūt, & in libertatē vindicarūt, perq; desertū illud horridū, per varios casus, per tot

Apparitio angelicæ ex historica Iudicum.

discrimina rerum in terram Chanaan introduxerunt, vsi fuerunt Dei Angelorumq; conspectu atque colloquio familiarissimo: ita qui illos fuerunt consecuti, eiusdem populi vindices, liberatores & rectores sapientissimi atq; fidissimi (qui שופטים, Schophetim, id est, Iudices Hebraicè appellantur) ijsdem Angelis, ceu ductoribus ac monitoribus fidelissimis familiarissimè fuerunt vsi.

Apparitio angelica ad Bochim.

Ac primùm legimus Angelum Iehouæ de Gilgal ad locum Bochim, à fletu dictum, ascendisse & populum Israëliticum grauissimè obiurgasse, eiq; exprobrasse, quòd contra legem, monita, atque etiam merita sua, qui illos ex Aegypto eductos in terram Chananæam introduxisset, fœdus cum Chananæis pepigissent, seque idololatriæ addixissent: Vnde magnus fletus populi, tanquam testis seriæ eius pœnitentiæ fuit consecutus: Qua de causa locus ille Bochim, à fletu nimirum illo populi pœnitentiali fuit denominatus.

Hunc verò Angelum etsi Rabbinorum nonnulli Sacerdotem, aut Prophetam aliquem fuisse autumant: tamen pleriq; Angelum illum μεγαλόβȣλον, id est, magni consilij fuisse existimant.

Cui igitur dubium, quin quiuis Christianus angelicæ huius historiæ consideratione, Angeliq; huius admonitione & obiurgatione fidelissima adductus in animum suum induxerit sibi magis ac magis ab idololatria & à fœderibus cum populis alienis à nomine Christiano contrahendis cauere, & deniq; veræ seriæq; pœnitentiæ studere atq; incumbere.

Apparitio angelica facta Gedeoni.

Deinde Angelus ille Iehouæ, seu Iehoua potius ipse, sicuti seipsum appellat, qui Gedeoni forti ac strenuo illi vindici Israeliticæ libertatis à Madianitarum tyrannide præstò fuit sua ope (quem plerique Theologorum similiter Angelum illum magni consilij fuisse volunt) ab eodem humanissimè & hospitalissimè habitus, & postea cultus fuit, cùm baculum manu gestans eum alloquutus esset, eiúsque animum ad populum Israeliticum ex Madianitica seruitute in libertatem vindicandum atque regendum addidisset sub quercu Ophra trituranti. (Sic etenim antiquitùs vt apud Israelitas: ita apud

Romanos

Romanos postea magnos & illustres viros otij potiùs & ignauiæ, quàm rusticorum & pastoralium operum puduit.) Idem quoque Christianæ libertatis vindicibus fortißimis adhuc præstò est sua virtute, sua consolatione atq; ope ad populum suum aduersus hostium suorum vim & insidias defendendum.

Præterea Angelus Manoæ eiusque vxori sterili, Samsonis parentibus apparuit, ijsque cùm Samsonis natiuitatem, ingenium, naturam, mores, vitæque institutum sacrum, tùm populi liberationem à tyrannide Palæstinorum, per illum futuram prænunciauit. Deinde illos Iehouæ holocaustum facere iußit, quod ab illis in petra quadam oblatum subita flamma fuit absumptum. Interrogatus item Angelus, quod nam esset ipsius nomen, respondit illud esse multum. Homo Christianus hanc historiam legens non dubitat hoc Samsone (quod sonat Solem eorum) adumbratum fuisse Christum, verum Solem iustitiæ, qui similiter matri suæ sanctißimæ sterili per Angelum fuit annuntiatus: qui verè fuit Nazaræus sanctus, purus, mundus, à sicera & vino, id est, omnibus delicijs abstinentißimus, qui saluum fecit populum suum, & ex manibus Palæstinorum, id est, Dæmonum liberauit: qui tartareum, rugientem, esurientem & ferocem illum leonem superauit: qui mellis fauum, id est, humanum genus ex illius ore atque faucibus, hoc est, ex peccati seruitute eripuit atque liberauit: qui vxorem alienigenam, id est, Ecclesiam ex gentilibus sibi desponsauit, & matrimonio stabili iunxit: qui Palæstinorum segetes, hoc est, infidelium & hæreticorum sectas atque hæreses consumpsit: qui asini mandibula, id est, ipsa humanitate, morte & paßione sua eiusq; prædicatione coram mundo vilißima & abiectißima spirituales & inuisibiles hostes deiecit ac prostrauit, qui portas ciuitatis inferni perfregit, in montem Gazæ, id est, paradysi conscendit victor ac triumphator, pluresque hostes moriendo, quàm viuendo spiritualiter occidit, quatenus post Christi mortem & paßionem plurimi apostolica Euangelij per vniuersum mundum prædicatione ad Christum fuerunt conuersi: secundum illud Ecclesiastici 48.

Apparitio angelica facta Manohæ de nascituro Samsone.

Samson cuius rei typus.

In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. *Itaq; veri Samsonis victoria credit se ex manibus Satanæ, peccati, Mundi & inferni esse liberatum, ac proinde in quibusuis suis calamitatibus atq; periculis incredibili exultat gaudio atq; lætitia, eiq; offert holocaustum, id est, preces gratiarumq; actiones.*

Apparitiones angelicæ factæ Dauidi.

Vt aut Iudicibus, ita Regibus quoq; cùm Angelus ille magni consilij, tùm alij Angeli creati aliquoties apparuerunt illos vel docendi, vel consolandi, vel etiam liberandi, & ex præsentissimis periculis eripiendi causa. Præ cæteris autem Regibus Dauid inprimis, qui fuit quasi corculum & animulus Dei, eius amores & deliciæ, hanc angelicam præsentiam, præsidium atq; custodiam optimè est expertus, & idcircò pro sua illa experientia egregiè de hoc Angelico ministerio atq; præsidio in suis Psalmis disserit, illudq; quasi suis coloribus depingit, præsertim Psal. 104. & alibi.

Philo Iudæus tradit, Dauidē iuuenem, mediocris staturæ, cùm vnico lapidis ictu Goliatū (quē ille Goliam vocat) immanis & monstrosæ magnitudinis atq; roboris gigantē prostrauisset, ei moribundo monstrasse Angelū Domini, Cerubelē nomine, præpositū super virtutē, sibi aßistentē. Quo cōspecto Goliathus dixit: No solus me occidis, sed qui tecū est, cuius species est non sicut hominis. *Iā etiam senex, postquā eum Deus liberauit ex manibus omniū suorū hostium præsertim Saulis soceri & hostis sui omniū grauissimi & acerbissimi, carmen Deo Eucharisticū cecinit, quæ quasi Cycnea eius fuit cantio. In illo carmine pæanico & triumphali Deum statim ab initio suam appellat petrā, suā arcē, suam fortitudinem, suum cornu salutis suæ scutū, siue clypeū, suum eleuationē seu exultationē, suum refugiū ac perfugiū, suum liberatorē, suum seruatorē, inclinantem cœlos, equitantem super Cherub, volantē super pennis venti. Nomine Cherub, quæ figura fuit alata, & etiam ventorū intelliguntur spiritus atq; numina illi cœlestes, qui incredibili celeritate omnia illa efficiunt & exequuntur, quæ Deus illis mandat & præcipit. His Deus insidet, & inequitat tanquā equis velocissimis, hoc est, illis vtitur ad efficienda & ex-*

quenda

quenda mandata & consilia sua. Hinc Angeli sæpè alati describuntur: vt etiam Ethnici Mercurium illum Deorum nuntium & legatum finxerunt, & Poëtæ ventis alas tribuerunt. Cherubim cum alis facta sunt in Exodo. Esaias Seraphim ad se volasse dicit: Daniel & Ezechiel Angelos ad se volantes viderunt: qua figura & imagine exprimitur promptissimum & velocissimū Angelorum ministerium. Vnde etiam igni cōparantur. Psal. 104. Qui creat Angelos suos spiritus, &c.

Quoties igitur duces & Imperatores in magnis conflictantur periculis, hostiles peditum equitumq́ cohortes atq́ turmas intuentur, procul dubio Dauidici huius Psalmi memoria ac vsurpatione Angelici & quidem alati illius equitatus, siue Angelorum, ceu equorum alatorum, id est, pernicissimorum, quibus Deus insidet, quas ille regit, flectitq́ quò vult, cogitatione animantur mirificè, & spem victoriæ atq́ salutis concipiunt maximam & certissimam. Minimè etiam equis et equitibus suis terrenis & mortalibus confidere debent, memores dicti illius Dauidici: In equi fortitudine Deus non habet voluntatem, neq́ in tibijs viri est beneplacitum eius: & illius Salomonici: Equus paratus ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit: & illius Amosi: Ascensor equi non saluabit animam suam, sed omnem salutis & victoriæ spem collocat in Deo, equis & equitibus illis alatis et cœlestibus, hoc est, Angelorum insessore, rectore & moderatore sapientissimo ac fortissimo. Psal. 147. Prou. 21.

Non est etiam hîc silentio prætereunda illa Dauidis historia, qui Satanæ impulsu superbiáq́ elatus & inflatus populum suum censeri atq́ numerari curauit. Hoc itaq́ facto Deus grauissimè offensus, & furore inflammatus pœnam ei per Gaddū Prophetam comminatur, eiq́ dat pœnarum triū optionem, nempe famis, belli atq́ pestis (quam Iehouæ gladium appellat) vt quam velit eligat. Dauid pro suo amore erga populū pestem respondit se malle subire & perpeti, quàm famem & bellum: malle enim se incidere in manus Iehouæ, cuius plu

Historia de Angelo, per quē Deus pestilentiam immisit. 2. Sam. 24.

rimæ sint miserationes, quàm in manus immanes hominum. Deus itaque per Angelum suum Israelitico populo pestilentiam grauissimam immisit, quæ è Dan vsque ad Beerseba à tempore matutino ad tempus vsque constitutum grassata septuaginta millia virorum absumpsit. Idem Angelus Hierosolymam quoque missus est ad illam quoque ciuitatem eodem morbo affligendam. Tandem autem Deus (qui, vt Dauid
Psal. 103 inquit, non perpetuò irascitur, quique, vt Habacuc ait, in ipsa ira sua non obliuiscitur suæ misericordiæ, cuius etiã amor omnem paternum
Esa. 49. maternumque hominis amorem longè superat, vt apud Es. scriptum est,
Psal. 30. 86 & Syracidem, & alibi in Psalmis) populi sui misertus Angelum su-
Syrac. 2 um ab inferenda plaga quiescere & desistere iussit. Hunc autẽ ipsum Iehouæ Angelum vidit Dauid stantem propè Hierosolymam inter terram & cœlum gestantẽ manu sua gladium euaginatum, extentum contra Hierosolymam. Dauid itaque cum senioribus, id est, proceribus & optimatibus populi sacco indutus humique prostratus peccatũ suum confessus est, Deumque ardenter orauit, vt populo, tanquam ouibus suis parcat, & pœnã illã in suũ caput, tanquã in auctorẽ illius mali cõuertat, & in suam domũ. Postea Angelus Iehouæ per Gadũ Prophetam monuit Dauidẽ, vt nõ sibi, sed Iehouæ altare extrueret in area Ornani Iebusæi: quo ipso in loco Angelus Ornano illi trituranti & quatuor eius filijs apparuit, qui metu perculsus sese absconderant. Dauid è vestigio areã illã ab Ornano emit, in illa altare Iehouæ erexit, in eo holocaustum & pacifica ei obtulit, eum inuocauit. Iehoua deniq; igne cœlitùs misso, quo absumtũ fuit holocaustũ, illud sibi gratũ fuisse declarauit, & Angelo suo imperauit, vt gladiũ in vaginã suam recondat, & plagæ inferendæ finem faciat. Historiã hanc sanè memorabilẽ homo Christianus legendo, audiendo, meditando inde primùm discit, quàm graue sit vitium superbia & quàm graue sit peccatũ in hominũ numero atque multitudine spem salutis ponere. Deinde ex illa discit, Deum iustũ esse peccatorũ vltorẽ ac vindicẽ. Tùm Deum illũ exercituum vti opera ac ministerio bonorũ suorum Angelorũ non solùm ad suos defendendos, vt sæpè dictũ, sed etiã ad impios puniendos, vt ex primogenitorum

genitorũ in Aegypto cæde & exercitus Sennacheribi interitu patet. Sic in Apoc. Angeli iræ diuinæ phialas in Antichristianos effundent. Adhæc ex eadẽ historia colligimus, irã Dei nõ esse implacabilẽ, sed pœnitentia placari. Proinde Dauidis exemplo & imitatione, grassante inter nos peste, fame, bello (vt iã per multos annos grassata sunt) peccata nostra coram Deo confiteamur, eorũ remißionẽ, Deiq́ gratiam supplices imploremus proq́ ardentißima erga nos inuicẽ charitate pro salute nostra mutua cùm aßiduas ad Deum preces fundere, tùm omnes nostras fortunas atq́ adeò vitã sanguinemq́ profundere semper simus paratißimi. Deniq́ pro pia nostra erga Deum gratitudine non Angelos, nõ sanctos, sed solũ Deum, per Christũ filiũ eius, inuocemus, adorem⁹, precemur, vitulos labiorũ atq́ adeò pectoris nostri afferam⁹.

Insignis quoque illa de Sennacheribo, Aßyriorum Rege, est historia, ex qua similiter angelica custodia, defensio atq́ liberatio, qua Deus vtitur, magis adhuc elucescit. Sennacheribus enim Rex potentißimus impreßione in Iudæã cũ numerosißimo instructißimoq́ exercitu facta Hierosolymã eius metropolim grauißima arctißimaq́ obsidione cinctã oppugnauit. Rabsaces summus exercitus Imperator et Regẽ & populũ & ipsum Dei nomen virulentißimis acerbißimisq́ proscidit blasphemijs atq́ conuitijs. Rex itaq́ pius & religiosus cum vniuerso populo in hoc desperato ferè deploratoq́ rerum statu preces ad Deum vberrimis lachrymis fundit, eius veniæ, gratiæ, opis atque auxilij implorandi causa: quod etiam tandem impetrauit. Deus etenim Regem prius per Isaiam Prophetam consolatur, Angelum suum cœlitùs mittit, qui vna nocte cæsis Aßyriorum centum octoginta quinque millibus (quam cædem Iosephus ex Beroso tradit fuisse pestem) ciuitatem, Regem populumq́ Israeliticum vastitate, cæde, exitio atq́ interitu illo liberauit. Huius quoq́ historiæ consideratione Rex aliquis atq́ princeps pius & strenuus sæpè recordatur Deũ ardentißimè à se inuocatum, aliquot Regum & Principum potentißimorum exercitus intestinos ac peregrinos ad pestẽ exitiumq́ suum comparatos & instructos subitò non humana, sed angelica & diuina virtute fugasse,

Historia Regis Sennacheribi.

cæcidiſſe, diſsipaſſe, & peſtem, quam ei machinabantur, in illorum capita conuertiſſe. Hæc itaq; opis angelicæ atq; diuinæ experientia atq; fiducia nouis quibuſuis capitalium ſuorum hoſtium copijs non nimium terretur ac conſternatur, non ijs cedit, ſed fortiſsimè reſiſtit atq; repugnat ſpem victoriæ habens vel certiſsimam.

Dubium autem non eſt, quin Dauidi, Salomoni, Ezechiæ, Ioſiæ & alijs Regibus ſæpius Angeli cœlitùs miſsi apparuerint, quàm in ſacris literis exprimatur.

Quemadmodum autem & Patriarchis & Iudicibus & Regibus Angeli apparuerunt: ita quoq; Prophetis frequenter à Deo miſsi fuerunt: quibus etiam res maximi momenti atq; ponderis cùm præſentes tùm futuras & arcana Dei myſteria patefecerunt. Et quidem multi ex Theologis omnes illas viſiones & reuelationes non niſi mediante Angelo aliquo, opera ac miniſterio cùm Angeli illius magni conſilij, tùm Angelorum creatorum opera ac miniſterio factas fuiſſe tradunt. Sic Auguſt. lib. de Trinitate omnes apparitiones Patribus factas in veteri Teſtamento vult per Angelos fuiſſe adminiſtratas.

5. Hiſtoria Tobiæ.

Non eſt autem, antequam vlterius progrediar, hìc ſilentio prætereunda Tobiæ hiſtoria: quæ ipſa quoq; ferè tota angelicæ curæ, cuſtodiæ atq; tutelæ teſtis eſt locuples, imò effigies atq; pictura illuſtris. Hæc itaq; cuiuis Chriſtiano quibuſuis in malis & periculis maximo indubiè fuit & adhuc eſt ſolatio. Deus, vt hiſtoria illa teſtatur, Raphaelis Angeli vſus opera & Tobiam filium per itinera periculoſiſſima & innumera diſcrimina deduxit atq; reduxit ſaluum incolumemq; conſeruauit, & Tobiam patrem ſenio confectum cæcitate liberauit, eiq; viſum reſtituit: Sic quiuis homo pius & religioſus hiſtoriæ huius lectione et meditatione gratiſsima mente recolit & recordatur, ſe cœlitùs illorum opera in periculoſiſsimis vijs actionibusq; mirificè à Deo fuiſſe conſeruatũ, & interdũ morbis grauiſsimis liberatũ pluri morũ quoq; hoſtiũ ſuorũ animos dæmoniaco odio, furore & cæcitate laborantes ad ſanitatem reuocatos ſibiq; reconciliatos eſſe. Hinc ſimilis liberationis atq; protectionis diuinæ in poſterum quoq; ſpem concipit.

Porrò

Porrò ex eo, quod Angelus Tobiæ dæmonem dicitur vinculis constrinxisse, colligimus, Angelos bonos imperium habere in dæmonas, & illorum potentiam maiorem esse Angelorum malorum potestate: id quod etiam ex Daniele & Apocalypsi constat: quibus in libris legimus, Angelos bonos in pugna atq; certamine cum malis semper euasisse superiores & victores. Vnde Gregorius, potestati Angelorum subiectas esse dicit virtutes aduersas, id est, dæmonas. Idem Augustinus affirmat lib. 3. de Trinit. cap. 13.

Hæc autem cùm ita se habeant, magnam hinc capimus, quibusuis in tentationibus Diaboli, consolationem: dum cogitamus bonos Angelos nostri corporis animiq; custodes non modò pugnare pro nostra salute aduersus dæmonas, capitales nostros hostes, sed etiam eos vincere & debellare.

Similiter vt Deus Iuditham, heroinam illam ad Holofernum tyrannum per Angelum suum deduxit, & ab illo ad suos reduxit salua, integra & illæsa eius vita atq; pudicitia, ita multæ certè honestißimæ matronæ atq; puellæ, Iudithæ illius similes Deo gratias agunt habentq; animis suis immortales, quòd pudicitiam ipsarum Deus sæpenumero opera & ministerio Angelorũ sartam & tectam contra multorum improborum vim atq; lenocinia conseruauit. Historia Iudithæ.

Verùm vt ad Prophetas redeam, his inprimis sancti & cælestes illi spiritus, singulari Dei beneficio familiarißimi fuerũt, qui illis secreta & arcana diuina aperuerunt, illos consolati sunt, monuerunt, docuerunt, comitati sunt ac defenderunt. Apparitiones angelicæ factæ Prophetis.

Id primùm docent duo antiquißimorum & celeberrimorum Prophetarum, Eliæ nempe & Elisæi exempla, vt Regum & Paralipomenωn historia testatur.

Quantum ad Eliam attinet, qui in sacris literis valdè celebratur, cùm post illam Baaliticorum sacerdotum cædem atq; stragem, quam ediderat, nusquam tutus esset, Achabo & Iezabele eum persequentibus, & ad mortem quærentibus, præ metu & animi consternatione paßim per loca inuia ac deserta vagatus est, tandemq; in ipso

deserto horrido & squallido itinere fatigatus sub iunipero recubuit, & fame tristitiaque affectus, mortem, quam antea fugerat, expetijt: quoniam eum vitæ tam laboriosæ & periculosæ tædebat. Cùm autem somno fuisset correptus, Angelus eum tetigisse & ad surgendum atque cibum capiendum adhortatus fuisse dicitur. Helias itaque cùm circumspexisset, vidit ad caput suum panem inter prunas coctum, & scyphum aquæ. Helias itaque fame sitique enectus cibum potumque illum sibi diuinitùs oblatum cupidißimè accepit, eoque famem sitimque suam penè mortiferam leuauit. Deinde cùm Helias rursus recubuisset, Angelus secundo eum tetigit, surgere ac comedere iußit: quoniam longum illi restet iter. Helias itaq; Angelo morem gerens rursus cibum potumque cepit: cuius virtute 40. dierum & noctium iter ad Horebum vsque montem confecit, Deo nimirum Angelorum ministerio cibo atq; potui tantam conseruationis & instaurationis vim immiscente.

Helias.

En rursus hic se offert aliud angelici ministerij, curæ, tutelæ protectionis & conseruationis exemplum luculentum, consolationis plenißimum. Hic enim Angelus, qui proculdubio sese Heliæ per deserta solitaria, auia, & horrida loca vaganti certum & fidelem viæ itinerisque ducem & comitem præbuerat, eidem lasso, ac defatigato fame sitique extrema, metu, dolore, atque tristitia affecto ac tantùm non confecto, mortem expetenti, iacenti & dormienti quasi in vmbra mortis adest, eumque tangit, consolatur, erigit, surgere iubet, ei cibum potumque præbet, eum inopinatum, ac improuisum ita pascit, vt deinde 40. dierum & noctium spatio sine cibo potuque iter suum ad Horebum vsque montem conficere potuerit. Quemadmodum igitur Deus Prophetam illum ab initio pauit per coruos, deinde per viduam Sareptanam, nunc per Angelum & postea in monte Sina verbo suo atq; respectu: Sic hæc quoq; historia cuiuis Christiano est documento, Deum in vitæ huius stadio miris modis suos exercere, verùm non prorsus deserere, premere multis calamitatibus: non tamen omninò opprimere.

Eundem

Eundem Heliam Angelus Domini iubet animo esse bono & forti & sine metu conuenire Regem Ochoziam eumq; increpare: ita homo Christianus quando ab hominibus probis increpatur propter sua peccata; id non molestè ferre, sed meminisse debet id ad suam salutem fieri: in primis autem sibi passim oberranti & vaganti, mortis, quae ei à Iezabelis & Achabi similibus viris atque mulieribus intentatur, euitandae gratia per Angelos suos adesse, tanquam ducem, comitem ac protectorem assiduum, sibiq; aliquando moesto, defatigato, fame, siti, commeatus atq; pecuniae penuria laboranti non in lecto molli, & splendido, vel in scamno, vel etiam humi sub arbore aliqua cubanti atq; dormienti hostibus vndiq; cincto consolationem, alimenta, commeatum, pecunias, salutem praeter omnem eius spem expectationemq; mirifico modo suppeditare.

Heliae quoque ille raptus in coelum, qui angelica similiter opera ac ministerio factus est, quibusuis Christianis maximo est solatio. Nam dubium non est; quin currus & equi illi, quasi triumphales, fuerint Angeli, qui ignis speciem induerint secundum illa Dauidis: Qui fecit Angelos suos spiritus & ministros flammam ignis. *Et illa Psal. 68.* Currus Dei viginti millia, millia inquam, Angelorum, & Deus inter eos. *Angeli saepissimè vt curruum, equorum & equitum: ita ignis forma atque specie hominibus apparuerunt. At curruum quidem, rotarum, equorum & equitum formâ exprimitur ac designatur illorum vis, impetus, celeritas, promptitudo & alacritas incredibilis, qua feruntur ad Dei, tanquam Domini sui iussa, consilia & iudicia exequenda. Ignis autem (vt cùm curruum, rotarum, animalium, fluuiorum, thronorum ignecorum forma atque specie hominibus apparuerunt) ad illorum naturam, substantiam, dignitatem, vim, ingenium, qualitatem denique designandam seu declarandam adprimè aptus est & accommodatus, si quis eius naturam, proprietates & effectus diligenter perpendat.*

Vt igitur spiritus ille creans immensus & infinitus: ita hi quoque

Raptus ... solatium ...

Indefinitus ... numeris numeris ...

ſpiritus creati, qui ad Dei ſimilitudinem proximè accedunt, igni comparantur. Ignis enim ſua natura eſt ſimpliciſsimus, tenuiſsimus, ſubtiliſsimus, leuiſsimus, celerrimus, ſurſum tendens, ſuper omnia eminens, inuiſibilis, niſi in materia denſa & ſpiſſa appareat, per omnia permeans, inalterabilis, imputribilis, purus, mundus, lucidus, luminoſus, illuſtris, alijs ſeſe communicans, ijs vim & naturam ſuam imperτiens, alia illuminandi, purgandi, calefaciendi, fouendi, alendi, mouendi denique conficiendi etiam & quaſi infinitam vim obtinens: Quàm verò omnes hæ proprietates ſpiritibus illis cæleſtibus, mentibus illis diuinis optimè congruant atque conueniant ſacræ literæ clariſsimè teſtantur: Vnde verè Dionyſius ille τὸ πυρῶδες, *inquit*, τὸ τῶν οὐρανίων θεοειδέστατον *ſignificat, hoc eſt*, ignea forma mentium illarum diuinæ naturæ ſummam ſimilitudinem declarat. *His adde Scholia Græca, quæ illa Pſalmi 104. verſ. 4. ſic interpretantur:* τὸ δυνατὸν καὶ ταχὺ δι' ἀμφοτέρων διδάσκει. ὀξεῖα μὲν γὰρ τοῦ πνεύματος ἡ φύσις. ἰσχυρὰ δὲ τοῦ πυρὸς ἡ ἐνέργεια. Ἀγγέλων δὲ χρώμενος ὑπουργῶν ὁ Θεὸς καὶ εὐεργετεῖ τοὺς ἀξίους, καὶ κολάζει τοὺς ἐναντίους. Διὰ τοῦτο καὶ πυρὸς ἐμνημόνευσεν, τὴν κολαστικὴν σημαίνων ἐνέργειαν.

Descriptio ignis, & eius comparatio cum Angelis.

Cum hoc congruit & illud Eliæ Cretenſis Epiſcopi, qui huius Pſalmi hoc dictum citans ita ſcribit: Quanquam enim Dauid dicat: Qui Angelos ſuos ſpiritus facit & miniſtros ſuos ignis flammam; intelligi tamen debet, hoc ab eo prolatum, volente cùm leuitatem, tùm igneam ipſorum & ab omni ſecretam cogitatione craſſa in obeundis promptiſsimo ſtudio miniſterijs celeritatem depingere.

Vſus hiſtoriæ Eliæ.

Porrò homo Chriſtianus, in primis autem dux & imperator ſtrenuus, quoties ei hic Eliæ raptus in mentem venit, & currus atq; equi iſti igniti, quibus ſanctiſsimus, & virtutibus atq; miraculis clariſsimus ille Propheta ex his terris in ſublimes & cæleſtes illas ſedes atque domicilia euectus atque ſublatus fuit: cuiuſmodi currus & equites Eliſæo quoque eius diſcipulo & ſucceſſori poſtea apparuerunt: toties

ties in diuinæ maiestatis atq; potentiæ contemplationem admirationemque rapitur, cui tot currus, tot equi & equites cœlestes semper sunt præsto, quibus summus ille cœli terræque imperator partim ad pios defendendos, partim ad impios excindendos vtitur. In omnibus itaque prælijs, velitationibus, vrbium oppugnationibus, periculis denique, quando currus equitatusque hostiles vel potentissimos & numerosissimos aduersus se intuetur, mentis suæ oculos ad cœlestes ignitosque illos currus & equitatus tollit, erigit, nec dubitat, quin illi, Dei benignitate, qua potissimum nititur, sibi quoque ad suam suorumque salutem præstò sint futuri: id quod etiam iam aliquoties est expertus. Non igitur vel hostilibus curribus & equitibus nimium terretur, vel suis equis & equitibus, quamuis fortissimis, nimium confidit, sed in solo Deo cœlestis illius exercitus, equitatus atque curruum domino ac moderatore omnem salutis suæ spem habet defixam.

Deinde quemadmodum Helias angelico illo curru atque equis ex hoc mundo in cœlum fuit sublatus: ita credit fidelium quidem & pœnitentium animas ex hoc corpore exeuntes curribus & equis angelicis in cœlum deferri: impiorum autem, infidelium & impœnitentium animas, ac tandem etiam corpora à tartareis illis curribus & equis ad ima vsque tartara, ad tartareas & infernales illas plagas deuehi, demergi, rapi ac præcipitari. Præterea nobis etiam in terris adhuc corpore versantibus existimat animis nostris ascendendum esse in cœlum, vt ibi coram Deo & Christo versemur: secundum illam Pauli admonitionem: Nostra conuersatio est in cœlis. Postremò ei non est dubium; quin hic Eliæ raptus fuerit typus illustris & quasi præludium triumphalis illius Christi in nube ascensus in cœlum: & denique generalis illius suo tempore futuræ resurrectionis & ascensionis in cœlos omnium fidelium & electorum, quæ similiter teste sacra scriptura, Angelorum opera ac ministerio est futura.

Vt autem Helias igneo curru & equis, qui fuerunt Angeli, ex

Apparitiones angelicæ factę Helisęo 2.Reg 6

his terris in altum fuit sublatus, sic eius discipulo Elisæo, Prophetæ sanctißimo, cùm in extremo versaretur discrimine, similiter currus & equi ignei apparuerunt. Nam in bello illo, quod Syri gesserunt cum Israelitis, Elisæus Propheta in vrbe Dothaim (quæ sita in tribu Manassensi Iosephi venditione celebris erat) cū moraretur, Rex Syrorum illum quærens ad mortem vrbem illam equis, curribus validoque exercitu noctu circumdari & obsideri iußit. Famulus eius summo mane expergefactus, cùm vrbem maximis illis copijs vidisset obsessam, metu trepidans, & de præceptoris sui salute anxius valdè & sollicitus, id ei nunciauit: cui Elisæus statim respondit de auxilio diuino minimè dubius : Ne metuas: quia plures sunt, qui nobiscum sunt (*Angelos intelligens*) quàm qui cum istis, *Syris videlicet hostibus nostris. Deinde Deum orauit, vt oculos eius aperiret: quo sentiret Angelorum præsidia non procul abesse. Itaque minister ille secum vnà statim vidit montem totum circumcirca equis & quadrigis igneis plenum, & plures adesse ad sui defensionem quàm essent vrbis obsessores. Huius quoque angelicæ visionis historia & recordatione non est dubitandum, quin omnes Christiani se & ministros suos fidelißimos maximis interdum copijs hostilibus cinctos, ac tantum non oppressos: ita vt nulla spes elabendi, atque salutis superesse videatur, similiter consolentur, vt Elisæus suum famulum est affatus & consolatus:* Nō est quòd metuamus, animos nostros despondeamus propter innumerabilem istam hostium nostrorum multitudinem. Plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. *Nobiscum enim Deus est, Deus ille exercituum omnipotentißimus, omnis iniustitiæ vindex & vltor iustißimus. Nobiscum sunt equi currusque illi igniti & flammantes, qui olim Elisæo quoque famulo adfuerunt & apparuerunt, hoc est, cœlestes illi spiritus, Dei ministri atque satellites: quorum vel vnus omnibus illis nostris hostibus longè est potentior. Hi secundum Dauidem castra circa nos metantur. His à Deo mandatum est de nobis, vt nos custodiant, portent suis manibus, ne ad lapidem offendamus pedes nostros. Deum*

prece-

præterea in huiusmodi periculis precatus est, vt mentis suæ suorumq́ oculos aperiat, illuminet atq́ illustret, vt angelica huiusmodi præsidia videre, sentire, ijsq́ niti & confidere poßint.

Vt igitur Elisæi hostes: ita Christiani cuiusuis hostes ad ardentes piasq́ illius preces sæpißimè mentis cæcitate, iudicij consilijq́ inopia percußi nō modo conatib. suis frustrātur, sed etiā miserrimè intereūt.

Quantum ad illos Prophetas attinet, quorum sacra & θεόπνευστα monumenta extant, etsi dubium non est; quia omnes Angelorū visionibus, apparitionibus & colloquijs frequentißimè familiarißimeq́ vsi fuerint: tamen reperimus huiusmodi ἀγγελοφανείας, vt illorum quidem scripta testantur, præ alijs excelluisse Isaiam, qui ante captiuitatem Babylonicam floruit, Danielem & Ezechielem, qui in ipsa captiuitate, & Zachariam, qui post, floruerunt.

Apud Isaiam quidem cap. 6. extat clara & illustris cùm Maiestatis Christi iudicis, tùm Angelorum, tanquam ministrorum & legatorum descriptio, Angelorum munus, naturamq́ plenè complectens. Apparitio Isaiæ facta. Isaiæ 6.

Est autem hæc visio tantò pluris facienda, quòd eius & à quatuor Euangelistis, Matthæo, Marco, Luca & Iohanne, & à S. Paulo, nempe Act. 28. & ad Rom. 11. fit mentio: Vidi, *inquit Isaias, non in sua natura, sed in aspectu & rerum inuisibilium inuolucris & integumentis, vel etiam fide,* Dominum, *id est; Christum filium Dei (Nam Ioan. 12. Isaiam eius gloriam vidisse dicit)* Dominum Dominorū & Regem Regū, sedentē super soliū siue thronū excelsum, iudicis siue Regis habitu atq́ forma, *secundū illa Dan. 7.* Aspiciebā donec throni positi sunt & antiquus dierum sedet: *& illa Apoc.* Vidi thronū magnum & candidū & sedentē super eum. Et quæ in ipso erant, *hoc est,* oræ siue fimbriæ vestimentorū eius replebant templū siue regiā. *Quo significabatur Christum indutū carne, id est, humanitate, tanquam vestimento splendido & simbrijs, id est, doctrina & miraculis, & sancti spiritus donis atq́ muneribus illustraturum & decoraturū cùm regionem Iudæam templumq́ Hierosolymitanum (secundum illa Aggæi cap.*

2. Maior erit domus istius quàm prioris, dicit Dominus Zebaoth) tum catholicam Ecclesiam noui testamenti ex Iudæis & gentibus colligendam, locupletaturam secundum illa Ioh. 1. De plenitudine eius accepimus omnes. Repleri itaq; hoc templum lacinijs vestimentorum Messiæ dicitur, quod Ecclesia illius, vt capitis sui, sit complementū, in quam is, vt in corpus suum dona & munera sacri spiritus plena cumulataq; effundit.

Sequitur graphica ministrorum, apparitorum & nuntiorum, id est Angelorum huius Iudicis atq; Regis descriptio, quæ ad eiusdem gloriam & maiestatem illustrandam spectat.

Angeli cur Seraphim dicti.

Primò Angeli vocantur שרפים Seraphim. Dionysius vertit ἐμπρηστάς, id est, ardentes, igneos siue ignitos (Nam שרף Saraph Hebræis ardere & incendere significat.) Vnde etiam serpentes illi deserti Seraphim fuerunt dicti Num. 21. quòd venenato suo morsu & afflatu Israelitas quasi incenderint & interemerint. Sic autem dicti Angeli, quòd illorum natura sit quasi ignea secundum illa Psal. 104. de quibus suprà. Nam qualis est ignis natura, quam ibidem attigimus, talis est Angelorum natura. Hinc à Manoha patre Samsonis in ignis flamma Angelus in cœlum ascendisse visus est ad eius naturam igneam & flammantem significandam.

Dicuntur etiam cœlitus Angeli, supremi illius Regis & Iudicis ministri, Seraphim ab igneo ardore partim passiuè, vt ita loquar, quòd acriter illius amore sint inflammati, partim actiuè, quòd suo ministerio & hominum mentes illustrent ad intelligendum legem ac voluntatem diuinam, & corda accendant atq; inflamment ad ei obtemperandum.

Hi verò solium Christi circumsistere ac circumstare dicuntur tanquam fidelissimi eius satellites, stipatores, apparitores, ministri, legati in illius nutū ac voluntatem prompti semper & parati ad capessenda efficiendaq; eius iussa ac mandata.

Præterea Angelis his tribuuntur alæ, facies & pedes ad functionem eorum & ministerium, quo funguntur, exprimendum. Alati di-

ti dicuntur ministri, vt etiam in Ezechielis viso diuini cœlestisq́; hi l gati quatuor animalium specie alati apparent. Alarum autem duplex hic vsus exprimitur: alter in volando: alter in facie & pedibus velandis cernitur. Quod autem duabus alis tegebant faciem, siue vultum suum eo significatur, tantum esse maiestatis diuinæ splendorẽ atque fulgorem, vt ne mentes quidem ipsæ purissimæ atq́; beatissimæ illum contra tueri ac sustinere possint, nisi, quemadmodum nos, cùm volumus intueri Solem, oculis manũ opponimus: ita & illæ oculos suos, binis alis vtrinq́; sublatis, hoc est, pio metu & verecundia immensæ maiestatis, obumbrent. Deinde hoc gestu agnoscunt se Dei iudicio & Regis imperio subiectos esse, vt eius ministros. Velum enim subiectionis est symbolũ: vnde natura (teste Paulo) fœminam velamine contegit, quam deceat fateri se vir potestati & imperio esse subiectam. Vsus alarũ.

Quod autem duabus alis tegebant pedes, eo significauit naturam eorum esse ab humana cogitatione remotissimam: tantumq́; abesse, vt homines humi strati possint Domini faciem mente intueri, vt ne Angelorum quidem extrema pedum lineamenta queant vllo modo perspicere. Deinde velabant pedes, vt apud Ezechielem totum corpus, ne homines incredibili sua pulchritudine & pulcherrimorum studiorum celeritate in sui potius amorem, cultum & venerationem, quàm Dei raperent. Nec enim sibi, sed Domino gloriam concupiscunt.

Alter alarum binarum vsus in volando ostendebatur. Duabus enim alis multa alacritate velociter volabant (vnde etiam Ezech. 1. his Dei nuncijs aquilæ specie volucres affinguntur.) Quo significatur, Angelos in Dei voluntatẽ acriter intuentes, iniuncta sibi à Deo Domino suo munia citissimè nulla mora interposita obire & perficere. In his verò alis, & in hoc volatu præter promptum exequendi Dei iussa ministerium atq́; studium, est tuendi, atq́; custodiendi, ad quos & propter quos legati illi diuini mittuntur, cura cernitur. Nam alarum metaphora custodiendi studium sæpè in sacris literis occurrit, secundum illa Psalmi decimi sexti. Sub vmbra alarum tuarum protege me Domine. *Vnde etiam Cherubim super ar am le-*

leguntur alas ſuas extendiſſe. Quo ſignificabatur Angelos Eccleſiæ, diuinæ & ſpiritualis illius arcæ, curam atque cuſtodiam gerere.

Alterũ munus Angelorũ quod.

Sequitur aliud diuinarum & cœleſtium illarum mentium, & ferè præcipuum, munus, nempe Meſsiæ θεανθρώπου, & Dei in vniuerſum laudatio, eius gloriæ & maieſtatis prædicatio ſiue præconium. Clamabant alter ad alterum: *hoc eſt, quilibet eorum, diuinæ flagrans gloriæ amore clamabat, hoc eſt, diuinas laudes prædicabat. Deinde ſe inuicem & etiam alios ad eaſdem laudes prædicandas incitabant, vt ſummo animorum conſenſu totum ſtudium ſuum flagrantiſsimum in conditoris & redemptoris ſui gloriam conferrent.*

Concentus autem huiuſmodi illorũ omni vocum & inſtrumentorum concentu & harmonia longè ſuauior eſt, quippe Chriſti gloriam complectens. Forma autem talis eſt: Sanctus, ſanctus, ſanctus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. *Hoc eſt, ſanctus plenè perfectéq;. (Nam ternarius, primus numerus impar, perfectionis eſt ſymbolum) ſummis laudibus in omni ſeculorum æternitate eſt ſummus ille Deus Deorum, Dominus Dominorum, Rex Regum prædicandus omnium creaturarum cœleſtium, terreſtrium et inferarũ conſenſu, tanquam earum creator, moderator & conſeruator optimus, maximus, ſapientiſsimus, initium, medium & extremum: Vnus οὐσίᾳ, trinus ὑποστάσει. Sanctus Pater ille ſummus: à quo ſine ætatis vllius principio genitus eſt ſanctus & ipſe Dominus, qui omnia, quæ ſuper ſubterque ſunt, ſapientiſsimè ad Patris voluntatem adminiſtrat, Sanctus & Spiritus ex vtroque ab æterno procedens, omnia ſanctificans: cuius numen atque gloria non ſolùm terram Iudæam, ſed etiam totam terram complet. Deinde, vt hæc ad Meſsiam in ſpecie referantur, perfectè & abſolutè credendus & prædicandus eſt Chriſtus ille Sanctus Sanctorum, illud Dei ſanctuarium, fons Sanctitatis.*

Vnde Angelus ad Mariam ſanctiſsimam Virginem: Sanctum,

ctum, *inquit*, quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei: *in cuius nomine flectentur genua omnium creaturarum cœlestium, terrestrium, subterranearum. Eius gloria & maiestate, prædicatione Euangelij & operatione S. Spiritus completa fuit vniuersa terra, secundum illa Psal.* Exiuit sonus eorum in omnem terram & in fines terræ verba eorum: *& illa Angelorum genethliacorum:* Pax in terra, *&c.*

Sequitur Cantici huius, vnà Seraphici & angelici, effectus maximus: Et commota sunt super liminaria templi, & domus impleta est fumo. *En effectum prædicationis Euangelij partim per Angelos, partim per Apostolos factæ, qui & ipsi Angeli: non quidem natura, sed partim vitæ morumq́ sanctitate, partim munere suo & officio fuerunt Apostoli. Nam vox Apostoli idem, quod* מלאך Maleak, *siue Angelum sonat, nempe missum, nuntium, legatum. His ergo Seraphici siue Angelici illius carminis (quo futura Euangelij, siue Christi ipsius, qui est Euangelij subiectum atq́ summa per vniuersum terrarum orbem promulgatio fuit adumbrata) effectis prædicationis illius effecta manifestè fuerunt præmonstrata.*

Effectus Cantici Seraphici.

Hæc etenim superliminarium siue postium templi validißima commotio atque concußio primò prænuntiauit futuram horrendam illam regni & sacerdotij Iudaici abrogationem, templi atque vrbis concremationem, populi cædem & dißipationem secundum illa Danielis: Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & foris eius vastitas, &c. *Deinde hac eadem postium commotione & concußione præsignificatum simul fuit, hac eadem Euangelij prædicatione potentißimos quosque orbis terrarum & populos & Reges atq́ Principes, qui postium & columinum metaphorâ sæpè exprimuntur, animis suis valdè commouendos & perturbandos, & vel euertendos & excindendos, vel ad Christum veramq́ religionem conuertendos esse.*

Effectus ille quid prænuntiarit.

Deinde fumo illo, quo repleta fuit domus, partim Dei & Christi iudicis furor iustißimus, de quo Dauid Psalm. 17. Ascendit fu-

Quid fumus portenderit.

mus in i; a eius, & ignis à facie exarsit, *partim (qui furoris eius fuit effectus) tùm Iudæorum inprimis, tùm gentilium quoq; Euangelium aspernantium excæcatio portendebatur. Fumus enim oculis obiectus eos excæcandi vim habet. Etsi enim Christus vera est lux mundi, Euangelium similiter est lumen: tamen credentes quidem illuminat, non credentes autem magis ac magis excæcat: vt etiam lucis huius corporeæ diuersi sunt in oculis hominum effectus. Hic etiam fumus fumosas opiniones, doctrinas, superstitiones quibus tandem sit replenda Dei domus, significauit. Deniq; hic fumus Dei præsentiam significauit, cuius etiam leuissimo tactu montium fundamenta quatiuntur & cacumina flammarum incendio coruscant, & crassæ & caliginosæ fumi nubes excitantur, quæ simul, & quàm metuenda sint illius iudicia designant eiusq; maiestatem oculis humanis minimè conspici posse demonstrant.*

Effectus visionis huius in Isaia.

Porrò Isaias Propheta, vt ipsemet de seipso testatur, hoc tàm insolito & admirando diuinæ maiestatis spectaculo attonitus ingenti metu cohorruit, obmutuit & grauissima exclamatione labiorum suorum impuritatem & immunditiem liberè & ingenuè magno cum dolore atq; gemitu confessus est his verbis: Væ mihi, quia vir pollutis labijs sum ego & habito in populo, qui & ipse pollutis est labijs. *Labiorum impuritate intelligenda est synecdochicè & allegoricè totius corporis simul atq; cordis (cuius os atq; labia sunt imago) hoc est, totius naturæ humanæ corruptela & impuritas, quam Isaias agnoscit & confitetur, nosq; suo exemplo ad eandem agnoscendam & confitendam incitat. Hanc autem sceleris ipsius liberam religiosamq; confessionem statim salutaris medicina fuit consecuta. Nam Seraphinorum illorum siue Angelorum vnus incredibili celeritate aduolans ad Isaiam carbonem ignitum & candentem (qui pruna propriè dicitur à perurendo, vt pruina) forcipe ex altari corripuit, eoq; linguam eius contigit hæc verba fatus:* Ecce tetigi hoc labia tua & auferetur iniquitas tua, & peccatũ tuum mundabitur. *Hac quasi Chriamixta, quæ constat partim gestu siue ce-*

remonia

remonia, nempe labia eius pruna tangente, partim verbis Angelus Isaiam de peccatorum expiatione & condonatione siue purgatione à peccatis per Christum certũ voluit reddere, ne de illa dubitaret. Carbonibus non exigua à prauis humoribus repurgandi, & morbis medendi vis ineſt. Vnde Plinius li.36.cap.27. Adeò in rebus damnatis quoq; ac iam nullis sunt aliqua remedia, vt in carbone ecce & cinere. Quin & carbunculũ, genus morbi, quo duos consulares nuper absumptos indicauimus, querceus carbo tritus cum melle sanat. *Idem lib.33.cap.5.* Carboni, *inquit*, maior vis exusto, iterumq; flagranti. *Ibidem*: Ipse carbo vires habere incipit restinctus, atq; interijsse creditus maioris fit virtutis. *Carbo igitur hic ignitus & Euangelium & Christum & spiritum sanctum significat. Carbo primùm est ipse Christus, qui de ara crucis fidei forcipe sumptus non labia tantùm, sed totum hominem repurgat & emundat ab omni impuritate. Vt autem carbo ignitus res videtur esse vilis & abiecta, nullius vsus & efficaciæ: cùm tamen purgandi & mundandi maximam vim habeat: ita Christus θεάνθρωπος, etsi secundũ carnem, quam assumpsit, & secundum quam in ara crucis fuit immolatus, vilißimus coram mundo & abiectißimus apparuit: tamen fidei forcipe apprehensus, omnia vel totius mundi peccata expiauit: cuius expiationis vim habet infinitam. Deinde carbo hic ardens Euangelij imaginem gerit, quod totum eſt igneum, intimosq; animi sensus exurit, cœlestiumq; rerum cupiditates mirabiliter inflammat: vel quod omnem non oris tantùm & labiorum, sed etiam corporis totius atq; cordis impuritatem exurit atq; tollit. Denique carbo hic eſt spiritus Christi (qui sæpè ignis similitudine, vt etiam linguarum illarum dissectarum, quæ supra Apostolos visæ fuerant, exprimitur) qui pectora & labia hominum purgandi & mundandi maximam vim habet. Sic igitur Angelus hoc carbone ardente viso ori tenus impuritatem & iniquitatem mundandi atq; [illegible] significare voluit.*

[illegible] ergo adhuc commemoratis constat, quàm hoc Isaiæ spe- Vſus visionis huius.

ctrum siue spectaculum mysterijs grauissimis plenum, spectatu contemplationeq; dignum, in quo tanquam in speculo speciosissimo & nitidissimo cùm Dei & Christi θεανθρώπου maiestas, tùm Angelorum naturam atq; ministerium nobis ad doctrinam consolationemq; nostram conspiciendum cognoscendumq; proponitur. Quando ergo Rex aliquis atq; Princeps siue Iudex vel in regali vel iudiciario suo solio atq; throno iustitiæ exercendæ, iuris dicendi ac ius suum cuiq; tribuendi gratia sedet, vel vim iniquam & iniustam, plurimas grauissimasq; iniurias patitur, subire ac perpeti cogitur: tunc Iudicis, Regis atq; throni huius cœlestis consideratio ei maximo est & documento & solatio ad quasuis iniurias æquo patientiq; animo ferendas. Nam primò iudicis illius supremi iustitia ipsum quoq; ad ius cuiq; suum pariter æquabiliterq; tribuendum, & ad sontes quidem atq; noxios puniendos, suos autem & innocentes tuendos incitat & impellit: cùm optimè nouerit, sibi grauissimam tandem summo illi iudici in mortis agone & in vniuersali illo iudicio reddendam esse rationem sui muneris & vel æterna sibi ab illo præmia, si eo benè functus fuerit, vel si malè, expectanda esse supplicia.

Memor est dicti illius Salomonici: Rex qui sedet in solio iu-

Prou. 20 dicij dissipat omne malum intuitu suo. *Item:* Regem custo-

Prou 25. & 29 diunt misericordia & veritas: roboratur clementiá thronus eius. *Item:* Regis aufer impietatem & firmabitur iustitia thronus eius. *Item:* Rex iustus erigit terram, *&:* Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

Deinde eiusdem iudicis atq; throni cœlestis cogitatio ei maximo est solatio, cùm persuasum exploratumque habeat supremum illum Iudicem atque Regem, qui est ipsissima iustitia, iustitiæ & innocentiæ suæ fore assertorem & iniuriarum vltorem iustissimum: ita vt quasuis iniurias sibi æquo potiùs patientiq; animo ferendas, quàm vlciscendas esse existimet. Præterea ex Seraphinorum, id est, Angelorum istorum viso salutaria capit cùm vitæ documenta, tùm solatia.

Nam

Nam primùm non tantùm Rex, Princeps atq; Iudex, sed quiuis omninò Christianus exemplo illorũ Deum sibi ardentissimo amore complectendum, laudibus perpetuis laudandum & obseruantia obedientiaq; colendum esse statuit. Deinde peccatorum suorum conscientia, sensuq; iræ diuinæ consternatus non idcircò salutis suæ spem abijcit, sed ea coram Deo confitens Deiq; gratiam & veniam implorans firmiter credit, carbonis illius igniti & candentis de ara sumti, hoc est, Christi in ara crucis sacrificati virtute atq; merito omnium peccatorum suorum plenam perfectamq; expiationem, veniam & remissionem consecuturum.

In hanc ipsam porrò Isaiæ visionem angelicam S. Chrysostomus pater ille χρυσορρήμων, Homiliam composuit elegantem valdè atq; piam, quæ inscribitur ὁμιλία εἰς τὰ σεραφείμ, quam manuscriptam, necdum excusam & in lucem editam, idem D. DAVID HOESCHELIVS, *Augustanus, pro humanitate beneuolentiaq; sua erga me singulari mihi communicare non dubitauit. Huius præcipua capita, ad institutum præsertim hoc nostrũ pertinentia, operæpretium me facturum existimaui, si superioribus subiungerem, quæ vt cuiuis homini Christiano vtilia & salutaria: ita grata, spero, & iucunda sunt futura.* Meditatio S. Chrysostomi de hac visione.

Primùm igitur in illa Isaiæ verba: Vidi eo anno, quo mortuus est Rex Ozias, Dominum sedentem in throno excelso & sublimi: *Quomodo, inquit Chrysostomus, Esaias Deum viderit, nescire me fateor. Etenim vidisse quidem se Dominum Esaias dixit: quomodo autem eum viderit, de eo altum est eius silentium. His addit egregiam sententiam, cuiuis sacrarum literarum interpreti Ecclesiæq; doctori diligenter obseruandam, quæ sic habet:* Δέχομαι τὰ εἰρημένα. οὐ πολυπραγμονῶ τὰ σεσιγημένα· κατανοῶ τὰ καλυφθέντα, οὐ περιεργάζομαι τὰ συγκεκαλυμμένα, *hoc est,* Accipio lubens & amplector ea, quæ sunt dicta, non curiosè scrutor ea quæ silentio sunt prætermissa. Animaduerto ea, quæ patefacta, quæq; patent, non moror, neq; curo ea, quæ tecta sunt. *Nam hanc ipsam ob causam tegantur.*

Hoc ipsum verò præceptum egregium duplici illustrat simili, quorum prius à re textoria, posterius à terminis est ductum. Quòd ad prius. Aurea, inquit, tela est sacrarum literarum narratio, aureum stamen, aureum subtemen. Absit igitur, vt his, qui meæ mihimetipsi rationis iudicijq; infirmi optimè sum conscius, aranearum telas intertexam. Huic addit alterum simile à terminis: Ne transferas, inquit Spiritus S. terminos positos à patribus tuis. Quòd si terminos (subintellige positos ab hominibus) transferre non est tutum, cur transferrem terminos ab ipso Deo positos? Hoc duplici igitur simili perspicuè docet nos sacram scripturam, tanquam & telam planè auream, & termino, non humanitùs, sed diuinitùs posito contentos esse debere, neq; humana ei commenta atq; figmenta, ceu futiles aranearum telas intertexere ac permiscere, nec eius terminos, tanquam ab ipso Deo nobis præfixos atq; præscriptos transilire, aut transferre velle.

His addit Chrysostomus: Vis scire, quomodo Propheta Deum viderit, fias ipse Propheta necesse est. Hinc tacitæ occurrit cogitationi eorum, qui coniuges liberorumq; procreationi deditos ad Prophetica huiusmodi visa atq; mysteria capiendũ nequaquã aptos arbitrantur esse & idoneos: horum sententiam refellit argumento ducto ab ipsius Prophetæ exemplo, qui & vxorem habuerit, & duorum filiorum pater fuerit, & tamen nihilominus propheticarum huiusmodi contemplationum fuerit capax.

Addit deinceps sententiam generalem: οὐ γὰρ ἔστι κώλυμα τῆς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀποδημίας ὁ γάμος. ἐπεὶ εἰ κώλυμα ἦν, καὶ ἐπιβουλεύειν ἡμῖν ἔμελλεν ἡ γυνή, οὐκ ἂν αὐτὴν ἐξ ἀρχῆς ποιῶν ὁ θεὸς ἐκάλεσε βοηθόν, *id est*, Non vtique impedimento est matrimonium ad migrationem in cœlum, & ad cœli rerumq; cœlestium contemplationem. Nam si esset impedimento, & si coniunx hac in parte nobis esset insidiatura, nequaquam Deus eam à se conditam appellasset adiutricem.

Deinde quòd Deus sedisse dicitur in throno, neq; sedere propriè Deum ait Chrysostomus, cùm sit hic situs corporũ proprius, Deus autem sit

tem sit

tem sit incorporeus, neq; thronum ei propriè tribui, cùm suapte naturâ sit incircumscriptus, nullaq; sede circumscribi ac definiri possit: his tamen addit nolle se diutius immorari. His præmissis accedit deinceps ad ipsam Seraphinorum explicationem, quos δορυφόροις, id est, satellitibus comparat. Animaduersione autem dignum esse dicit, quod Esaias in illorum descriptione, non naturæ, sed loci, quem tenent, mentionem facit: vnde facile illorum dignitas colligi possit. Nam quemadmodum in communi vitæ humanæ consuetudine illi satellites cæteris dignitate iudicantur antecellere, qui currui regali, quo Rex vehitur, sunt proximi: ita quò potestates hæ incorporeæ throno illi cœlesti sunt propinquiores & viciniores: tanto maior & splendidior illorum censetur esse gloria atq; dignitas. Hæc igitur maxima est Seraphinorum illorum gloria, honos, decus atq; dignitas; hæc deniq; maxima est illorum securitas tutissimumq; præsidium, quòd thronum illum Dei cingunt atq; circumstant. Sic Christus quoq; Angelorum dignitatem demonstrauit non ex illorum natura, sed quòd videant assiduè faciem patris sui cœlestis. In hac ipsa, inquam, visione conspectuq; Patris cœlestis positam esse docet Angelorum dignitatem atque beatitudinem.

Similiter Seraphinorum quoq; horum dignitatem in eo consistere, quòd vicini sint throno Dei, quòd Deum cingunt atque circumstant, quòd deniq; eum in medio sui habent. Vt autem, teste Chrysostomo, ex hoc Seraphinorum dignitas colligitur: sic Dei simul maiestas ex hac splendidissima tot Angelorum, qua cinctus est, corona elucescit. Huiusce autem Seraphicæ προεδρίας καὶ κοινωνίας, hoc est, dignitatis loci atq; communionis nos quoq; si volumus, participes fieri posse docet Chrysostomus. Nam vt in Seraphinorum: ita in nostri quoque medio est Dominus, si volumus, secundum illa Christi verba: Si duo aut tres fuerint congregati in nomine meo, ero in medio illorum: *Sic sacræ literæ Deum docent prope esse ijs, qui contrito sunt corde, humilique spiritu. Paulus similiter ait:* Ea, quæ sursum sunt, sapite, vbi est Christus in dextra Dei sedens.

En ergo quomodo nobis quoq; miseris homuncionibus in hac adhuc terra positis ad cœlestem illum thronum, ad regalem, sublimem & seraphicum illum gloriæ dignitatisque locum aditus accessusq; pateat: id quod consolationis est plenissimum. Et hæc de loco, in quo Seraphini illi steterunt.

Sequitur deinceps alarum Seraphicarum explicatio: quibus Chrysostomus vult designari τὸ ὑψηλὸν, καὶ μετάρσιον, καὶ κοῦφον, καὶ τὸ ταχὺ τῆς φύσεως αὐτῶν *hoc est,* naturam illorum excelsam, sublimem, leuem atq; celerem *Sic Gabriel quoq; alatus descendit: non quòd natura illa, cùm sit incorporea, alis sit prædita, sed hoc significatur, Angelum illum ex altissimis & remotissimis illis locis celerrimè in terras descendisse. Quid verò sibi velit alarum illarum numerus, ipse sermo diuinus clare testatur. Binis nanq; singuli alis suos velabant vultus siue facies, vt nimirum hoc velo quasiq; vallo sese munirent aduersus fulgorem illum ex diuina illa maiestate emicantem: cui sustinendo nequaquam pares sese esse norunt. Hinc pedes quoq; suos tegere dicuntur propter stuporem & admirationem diuinæ maiestatis, qua afficiuntur: quæ tamen non cum molestia aliqua, sed summa potius cum voluptate est coniuncta. Volatu autem, quem binis illis suis alis conficiebant, significabatur eos rerum cœlestium & sublimium cōtemplationi assiduè deditos esse et affixos, & nunquam deorsum intueri. Porrò illorum clamor (Clamasse enim alius ad alium dicuntur,* Sanctus, Sanctus, Sanctus.) *perpetuæ illorum admirationis atq; venerationis est symbolum. Nec enim simpliciter canunt, sed valido cū clamore, nec ad tempus tantùm aliquod clamant, sed continuò, sine intermissione clamitant. In rebus quidem humanis* ἡ συνήθεια καταλύει τὸ θαῦμα, *vt Chrysostomus ait, hoc est,* consuetudine & assiduitate tollitur admiratio : *at in rebus diuinis crescit & augetur. Angeli igitur ab eo statim tempore, quo fuerunt conditi, sine cessatione & intermissione vlla perpetuò diuinam maiestatem contemplantes eius admiratione incredibili cum voluptate afficiuntur. Hoc quoq; pertinet, quòd non simpliciter clamasse,*

sed

sed alius ad alium, & ad se inuicem clamorem huiusmodi edidisse dicuntur, non secus atq; homines audito tonitru, fulmine aut terræmotu aliquo vehementer commoti & perturbati, non subsilire modò atque clamare, sed alij ad alios confugere atq; concurrere consueuerunt. Cantus autem clamorq; illorum fuit huiusmodi: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *Hic hymnus nobis cum Angelis factus est communis Christi beneficio atque opera, qui sublata illa macerie ac interstitio pacificauit cuncta, quæ in cœlis sunt, & in terris, & fecit ex vtroque vnum. Hunc igitur hymnum, in cœlis priùs decantatum, Dominus, postquam in has terras descendere est dignatus, secum attulit. Quare summus hic noster sacerdos, postquam ad sanctam hanc mensam adstans, cultum obtulit rationalem & sacrificium incruentum, nos ad hanc Cherubinorum & Seraphinorum εὐφημίαν, hoc est, lætissimam faustissimamque acclamationem & laudationem, & ad hanc vocem φρικωδεστάτην, id est,* tremendam, *quæ timorem & tremorem hominibus incutit, edendam inuitat & allicit, Angelorumq; tanquam sociorum eiusdem chori, exemplo ac imitatione mentes cogitationesque nostras à terra abstrahere & sursum erigere conatur, ad vnumquemque nostrum sic quasi clamando: Cum Seraphinis cantato, cum Seraphinis stato, cum illis explicato & expandito alas tuas, cum illis regalem circum volitato thronum. His subijcit grauissimam adhortationem ad ieiunia, ad pœnitentiam, ac totam hanc visionem, δοξολογίαν, & ὑμνῳδίαν angelicam ad cœnam Dominicam applicans, docet, nobis non illotis manibus sed cum bona conscientia, summo zelo, pietate, religione atque reuerentia ad sacrosanctam illam mensam esse accedendum, ne in Dei incurramus offensionem, & maiorem nobis condemnationis atque suppliciorum cumulum accersamus, allegata illa Christi parabola, qua ille, qui non nuptiali veste indutus ad nuptiale conuiuium accedere ausus fuerat, è triclinio in extremas exturbatus fuit tenebras. Ne quis autem (cùm omnes multorum simus peccatorum rei, nobisq; conscij) existimet, sibi propter peccatorum suorum conscientiam non licitum esse*

ad mensam hanc accedere, docet omnibus illis, qui peccata sua lugent, deplorant ac lamentantur, liberrimum tutissimumq́ ad hanc mensam patere aditum, argumento ducto cùm ab immensa & infinita Dei misericordia, tùm à Christi merito. Ac Dei quidem clementiam infinitam amplificat comparatione φιλοστοργίας parentum erga suos sententia valde emphatica & pathetica. καὶ οὐχὶ δεσπότου μόνου, ἀλλὰ καὶ πατρὸς φιλοστόργου, καὶ μητρὸς φιλόπαιδος πᾶσαν εὔνοιαν ὑπερφαίνει τῇ πρὸς ἡμᾶς κηδεμονίᾳ. hoc est, Dominus summâ nostræ salutis curâ atque studio non modo domini alicuius familiæ suæ saluti inuigilantis, sed etiam cuiusuis patris atque matris liberorum amantissimæ, animum affectumque vincit longè atque superat. Christi verò meritum ac redemptionem illustrat egregio sanè Rebeccæ exemplo ac comparatione. Nam quemadmodum filij sui amore flagrantissima eius maledictionem in se deriuari cupiens dixit: Filij mei maledictio sit super me: Sic Christus id non solùm dixit atque promisit, sed etiam reipsa præstitit, Paulo clamante & dicente: Christus nos liberauit, legis maledictio seu execratio factus pro nobis.

Postremò grauissima rursus subiecta commorefactione, vt pura conscientia atq́ mente, ad hanc tanquam supremi nostri Regis mensam accedere studeamus, ἀνακεφαλαιώσει, id est, breui & summaria eorum, quæ explicata fuerunt, repetitione, & denique pia admonitione vt hæc alijs quoque atque adeò etiam inimicis nostris, (quorum salutis cùm nobis Deo sit reddenda ratio, summa nos cura tangi oportet) communicemus, totam hanc homiliam suam concludit.

Historia visionis Ezechieli factę.

Huius autem visi Isaiæ non dissimile est duplex illud Ezechielis Prophetæ visum, quod Ezechielis cap. 1. & 10. continetur. Vtroque enim illo viso currus siue quadrigæ similitudine cùm in genere Dei maiestas, gloria, prouidentia, mundi rerumq́ omnium gubernatio: tùm speciatim templi vrbisq́ Hierosolymitanæ futurum incendium & Dei ex illo migratio luculentissimè describitur, & suis quasi

coloribus depingitur. Syracides inquit: Ezechiel intuitus est visum gloriæ scilicet Dei, quod ei in curru Cherubim ostensum fuit. In vtroque autem hoc viso (quorum vnum ab altero parum differt, & vnum alterius est explicatio) Angelorum (qui vt ab Isaia Seraphim, ita ab Ezechiele Cherubim vocantur) natura atq; ministerium graphicè describitur. Hebræi hanc visionem quadrigam vocant: quoniam in illa & animaliũ & rotarum totidem & firmamenti sint cœli: quod quadrigæ huius est quasi tegumentum: & deniq; super hoc tegumento throni fit mentio, cui Deus insidet tanquam currus siue quadrigæ huius rector atq; moderator, qui illam quocunq; vult, ad omnes terræ partes ad suam gloriam flectit. Principes item suos habent equos currusq; triumphales, quibus vehuntur: sic sacræ literæ Deum inducunt sedere vel vehi super Cherubim. Allusio fit ad Cherubinos illos in arca Domini.

Ab Hebræis hæc visio quadriga dicta.

Vniuersus etiam hic mundus, hæc cœli terræq; machina, siue rerum vniuersitas commodè currui siue quadrigæ comparatur: quia vt currus apta & concinna signorum & suarum partium compositio est, (vnde currus Hebraicé רכב Rekeb, Græcè ἅρμα & ἅμαξα appellatur) ita mundus est aptissima & decentissima cœli atq; terræ, omniumq; partium compages. Deinde vt currus ad cursum (vnde etiam Latinè sic appellatur) est comparatus: ita vniuersus hic mundus est in perpetuo cursu atq; motu. Item vt currus vehitur atq; trahitur per equos, vel etiam alia animalia, sed currus simul atq; animalia reguntur per aliquem currui vel equis insidentem, (qui Græcè ἡνίοχος quasi dicas habenas regens, Latinè auriga appellatur) ita vniuersus hic mundus per Angelos mouetur, voluitur, agitatur, sed non nisi Dei virtute, operatione & voluntate, qui currum hunc simul & equos loris atq; habenis sui cõsilij & voluntatis regit atq; moderatur. Quamobrem Aristoteles quoq; in libro de Mundo: Mundum quidem currui, Deum autem mundi rectorem aurigæ comparat: cuius hæc sunt aurea verba (quæ supra quoq; posita hic iubet repetere. Sunt enim δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ) καθόλου δὲ, ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρ-

Mundus cur currui cõparetur.

ματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. Hic verò currus etiam illo Salomonis curru fuit adumbratus.

Membra visionis huius quinque.

His prælibatis nunc ad singulorum membrorum huius visi breuem expositionem accedamus, quæ sunt quinque numero. Primum est turbo siue ventus procellosus, nubes, ignis & splendor in medio igne. Secundum sunt quatuor animalia. Tertium sunt quatuor rotæ. Quartum est firmamentum. Quintum est thronus Deusque ei insidens. Rectè ergo apertis oculis Ezechiel dicit se vidisse visa siue visiones, propterea quòd visio hæc multiplex fuit, multis constans rebus visis.

1. Turbo.

Primò enim vidit ventum turbinis, id est, turbulentum & nimbosum, flantem ab Aquilone (vt Ieremias vidit ollam ebullientem ab Aquilone, à quo panditur omne malum) nubem magnam & densam, ignem in medio nubis se inuoluentem, splendorem in medio ignis & ex medio ignis fulgorem emicantem, similem Hasmal siue electri. Hoc turbine, hac nube, hoc igni, hoc splendore & fulgore (quibus similibus sæpè in sacra scriptura repentinus & improuisus impiorum interitus, omnis denique clades, calamitas & miseria designatur) Babyloniorum repentinus & improuisus turbinis instar aduentus atque irruptio in Iudæam ferro flammaque omnia deuastantium & depopulantium iusto Dei iudicio fuit præsignificata. Deinde breuem hîc & generalem habemus Meteororum, quorum alia sunt aërea, alia aquea, alia ignita, alia terrestria mentionem: quæ etsi temerè & casu huc & illuc vltrò citroque ferri & agitari, mouerique videntur: tamen singulari Dei consilio atque nutu ad hominum vel vtilitatem, vel pestem atque perniciem, ceu iustam meritamque pœnam, reguntur ac diriguntur.

2. Quatuor animalia.

Deinde Ezechiel vir diuinus vidit quatuor animalia, quorum & nomina & species atque forma, facies, manus, crura, pedes, color, atque motus diligenter & accuratè describuntur. Animalibus his designari Angelos, communis ferè est omnium Theologorum sententia.

tentia. Nam capite decimo animalia hæc insigniuntur nomine Cherub. Cherub autem Hebræi volunt nomen esse generale ad omnem figuram: propriè tamen significare imaginem cuiuscunque faciei, quæ alis expansis, tanquam auis volare pingitur, vel apparet. Nonnulli volunt esse effigiem, quæ referat faciem infantuli. Nam רביא Rabia *Babylonijs puerulum seu infantem significat, vt Cherub sit compositè dictus* כרביא Cerabia, *id est, sicut vel quasi puer. Hieronymus à multitudine scientiæ Cherubim dictos existimauit, vt ab eadem origine descendat, qua vox Rabbi, quæ magistrum siue doctorem significat, Alij celeres exponunt. Aben Ezra scribit, nonnullos eam vocem omnibus scripturis & imaginibus communem facere: ita tamen vt quæ in lege scribuntur, humanam figuram habuisse dicantur. Hîc certè apud Ezechielem formæ illarum describuntur, vt leonis, bouis & aquilæ, non tanquam humanæ. Quin apud hunc ipsum Prophetam Rex Tyri appellatur* כרוב Cerub, *quòd magna fuerit dignitate, splendore atq; opibus ornatus.*

Theodoretus phrasin hanc, sedere super Cherubim, *idem significare vult, quod* δυνατὸν βασιλεύειν. χερουβὶμ γὰρ καλεῖ ἡ γραφὴ πᾶν τὸ δυνατὸν, *inquit. Vnde Gen. 3. Cherubim ante hortum Eden fuerunt collocati. Et 2. Regum 19. Iehoua victor Cherubim dicitur. Alijs Cherub est à* כרב Carab, *quæ vox literarum metathesi cōgruit cum voce* רכב Racab, *quæ vehi & equitare significat: vnde* רכב, Receb, *Currus à vehendo Hebræis est dictus. Quicquid sit inter Theologos omnes constat, hac voce significari Angelos, qui quidem aliquando hominum, aliquando etiam animalium brutorum (vt ex hoc ipso viso constat) imagine, hominibus Dei voluntate, apparuerunt ad diuinæ gloriæ & saluti hominum inseruiendum. Hi itaq; sic appellantur, vt mihi quidem videtur, voce composita à Caph, quod affirmationis & similitudinis vim habet &* רוב Rob, *siue* רב Rab, *quæ vox quamuis vel qualitatem, vel quantitatem, vel etiam operationem insignem & excellentem significat,*

vt Cerub, & in plurali dicantur Cerubim, id est, tanquam [illegible] verè multi & magni. Multi numero (sic enim vox רב *Ribo absolutè myriadem, id est, decem millia à multitudine significat) seu potiùs innumerabiles. Deinde Rabbim, id est, magni sunt Angeli, primùm scientia & intelligentia (vnde etiam Daemones quasi δαήμονας, id est, scientissimos Ethnici [illegible] appellarunt) vnde optimi sunt hominum Rabbini doctores & magistri. Magni etiam sunt virtutibus, inprimis charitate erga Deum & homines. Tùm magni sunt & excellentes robore, fortitudine atq; potentia, necnon dignitate & honore illo diuino atq; cœlesti. Postremò magni sunt & præstantes operibus atq; miraculis, quæ Dei virtute edunt.*

Quòd verò hìc quatuor tantùm Angelorum fit mentio, non ita intelligi debet, quasi quatuor tantùm Angelorũ opera is vtatur, cùm teste sacra scriptura, innumerabiles sint hi Dei ministri. Nam & apud Danielem septimo cap. millena millia Angelorum Deo ministrare, & decies mille myriades ante illum stare dicuntur, & in Apocalypsi multa millia Angelorũ Dei thronum cingere dicuntur. Exploditur ergo meritò Aristotelis, tanquã puerilis, de quinquaginta quinque intelligentijs opinio. Interim numero quaternario cùm Angelorum stabilitas atq; constantia demonstratur (cuius numerus quaternarius est symbolum) tùm quòd Dei prouidentia atq; virtus, Angelorumq; ministerium longè lateq; sese per omnes mundi plagas extendit; tùm deniq; numerus Angelorum innumerabilium, qui, vt S. Augustinus inquit lib. 15. de Ciu. Dei cap. 1. hominibus incertus est & incognitus, soliq; Deo notus.

Quantum verò ad Angelorum horum formam attinet, illa partim fuit humanæ, partim animalium brutorum similis: Et de medio eius, *inquit Propheta v. 5.* apparuit similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis erat eis, & quatuor facies erant vni. Similitudo autem facierum eorum hæc erat: Facies hominis, & facies leonis, ad dextram ipsius quatuor. Facies autem bouis erat à sinistra ipsius,

ipsius, & erat facies aquilæ, *&c. v.10. Sic cap.10. v.14.* Et quatuor facies erant vnicuiq; Cherub, prima facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & tertia facies leonis: & quarta facies aquilę. *Et v.21.* Quatuor facies erant vnicuiq; *& 22.* Similitudo autem facierum eorum erat vt facierum, quas vidi iuxta fluuium Chebar: aspectus earum & ipsemet. Vnusquisq; contra faciem suam ibat.

Quatuor ergo hæc animalia siue Cherubim singuli habebant faciem quadriformem, nempe hominis, leonis, bouis & aquilæ. Animal aliud est rationale, vt homo, aliud irrationale, & hoc partim quadrupes, terrestre, vt est leo & bos: partim bipes & volucre, vt est auis. Item animalia siue terrestria, siue volucria partim sunt mansueta & gregalia, vt bos, partim fera, vt leo & aquila. Inter aues aquila, inter quadrupeda fera leo, inter mansueta bos principem locum obtinet. Per has præcipuas animalium species primò significatur, Deum in omnibus creaturis, rationalibus & irrationalibus totius mundi, per Angelos, tanquam famulos suos operari. Deinde quadruplici hac forma Angelorum variæ virtutes designantur. Nam primùm humana facie designatur cùm ipsorum humanitas, benignitas atq; charitas erga genus humanum, cui Dei nutu & arbitrio ministrant & seruiunt: tùm mens, consilium, ratio, iudicium, sapientia & intelligentia, qua hominibus non modò sunt similes, sed longo interuallo antecelliunt: deniq; quod hominum curæ sint destinati. Quod autem hominis non tàm senis, quàm pueri & infantis imagine Cherubim depinguntur, eo significatur, Angelos non senescere, sed semper esse vegetos & validos. Facie & forma leonina designatur Angelorum robur ac fortitudo generosa & heroica. Bouis forma similiter eorundem robur, iustitia, tolerantia, labor, patientia & vtilitas maxima. Deniq; aquilarum forma eorundem & prudentia, solertia, perspicacitas & robur atq; vires adumbrantur. Hesychius quoq; dicit per hæc animalia insigniores virtutes intelligi.

Sunt tamen qui per quatuor hæc animalia quatuor Euangelistas,

alij quatuor Monarchias volunt significari. His adde, quod similitudo aspectus animalium horum dicitur fuisse veluti prunarũ ignis, & tanquam aspectus lampadum: quæ ignea illorum natura atq; vis homines vel illuminandi vel terrendi & puniendi vim habet. Et hæc de 4. faciebus siue capitibus istorum Cherubinorum.

Vidit autem Ezechiel & in vnoquoq; alas quatuor & totidem pedes. Cur alati dicantur Angeli, nempe propter agilitatem naturæ & celeritatem munia sua exequendi, suprà dictum est copiose. Ac superiores quidem alæ inter se cohærebant: qua connexione partim Angelorum concordia atq; coniunctio arctissima, partim operum diuinorum harmonia significatur. Nam mutuas quasi alas coniungunt Angeli, hoc est, mutuas sibi inuicem tradunt operas ad exequenda Dei decreta. His quoq; alis significatur illorum defensio atq; custodia generis humani. Quod autem duabus alis sua contegebant corpora, id illorum reuerentiæ & humilitatis erga Deum Dominum suum est symbolum. Cherubini aliquando ambularunt *cap,* 10. *v.*16. aliquando eleuarunt alas suas; vt sese attollerent à terra. & *v.*19. Et eleuantes Cherubim illi alas suas, eleuati sunt à terra in oculis meis. *Vidit ergo Ezechiel Cherubinos illos aliquando ambulantes super terram, vt faciunt volucres, aliquando sublatis alis altum petere. Hoc ipso significatur, Angelos volucrum instar velocissimorum, modò, Dei iussu, terram peragrantes adesse hominibus sua ope, consilio, doctrina, consolatione, modò sublatis alis auolare, & cœlum rursus petere.*

Sed non est silentio prætereundus tertius alarum illarum vsus, nempe strepitus, qui illis editur. Nam quando incedebant alis suis, magnum edebant sonum, qui triplici simili illustratur, nempe fluuiorum validorum, qui suis fluctibus perstrepunt, vocis Dei omnipotentis, quæ validissima penetrantior est quouis gladio vtrinq; incidente ad imam vsq; medullam pertingens. Deniq; strepitu & fragore castrorum inter se tumultuantium & perstrepentiũ adumbratur. Postquam verò substiterunt, remiserunt continuò alas suas, & multus eo

rum

rum auditus est strepitus, cunctaq́ siluerunt. Etiam vbi restitissent, alasq́ suas remisissent, vox quædã insonuit ex firmamento, quod capitibus eorum imminebat. Hic alarum strepitus, sonitus fragorq́ validus & vehemens nihil est aliud, quàm executio iudiciorum diuinorum, siue vindicta diuina: quæ quidem horrendos inter mortales excitat motus, gemitus horrisonos, fletus & clamores, qui silent, postquam Dei iussu silet, & se remittit vltio & vindicta.

Vidit præterea in Cherubinis illis manus quatuor super quatuor latera vel angulos, quas sub alis habuerunt.

Manus præcipuum est agendi instrumentum: vnde à munere siue munus à manu dictum, & minister, quasi manister, eò quòd manibus potißimùm quæuis munia ac ministeria perficit: item ὄργανον ὀργάνων ab Aristotele appellatur. Hinc Cicero: Natura, inquit, homini dedit manus multarum artium ministras. Absq́ manibus nihil egregij efficere aut perficere possumus. Hîc ergo significatur Angelos, qui sunt Dei manus, id est, ministri, à Deo aptos & idoneos reddi ad Deo hominibusq́ ministrandum, ad exequenda munera sibi ab eo imposita,

Manus autem Angelorum partim sunt benignæ & beneficæ ad bona hominibus largiendum, ad benè ipsis pro voluntate Dei faciendum, partim sunt seueræ, rigidæ & quasi immanes ad eos puniendum. Absconditæ verò sub alis, quod dicuntur, significatur inuisibilis eorum efficacia & operatio, cùm non omnium consiliorum diuinorum ratio à nobis poßit intelligi. Quaternarius etiam numerus maximam quandam agendi operandiue facultatem significat.

Crura horum Cherubinorum non fuerunt in cunctis animalibus prona, sed vt hominum recta facie erecta: quo significatur Angelorum incessum, id est, morem agendi in operibus diuinis non esse obliquum & tortuosum, prauum & peruersum, sed rectum, ita vt viam à Domino præscriptam, quæ recta est, sequantur, neq́ retrò respiciant, neq́ laßitudine aliqua fracti resistant, donec diuina mandata perfecerint.

Quantum ad pedes illorum attinet, hi fuerunt vitulini, vel vt alij interpretantur, rotundi: quod similiter Angelorum celeritatem agilitatemq́ significat, qua globi instar facillimè nulloq́ negotio quasuis in partes moueri possunt.

Pedes autem illorum micantes & scintillantes instar æris significant illustria & conspicua esse Dei opera. Ita ergo Angeli pedibus manibusq́, id est, omni suo studio atq́ diligentia nituntur ad diuinæ voluntati satisfaciendum.

Quoad colorem horum animaliũ; fuerunt similia carbonibus ignitis siue facibus, quò cùm amor illorum Dei seruorum, Angelorum ardentißimus erga Deum & homines, tùm iudiciorum & operum diuinorum puritas exprimitur.

Quod autem v.12. cap.10. & caro & dorsa, & manus, & alæ, & rotæ horum Cherubinorum dicuntur fuisse plenæ oculorum, id est, oculatißimæ, eo significatur incredibilis admirabilisq́ Angelorum prudentia, perspicacitas, vis & facultas cùm præterita, tum præsentia, tùm futura, cùm præsentia, tùm absentia, tum aperta, tùm operta & occulta videndi & intelligendi.

Quantum ad motum horum animalium cœlestium attinet, vnumquodq́ versus faciem suam dicitur ambulasse, vt non deflexerit ad dextram vel sinistram (vt fieri solet, quando modò hanc, modò illam in partem oculos nostros conuertimus) sed ad scopum suum fuerunt intenta: quo significatur perfecta Angelorum obedientia, qui Legi ac voluntati diuinæ, tanquam scopo suo, ad quem collineant omnes eorum actiones, ita intenti sunt, vt neq́ ad dextram neq́ ad sinistram ab ea declinent atq́ deflectant.

Animalia hæc cœlestia modò ambulasse modò stetisse, modò à terra in altum se sustulisse dicuntur, quocunq́ erat spiritus vt ambularent, ambulabant, nec conuertebantur quum ambularent. Hoc vario animalium horum motu significatur, Angelos pro Dei voluntate & pro sua, quæ Dei voluntati est consona, huc & illuc, modò sursum, modò deorsum moueri & ferri ad exequenda Dei mandata, aliquando etiam

do etiam stare & quodammodo quiescere, deniq; in instituto suo munere atq; proposito strenuè & constanter pergere, nec regredi, sed potius semper progredi.

Et hæc de quatuor his animalibus cœlestibus, id est Cherubim, siue Angelis, quorum natura & ministerium ipso nomine, facie siue forma alis, pedibus, manibus, motu atq; incessu eorum repræsentatur.

Sequitur tertia visus huiusce pars, nempe rotæ quædam sub ipsis animalibus in terra, siue in rerum visarum pauimento positæ. Erat autem hæc quadruplex pro ratione quatuor facierum cuiusq; animalis. Porrò aspectus rotarum, ipsaq; earum factura perinde se habebat veluti si conspexisses lapidem Tharsis, rutilantissimo ac præstantissimo colore, erantq; hæ planè inter se similes. Cæterùm rotæ sic se habebant, vt altera alteram secaret ipsiq; per medium implicata esset. Cùm autem incedebant ad quoduis quatuor laterum ferebantur, neq; se reflectebant semel progressæ. Verùm terga siue absides rotarũ tantæ erant altitudinis, vt eam contueri aliquis horreret. Nam & vndiq; quatuor his rotis oculata erant hæc terga. Procedentibus autem animalibus procedebant & rotæ ipsis vicinæ. Siquidem eodem planè agitabantur spiritu cùm animalia, tùm rotæ. Rota est instrumentum volubile & rotundum (vnde etiam sic Latinè dicta est) quod facilè vertitur & mouetur (vnde τροχὸς Græcè ἀπὸ τοῦ τρέχειν, id est, currendo dicitur) & quidem, quando vertitur, strepitum & sonitum edit. Rota itaq; est idem ferè, quod circulus seu sphæra: quamuis aliquo modo inter se differant. Quoniam igitur est res rotunda, obliqua, volubilis, mobilis, præceps, rapida, peruia, laboriosa, stridens, idcircò mundi rerumq; & partium mundanarum, vt quatuor elementorum, quatuor temporum, quatuor humorum, omniumq; humanarum rerum rationem, statum conditionemq; variam, volubilem, mobilem, mutabilem, præcipitem, laboriosam & quasi obstreperam significat. Hæc variatio adumbrata fuit etiam quatuor illis rotis quadrigæ Salomonicæ, & hæc est rota illa figuli, de qua Ieremias: Descendi, inquit, in domum figuli, & ecce faciebat opus super ro-

3. Quatuor rotæ sub ipsis animalibus.

tam, & dissipatum est vas quod faciebat de lutô. *Figulus iste est Deus fictor & formator omnium rerum, iuxta illud eiusdem Prophetæ:* Sicut lutũ in manu figuli, sic nos in manu domus Israel. *Vt ergo homo, sic vniuersum genus, omnesq; res humanæ & mundanæ à Deo figulo fictæ & formatæ sunt, quasi vasa quædam rotæ figularis instar, super quam fiunt volubilia, mobilia, caduca atq; fragilia. Ad hanc rotam mundani status ac fortunæ, quæ assiduè rotatur, gyratur, voluitur & reuoluitur, referri possunt illa Ecclesiastici verba cap.38.* Figulus sedet ad opus suum conuertens pedibus rotam, *&c. Hinc Ethnici finxerunt fortunã rotæ siue globo rotundo atq; volubili insistentem. Sic Pindarus elegantissimè vitam humanam perpetuis mutationibus obnoxiam, quæ est in perpetuo motu, fluxu atq; refluxu rotæ curuli comparauit his verbis:* τροχοῦ ἅρματος γὰρ οἷα βίοτος τρέχει κυλισθείς: ὀλίγη δὲ κεισόμεθα κόνις ὀστέων λυθέντων. Rotæ enim currus instar vita decurrit ac voluitur: Exiguus autem cinis iacebimus ossibus dissolutis.

Omninò igitur vt rota est rotunda: ita mundus eiusq; partes formæ sunt rotundæ. Secundò vt rota est volubilis, mobilis, atq; mutabilis: ita mundus omnesq; res humanæ & mundanæ sunt volubiles, mobiles & mutabiles, assiduè rotantur, mouentur, mutantur, voluuntur & reuoluuntur; nunquam ferè vel ad momentum in eodem sunt statu. Tertiò vt rota quando mouetur & agitatur, stridorem & strepitum edit: ita rerum mundanarum & humanarum varij & sæpè horridi sunt strepitus, fremitus & fragores. Quartò vt rotæ ab alio aliquo mouentur, impelluntur & agitantur: ita vt non solùm orbes cœlestes, vt Aristoteles voluit, sed etiam Mundus vniuersus resque mundanæ & humanæ à Deo, tanquam primo & summo motore, per Angelos, ceu motores inferiores, mouentur & impelluntur. Quintò vt à figulis & alijs artificibus, siue opificibus rotarum motu efficiuntur opera: Sic ista Mundi rerumque mundanarum & humana-

humanarum rotatione, motu & agitatione variæ res naturales atque opera eduntur & perficiuntur. Nunc redeamus ad hanc quatuor rotarum, quas Ezechiel vidit, descriptionem. Rotæ hæ fuerunt quatuor: ita quatuor sunt Mundi plagæ, ceu quadrigæ, quatuor ætates, quatuor tempora, quatuor elementa, quorum perpetuæ sunt vices, seu vicißitudines & mutationes. His rotis insistunt quatuor illa animalia cœlestia: quo significatur has rerum & partium mundanarum, vt plagarum, ætatum & similium vicißitudines, motus & conuersiones à Deo per Angelos regi. Rotarum color similis fuit lapidi Tharsis, quem alij Chrysolytum, alij Hyacintum esse volunt, habetq; maris cœruleum colorem. Hieron. mare vertit.

Hoc colore mundi eiusq; partium cùm species atq; forma splendida, tùm maris instar, cuius perpetuus est fluxus atq; refluxus, accessus & recessus, varia, inconstans & instabilis conditio ac vicißitudo demonstratur, quam tamen Deus per Angelos iusto suo iudicio temperat atq; moderatur.

Præterea vt harum rotarũ summa fuit æqualitas & coniunctio: ita rerum & partium Mundi quantumuis disparium & inconstantium, mobilium & mutabilium constantißima est admirabilisque coniunctio, conuenientia & harmonia, summaque in omnibus his Dei operibus moderatio, æquitas & iustitia. Adhæc rotæ istæ erant implicatæ, vt duo circuli ad rectos angulos se intersecantes: ita res mundanæ & humanæ sursum & deorsum voluuntur atque rotantur, & ita sæpè sunt perplexæ & intricatæ, vt ratione nostra illas euoluere & explicare nequeamus: cùm tamen minimè dubitare debeamus, quin illæ à Deo optima ratione atque iudicio regantur & gubernentur. Rotæ istæ ad quoduis laterum ferebantur, neque se restitebant semel progressæ: Ita res mundanæ & humanæ ad occasum suum sensim progrediuntur, ad quem vbi peruenerunt, irreuocabilis est illorum reditus & regressus. Sic tempora labuntur, volant cursu motuq; irreuocabili. Rotarum istarum altitudo tanta fuit, vt fuerit spectanti terrori: ita perpetua hæc rerum mundanarũ & terrenarum

vicißitudo atq; mutatio hominibus terrori & horrori est, quam mente rationeq; sua comprehendere nequeunt. Rotarum istarum circumferentiæ, vel absides fuerunt oculorum plenæ. Hoc significatur, has rerum mundanarum humanarumq; vicißitudines & conuersiones, etsi cæco, temerario & præcipiti impetu (vnde Fortunam cæcam finxerunt Ethnici) ferri ac volutari videantur, tamen singulari Dei & eius ministrorum cura, consilio & prouidentia regi. Et huc facit rotarum istarum motus diligens accurataq; descriptio. Illæ enim non temerè huc & illuc voluebantur, sed animalia tanquam capita & duces suos sequebantur. Itaq; illis procedentibus & ambulantibus procedebant: illis è terra subleuatis subleuabantur & ipsæ, illis stantibus stabant & ipsæ, atq; ita omnem suum motum, incessum & statum ad animalium illorum motum, incessum & statum dirigebant: siquidem eodem planè spiritu tùm animalia illa cœlestia, tùm rotæ agitabantur. Hoc ergo significatur, omnes illos mundi rerumq; mundanarum & humanarum motus, mutationes & conuersiones ab animalibus siue spiritibus illis cœlestibus regi, hos autem pendere atq; regi à supremo & infinito illo spiritu, vt creatore, ita motore ac moderatore rerum omnium optimo, sapientissimo ac potentissimo. Non autem existimandum est, spiritus illos cœlestes ab agendi operandiue munere cessare, sed quoniam nobis quiescere & cessare videntur.

4 Firmamentum. Sequitur 4. huius visionis pars, similitudo videlicet ipsius רקיע, Rakia, id est, cœli, quod Græci στερέωμα, Latini Firmamentum verterunt, Vox enim Hebræa potiùs extensionem, siue expansionem significat à verbo רקע Raka, expandere, diducere, attenuare, vt lana diducitur, vel metalla malleo diducuntur, velut tentoria & cortinæ extenduntur. Accipitur autem pro tota regione illa ætherea & aërea. Huius aspectus atq; species erat velut mirum in modum rutilantis crystalli, & hoc cortinæ siue pellis ac tegumenti instar se expandebat supernè super animalium capita. Et sub ipso firmamento ita directæ & compositæ erant animalium alæ, vt inter se essent contiguæ, ac sibi inuicem respondentes. Et

cuilibet

cuilibet quidem binæ erant alæ, quibus corpus suum contegerent. Mentio autem fit vocis, quæ insonuit ex firmamento, animalium istorum capitibus imminente, quando illa substiterant, alasque suas remiserant. Hac quoque parte visi, nempe cœli seu firmamenti crystallini, limpidi ac perlucentis, imminentis quatuor illis animalibus significatur, Deum è cœlis, tanquam sede & domicilio suo imperare atque dominari Angelis, vt etiam reliquis creaturis omnibus sua voce, id est, nutu ac voluntate omnipotente; ita vt omnes Angelorum motus & operationes inde dependeant. Hoc etiam significatur, vt de Atlante Ethnici finxerunt, cœlum æthereum siue astriferum incumbere capitibus Angelorum, & ab illis Dei nutu ac voluntate administrari.

Quinta pars visi est similitudo throni supra firmamentum illud. Thronus siue solium, quod colore suo Saphiri, gemmæ pretiosissimæ & pulcherrimæ (vnde etiam sic Hebræis dicta est) formam & colorem splendidissimum referebat. Huic throno insidebat quidam humana specie supernè præeminens. A lumbis sedentis sursum & deorsum emicabat ignitum quid & ardens electri instar circumcirca resplendens, simile item formæ aut colori iridis, quæ tempore pluuio in nube conspicitur. Thronus ille symbolum est maiestatis & dignitatis regiæ iudiciariæque potestatis. Huic insidet Dei filius, tanquam Dominus & iudex vniuersalis, qui sedatis & tranquillis, non, vt homines, turbulentis est affectibus, qui supra omnia collocatus princeps, motor atque rector est omnium Angelorum, hominum atque creaturarum. Huic humana tribuitur species & viri nomen, propterea quod & ante incarnationem sæpè hominibus humana & virili specie apparuit, & quod tandem veram humanam naturam verè assumpsit, & in illa redemptionis opus peregit. Ignis ab illius lumbis emicans eius vindictæ & iudicij iustissimi impios consumentis & deuorantis; Iris verò, qua eius thronus cinctus est, diuinæ gratiæ, pacis atque fœderis, quod nobis per Christum cum Deo intercedit, signum est luculentum. Sub pedibus eius fuerunt

5. Similitudo throni supra firmamentum illud.

Cherubini. Nam Angeli eius sunt nuntij & ministri, quorum opera non ex indigentia, sed ex indulgentia & bonitate sua vtitur. Porrò Deus solio insidens saphireo, id est, fulgentissimo & splendidissimo viro cuidam induto lineis dicitur mandasse, vt ingressus medium locum inter rotas, quæ Cherubinis infernè adhærebant, prunas ex igne illo inter animalia illa scintillante & discurrente manibus suis arriperet, illasque supra Hierosolymam vrbem spargeret, eique incendium immitteret. Hoc facto atrium interius impletum fuit fumo caliginoso, & splendore gloriæ Iehouæ. Et gloria Iehouæ à Cherub dicitur recessisse ad limen domus. Hoc viso præmonstratum fuit futurum templi incendium iusto Dei iudicio & quòd Deus populum illum impœnitentem & contumacem sit deserturus. Angelorum autem opera Deus, vt ex hoc loco apparet, non modò ad homines defendendos, sed etiam pœnis afficiendos vtitur. Virum illum indutum lineis, sunt qui filium Dei, sunt qui Angelum interpretantur. Obseruanda postremò est, in hoc viso Angelorum cùm concordia, quam inter se colunt, tùm obedientia.

Vsus amplissimus visi. *Vtrunque autem hoc visum cap. 1. & 10. est subobscurum quidem sed valde mysticum, mysteria, documenta & solatia solidissima & efficacissima complectens; & idcirco animaduersione considerationéque diligenti dignissimum. Vtrumque hoc visum est quasi scala quædam, qua per creaturas, vt per meteora, per elementa, per Angelos, per firmamentum siue cœlum & æthereum & aëreum, tanquam per gradus quosdam ascenditur ad thronum illum altissimum, ad ipsum deníque Deum, omnium rerum & naturarum creatorem & gubernatorem. Omnis igitur Christianus hoc quoque visum Angelorum in difficili, ærumnosa, laboriosa, periculosaque hac sua vita atque munere ad fidei, spei charitatisque suæ confirmationem consolationemque applicare debet. Quando igitur is vel interdiu vel noctu ventos, turbines, nubes, pluuias, grandines, fulgura, fulmina, tonitrua & deníque meteora alia huiusmodi siue ignea, siue aërea, siue aquea, siue terrestria sentit vel cum commodo, vel cum incommodo*

modo suo, illa non temerè & casu credit ferri, sed tanquam diuinæ potentiæ, clementiæ atque iustitiæ specula & organa à Deo per Angelos regi & partim ad benignitatem, partim ad vltionem & vindictam suam iustißimam exercendam inter homines dirigi. Illis itaque ad Deum & timendum & amandum magis ac magis impellitur & inclinatur.

Deinde quando imperator aliquis atq; dux, nec non gregarius miles videt & intuetur hostium suorum currus & quadrigas, quibus & milites & commeatus, & pecunias & arma atque tormenta, & alia bellica instrumenta huc & illuc portari atque vehi consueuerunt, ad pestem perniciemque suam comparatas: tunc in mentem illis veniant cœlestes angelici & igniti illi currus, quos sibi sperant, Dei beneficio, aduersus hostilem vim & impetum, magno certoque futuros præsidio. Cogitent etiam animis suis, quòd quemadmodum vniuersa hæc cœli terræque machina est quasi Dei quadriga, quam ille pro suo arbitrio per Angelos regit atque flectit, quocunque vult ad mortalium vel vtilitatem & commoditatem, vel pœnam: ita terrestres quoque illos hostium suorum currus, quadrigas & quascunque alias machinas in Dei esse manu ac potestate: ita vt sine eius permißione ac voluntate nihil sibi quicquam afferre poßint incommodi atque detrimenti: immò illi ipsi currus hostiles, quando Dei beneficio atque ope illis potitus est, maxima sæpe illi attulerunt commoda atque opes.

Præterea quando Imperator aliquis atque etiam quiuis Christianus hostium suorum, siue in bello siue in pace non tàm humanas, quàm leoninas, taurinas & aquilinas, hoc est, inhumanas, immanes, & feras (quæ animorum ipsorum sunt characteres & indicia) facies vultusque aspicit: tunc animum cogitationemque suam conuertit ad cœlestia & Cherubica hæc animalia, quæ Ezech. vidit, humana, leonina, bouina, & aquilina specie atque forma prædita, hoc est, ad Angelos illos cœlestes humanißimos & humani generis amantißimos hostibus suis, quantumuis numerosißimis & potentißimis nu-

mero potentiaq́ longè superiores, quibus certò nouit salutem suam, Dei nimirum mandatu, esse commendatissimam.

Item quando videt hostiles equitum turmas atq́ alas, quæ horrisonum terribilemq́ sæpè edunt strepitum atq́ clamorem: tunc illi in mentem veniũt cœlestes et alati illi equites pernicissimi; nec dubitat, quin sub diuinarum harum alarum vmbra, ab omni telorum iactu atq́ periculo tutissima sit futura eius vita.

Præterea quando aspicit hostium suorum manus, id est, copias numerosas et furaces: item pedes immanes, sanguinarios, ad prædandum & depopulandum procliues atq́ propensos: tunc recordatur ad consolationem suam manuum & pedum angelicorũ: quos nouit ad sibi suisque succurrendum & opitulandum & potentissimos, & promptissimos esse.

Quando item hostium suorum siue pedestrium siue equestrium audit voces, clamores, vlulatus atq́ fremitus horribiles, tũc in mentem illi veniunt cœlestium horum equitum & peditum, quos Ezech. audiuit, strepitus atq́ fragor, hoc est, diuinæ vltionis & vindictæ executio, quæ illis est demandata. Quando item hostium suorum intuetur & audit motus, impetus & impressiones violentas ac pernitiosas, modò in hanc, modò in illã partem: tunc animo suo cogitat cœlestium illorum suorum auxiliorum motus, quos Ezech. vidit, & impetus longè validiores & certiores ad sibi opitulandum, & ad vim hostilem à suis & suorum ceruicibus arcendam & repellendam.

Porrò quantum ad quatuor istas rotas attinet, quas Ezech. vidit, quando quiuis Christianus videt, omnia in hoc mundo sursum & deorsum perpetuò ita rotari atq́ volui, vt nulla videatur esse prouidentia, omniaq́ in hoc mundo cæco quodam impetu casuq́ ferri & agitari: tunc recordatur huius visi, sibiq́ certò persuadet, omnes has rerum mundanarum & humanarum rotationes (quæ quatuor istis rotis fuerunt adumbratæ) conuersiones, reuolutiones & mutationes à Deo per cælites illos certissimè sapientissimèq́ ad Dei gloriam, hominumq́ vel salutem vel pœnam regi & gubernari. Et hoc est, quod

anima-

animalium illorũ ſpiritus dicitur fuiſſe in his rotis. Hæ item rotæ, id eſt, hæ rerum mundanarum humanarumq́ cùm ſecundarũ tum aduerſarum perpetuæ mutationes & viciſsitudines quemuis Chriſtianum monent atque docent, vt neque rebus aduerſis nimium deijciatur atque frangatur animo ſuo ſpe melioris fortunæ, neque rebus ſecundis nimiùm efferatur & inſoleſcat, & in hoſtes ſuos, quos in ſua habet manu atq́ poteſtate vllam crudelitatem exerceat, memor ſemper rotæ huius volubilis, hoc eſt, ſtatus dubij, ancipitis & inconſtantis rerum humanarum. Et hùc ſpectat memorabilis illa hiſtoria, quam cùm omnes homines; tùm Reges in primis atque principes menti memoriæq́ ſuæ decet habere infixam, quæ extat apud Petrũ Diaconum lib. 17. rerũ Rom. Cùm anno 13. Mauritij Imperatoris Prætor eius, Priſcus nomine, cum Chaiano graue bellum gereret; tandem belli pertæſus pacisq́ cupidus Theodorum, virum ſapientiſsimum ad illum miſit, qui cum eo de pace ageret. Cùm autem Chaianus multis victorijs elatus & inſolentior factus, (Nam victoria, vt inquit Cicero, naturâ inſolens eſt atq́ ſuperba) pacem ab initio aſpernaretur atq́ reſpueret, legatus ille ſapiens veteri hiſtoriâ, quæ extat apud Herodotum, Regem ad pacis conſilia flexit: Seſoſtris, dicebat ille, Ægyptiorum Rex potentiſsimus, curru, quem quatuor Reges ab eo victi trahebant, vehebatur. Cùm autem vnus ex illis rotam ſubinde reſpiciens defixis oculis intueretur, Seſoſtris illum interrogabat, cur rotam illam ſemper reſpiceret: Cui ille reſpondit conſiderans & videns ea, quæ ſumma fuerunt in rota, mox ima fieri, Cogito, inquit, de rerum humanarum varietate & viciſsitudine.

Hac narratione cogitationeque Seſoſtrem mitiorem modeſtioremque factum, noluiſſe vt Reges illi vlterius currum ſuum traherent; Eiuſdem Seſoſtris, vt hæc quoque obiter addam, ſuperbiæ & arrogantiæ monumentum illud fuit indicium, quod in giganteæ cuiuſdam ſtatuæ humero inciſum fuit literis Ægyptiacis: Hanc regionem meis obtinui humeris; cuius ſimiliter Herodotus meminit.

Postremò in hac rerum humanarum varietate, inconstantia, confusione & perturbatione recordatur cùm firmamenti atq; cæli, tùm throni et Regis illius cælestis atq; supremi, quæ similiter Ezech. vidit, à quo non dubitat omnia hæc ornatissimè rectißimeq; administrari.

Sunt qui tota hac visione piorum Regum & magistratuum dignitatem & officium volunt adumbrari, de quo copiosè Lauaterus in Ezech. Macarius Ægyptius Homil. 1. testatur, hanc ὀπτασίαν *siue* ὅρασιν ἔνθεον καὶ ἔνδοξον, καὶ μυστηρίων ἀλλαλήτων γέμουσαν, *id est,* Visionem diuinam, gloriosam & mysterijs ineffabilibus plenam esse; *mysterium videlicet animæ Christianæ, quæ facta est Christi sedes, domicilium & illustrata sancto eius spiritu, tota est lux, facies, oculus, cuius animalia quatuor circumtrahentia sunt* Voluntas, Conscientia, Mens, Charitas, *quibus animæ currus regitur, & in quibus Deus requiescit.*

Chrysostomi in has visiones simul & Ezechielis cõmentatio.

Et hæc de Ezechielis Prophetæ visis angelicis, quæ maxima complectuntur mysteria, sint dicta, quibus in Christiani lectoris gratiam addere lubet, quæ Pater ille χρυσορρήμων *in has ipsas Isaiæ simul et Ezechielis visiones egregiè commentatus est Hom. 3.* περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου, *id est, de Incomprehensibili, vbi de Angelorum alis, nominibus, dignitate atque munere hunc in modum disserit:* τίνος ἕνεκεν, εἰπέ μοι, καλύπτουσι τὰ πρόσωπα καὶ προβάλλονται τὰς πτέρυγας; τίνος δὲ ἕνεκεν ἑτέρου, ἀλλ' ἢ διὰ τὸ μὴ φέρειν τὴν ἐκ τοῦ θρόνου πηδῶσαν ἀστραπὴν, καὶ τὰς μαρμαρυγὰς ἐκείνας. καίτοιγε οὐκ αὐτὸ ἀκέραιον ἑώρων τὸ φῶς, οὐδὲ αὐτὴν ἀκραιφνῆ τὴν οὐσίαν: ἀλλὰ συγκατάβασις ἦν τὰ ὁρώμενα. τί δέ ἐστι συγκατάβασις; ὅταν μὴ ὡς ἔστιν ὁ Θεὸς φαίνηται, ἀλλ' ὡς ὁ δυνάμενος αὐτὸν θεωρεῖν οἷός τε ἐστὶν, οὕτως ἑαυτὸν δεικνύῃ, ἐπιμετρῶν τῇ τῶν ὁρώντων ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπίδειξιν. καὶ ὅτι συγκατάβασις ἦν: ἐξ αὐτῶν τῶν ῥημάτων δῆλον. εἶδον γάρ φησι τὸν κύριον καθήμενον. Θεὸς δὲ οὐ κάθηται: σωμάτων γὰρ ὁ σχηματισμός. καὶ ἐπὶ θρόνου, Θεὸς δὲ θρόνῳ οὐ περιείληπται. ἀπερίγραπτον γὰρ τὸ θεῖον ἀλλ' ὅμως καὶ τὴν συγκατάβασιν οὐκ ἠδυνήθησαν ἐνεγκεῖν, καίτοι πλησίον ἑστῶσαι, τὰ γὰρ σεραφεὶμ εἱστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ. hoc est,

est, Dic mihi quæso, qua alia de causa facies suas alis obuelant; nisi quòd fulgorem illum è throno maiestatis diuinæ emicantem ac coruscationes illas ferre non possunt? Quid quòd ne ipsum quidem lumen aspiciebant merum, nec sic meram & simplicem eius essentiam, sed ea quæ cernebantur, erant συγκατάβασις, hoc est, quædam quasi condescensio. Quid verò est, inquies, συγκατάβασις, id est, condescensio? Quando Deus non apparet, sicuti est, sed ita sese conspiciendum præbet: quatenus is, qui eum vult contemplari, id ferre potest, rerum nimirũ demonstratione videntium infirmitati accommodata. Et hanc quidem fuisse συγκατάβασιν ex ipsis verbis fit manifestum. Viderunt enim, inquit Propheta, Deum sedentem, Deus autem non sedet, cùm sit incorporeus, & corporum tantùm hic sit situs. Deinde sedisse dicitur super thronum. Deus autem nullo throno circumscribitur; cùm in circumscriptum sit numen diuinum. Ac ne συγκατάβασιν quidem hanc ipsam ferre potuerunt Seraphini stantes prope & circa eum.

Deinde paulò pòst de visione Ezechielis: Σοφώταται, inquit, καὶ γνωστικώταται, καὶ καθαρώταταί εἰσιν αἱ δυνάμεις αὗται. πόθεν τοῦτο δῆλον; ἀπ' αὐτῶν τῶν ὀνομάτων. ὥσπερ γὰρ ἄγγελος λέγεται, ἐπειδὴ τὰ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις εὐαγγέλλει, καὶ ἀρχάγγελος λέγεται, ἐπειδὴ τῶν ἀγγέλων ἄρχει: οὕτω καὶ αὗται αἱ προσηγορίαι ἔχουσι τὴν σοφίαν αὐτῶν καὶ τὴν καθαρότητα ἡμῖν δηλούσας, καὶ ὥσπερ αἱ πτέρυγες τὸ ὕψος ἐμφαίνουσι τῆς φύσεως, (καὶ γὰρ ὁ Γαβριὴλ πεπτερωμένος φαίνεται, οὐκ ἐπειδὴ πτερὰ περὶ τὸν ἄγγελον. ἀλλ' ἵνα μάθῃς, ὅτι ἐκ τῶν ὑψηλοτάτων χωρίων, καὶ τῶν αἰῶν διατρίβων πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀφῖκται φύσιν) οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τούτων οὐδὲν ἄλλο δηλοῖ τὰ πτερὰ, ἢ τὸ τῆς φύσεως ὕψος. ὥσπερ οὖν αἱ πτέρυγες τὸ τῆς φύσεως ὑψηλὸν δηλοῦσι καὶ ὁ θρόνος, τὸ τὸν θεὸν αὐτοῖς ἐπαναπαύεσθαι, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ τὸ διορατικὸν, καὶ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ θρόνου, καὶ διὰ παντὸς αὐτὸν ἀνυμνεῖν, τὸ ἄυπνον καὶ ἐγρηγορός: οὕτω δὴ καὶ τὰ ὀνόματα τῶν μὲν τὴν σοφίαν, τῶν δὲ τὴν καθαρότητα δηλοῖ. τί γάρ ἐστι χερουβὶμ, ἢ πεπληθυσμένη γνῶσις; τί δέ ἐστι σεραφεὶμ, ἢ ἔμπυρα στόματα; καὶ τί θαυμαστὸν, εἰ τῆς οὐσίας τὴν ἀ-

κριβῆ κατάληψιν οὐκ ἔχουσιν; τοῦτο καὶ γὰρ οὐδέν ἐστι μέγα ἀποδεῖξαι. Τῶν γὰρ οἰκονομιῶν αὐτοῦ πολλὰ οὐκ ἴσασιν αἱ ἄνω δυνάμεις αὗται, αἱ ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι καὶ κυριότητες. ὅτι οἰκονομίας αὐτοῦ τινὰς μεθ' ἡμῶν ἔμαθον, καὶ πρὸ ἡμῶν οὐκ ᾔδεσαν. οὐ μόνον δὲ μεθ' ἡμῶν ἔμαθον, ἀλλὰ καὶ δι' ἡμῶν. ἵνα γνωρισθῇ (φησὶ) νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. ἃ γὰρ βασιλεὺς βούλεται, ὁ ὑπασπιστὴς οὐκ ἐπίσταται.

Hoc est: Sapientissimæ, scientissimæ purissimæq; sunt hæ potestates. Vnde id constat? Vel ex ipsis nimirum nominibus. Nam quemadmodum & Angelus dicitur, quòd res diuinas hominibus nunciat, & Archangelus, quòd Angelis imperat: ita hæc quoque nomina sapientiam illorum puritatemque significant. Et quemadmodum alæ, quæ ipsis tribuuntur, naturæ ipsorum celsitudinem pernicitatemque significant (vnde Gabriel alatus ac volans apparuit, non quòd alis fuerit præditus, sed vt eo significetur, ipsum ex superis & celsissimis illis sedibus ad homines descendisse) sic & throni, Deum in illis acquiescere, & oculi illorum perspicacitatem, & quòd prope thronum stant, naturam illorum vigilantissimam somniique plane expertem & perpetuum Dei laudes decantandi celebrandique studium declarant. Hæc ipsa verò nomina Seraphim & Cherubim eorundem partim sapientiam, partim puritatem declarant: Quid enim Cherubim est aliud, quàm scientia multiplicata? Quid Seraphim significat aliud, nisi ora ignita? Quid miri autem est, si non habent plenam perfectamque essentiæ diuinæ cognitionem, quod facile est demonstratu? Oeconomias enim, id est, dispensationes & mysteria Dei multa ignorant supernæ illæ potentiæ, illa ipsa imperia, potestates, atque dominationes. Quasdam enim Dei dispensationes nobiscum didicerunt, quas antea non nouerant. Nec solùm nobiscum, sed etiam per nos didicerunt: Vnde Paulus, Vt innotesceret, inquit, imperijs ac potestatibus per Ecclesiam in cœlestibus multiformis Dei sapientia. Non enim, quæ Rex vult, satelles quoque eius nouit.

Nota. Hanc ob causam πτεροφόροι possent appellari, quod nomē olim fuit Cursorum, tabellariorū & nunciorū quorundā, quibus Imperatores vtebantur: sic dicti quod peregrè proficiscentes pennas in capite surrectas gestare solebant.

Ibidem:

Ibidem: κοσμοκράτορας αὐτοὺς καλεῖ, δεικνὺς ἡμῖν, ὅτι ἄβατος αὐτοῖς ὁ οὐρανός, καὶ τὴν τυραννίδα πᾶσαν ἐν τῷ παρόντι κόσμῳ ἐπιδείκνυνται μόνον. *Hoc est: Mundi dominatores (malos Angelos) appellans docet cælum illis esse inaccessum, nullumq́ue illis ad id patere aditum, & idcircò omnem illos in hoc tantùm præsenti Mundo exercere tyrannidem.*

Ibidem: θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε: τὴν ἀκριβῆ αὐτοῦ κατάληψιν καὶ τὴν τετρανωμένην γνῶσιν λέγει. ὅτι γὰρ πάντα ἐκεῖνα συγκαταβάσεως ἦν, καὶ ἀκραιφνῆ τὴν οὐσίαν οὐδεὶς εἶδεν ἐκείνων: δῆλον ἐκ τοῦ διαφόρως ἕκαστον ὁρᾶν. ὁ γὰρ θεὸς ἁπλοῦς καὶ ἀσύνθετος καὶ ἀσχημάτιστος: οὗτοι δὲ πάντες σχήματα ἔβλεπον διάφορα. ἐγὼ ὁράσεις ἐπλήθυνα, καὶ ἐν χερσὶ προφητῶν ὡμοιώθην: οὐκ αὐτὴν τὴν οὐσίαν δείξας τὴν ἐμήν, ἀλλὰ συγκατέβην, φησί, πρὸς τὴν τῶν ὁρώντων ἀσθένειαν. ὅρασιν δὲ ἐνταῦθα τὴν γνῶσιν εἶναι νόμιζε. οὐ γὰρ δὴ κόραι καὶ ὄμματα καὶ βλεφαρίδες περὶ τὰς ἀσωμάτους φύσεις. ἀλλ' ὅπερ ἐφ' ἡμῶν ἐστὶν ὅρασις, τοῦτο ἐπ' ἐκείνων γνῶσις, καὶ περὶ τῶν σεραφὶμ δὲ ὅταν ἀκούσῃς, ὅτι ἀπέστρεψε τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ τὴν ὄψιν ἐτείχισαν: καὶ τὰ χερουβὶμ δὲ ὅτι τὸ αὐτὸ τοῦτο πάλιν ἐποίησαν: μὴ ὀφθαλμούς, μὴ κόρας εἶναι (σωμάτων γὰρ οὗτος ὁ σχηματισμός:) ἀλλὰ διὰ τούτων τὴν γνῶσιν αὐτῶν αἰνίττεσθαι πίστευε τὸν προφήτην. *Hoc est: Deum nemo vidit vnquam, notitiam scilicet eius accuratam perfectamque intelligens. Hæc etenim omnia (Prophetarum nimirum visa) fuisse* συγκαταβάσεως*, id est, accommodata illorum captui, nec simplicem & meram eorum essentiam quenquam illorum vidisse, ex ipsorum visorum diuersitate varietateq́ue constat. Deus enim est simplex, compositionis & figuræ expers. Hi autem omnes figuras viderunt varias & multiplices. Ego, ait Deus per Hoseam, multiplicaui & in manibus Prophetarum assimilatus sum, non ipsa mea demonstrata essentia, sed condescendi, hoc est, me accommodaui ad videntium imbecillitatem. Visionis autem nomine hîc intellige scientiam. Non etenim pupillæ vel oculi vel supercilia insunt naturis incorporeis. Sed quod nobis est visus, id illis est scientia. Quando igi-*

tur audis Seraphinos oculos suos auertisse, vel velasse, idemque fecisse Cherubinos, non est, quòd oculos aut pupillas (corporum enim hæc propria est figura) intelligas, sed scientiam & cognitionem.

Ibidem: οὐδὲ ἀτενὲς τολμῶσιν ἰδεῖν πρὸς τὴν ἀκραιφνῆ καὶ ἀκήρατον οὐσίαν, ἀλλ᾽ οὐδὲ πρὸς αὐτὴν τὴν συγκατάβασιν. τὸ δὲ ἀτενὲς ἰδεῖν, τὸ γνῶναι ἐστίν. *Hoc est: Nec verò fixis intentisq; oculis ipsam naturam simplicem, puram & perfectam intueri audent, atque adeò ne ipsam quidem* συγκατάβασιν *attentè videre idem est, quod cognoscere.*

Ibidem: τί οὖν ἂν εἴποιμεν, ὅτι περὶ χειρῶν καὶ γονάτων λέγει τῶν τοῦ σώματος; οὐδαμῶς. οὐ γὰρ δρομεῦσιν ἀνθρώποις, οὐδὲ παγκρατιασταῖς διαλέγεται· ἀλλὰ τὴν ἰσχὺν τῶν ἔνδον λογισμῶν περικαταβεβλημένην, ὑπὸ τῶν πειρασμῶν ἀναστῆσαι διὰ τῶν ῥημάτων τούτων παρῄνησεν. ἐννόησον, τίνος πλησίον ἕστηκας; μετὰ τίνων μέλλεις καλεῖν τὸν θεόν; μετὰ τῶν χερουβείμ. ἀναλόγισαι σου τοὺς συγχορευτάς, καὶ ἀρκέσει σοι τοῦτο εἰς νῆψιν· ὅταν ἐνθυμηθῇς, ὅτι σῶμα περικείμενος, καὶ σαρκὶ συμπεπλεγμένος μετὰ τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων κατηξιώθης ἀνυμνεῖν τὸν κοινὸν ἁπάντων δεσπότην. *Hoc est, Sed quid dicemus de manibus, de genibus, quorum à Propheta fit mentio? Corporisne alicuius ista dicemus esse? Minimè. Non enim de hominibus, de cursoribus aut pugilibus Propheta loquitur. Sed ratiocinationis cogitationisq; internæ vim atque robur tentationis vi & impetu deiectum ac prostratum excitare rursus atque erigere his verbis voluit. Cogita igitur, cui sis proximus, quibus cum Deum sis inuocaturus, nempe cum Cherubinis illis. Reputa animo tuo illos tuos Chori socios atque collegas: quod quidem tibi ad sobrietatem atque modestiam magno erit incitamento, quando nimirum cogitabis, te corporea mole oneratum & carne inuolutum ac implicatum, esse dignum habitum, qui cum incorporeis & præstantissimis illis potestatibus communem omnium Dominum laudibus celebres.*

Præce-

Præ cæteris autem Prophetis omnibus veteris testamenti, Daniel Angelorum consortio atq; conspectu & colloquijs videtur maximè excelluisse, palmam ac principatum obtinuisse. Ac eius quidem libri prophetici & historici (quem verè præcipuarum historiarum sacrarum & prophanarum mundi epitomen siue compendium dixeris) lectio assidua, Regibus inprimis atq; principibus, videtur esse conuenientissima. Nam siue personam siue opus ipsum spectes, omnia regiæ dignitatis reperies plenissima. Ac Daniel quidem vir fuit atq; Propheta verè regius. Nam regale primùm fuit illius nomen duplex, vetus & nouum. Daniel enim iudicem siue iudicium Dei sonat. Fuit autem, vt tota historia testatur, iudex iustissimus & sapientissimus, qui adhuc adolescens & priuatus iudicij iustitiæq; suæ præclarum documentum dedit in grauissima & capitali illa Susannæ causa atq; periculo. Fuit etiam iudiciorum diuinorum interpres, extremi & vniuersalis illius iudicij prænuncius. Baltazar deinde fuit nominatus, quod nomen fuit regium F. Nabuchodonosoris, qui vltimus Chaldæorum & Assyriorum Monarcha fuit, & scrutatorem thesauri significat: qualis fuit Daniel non modò Regis Nabuchodonosoris, sed ipsius Dei thesaurarius, thesaurorum non tàm humanorum, quàm diuinorum scrutator diligentissimus. Deinde regia fuit illius patria, nempe Hierosolyma, quæ non solùm Iudææ, sed omnium ferè nationum atque regionum fuit metropolis & regina, Dei Regis Regum sedes atque locus. Regia fuit illius familia atque tribus, ex qua fuit oriundus, nempe tribus Iuda, quæ Regum Iudæorum fuit seminarium. Regalis fuit eius educatio à Rege & Monarcha potentissimo Nabuchodonosore educatus optimè, & institutus omni disciplinarum liberalium genere. Regum potentissimorum, vt Ioachimi, Regis Iudæorum, F. Iosiæ, sub quo post primū excidium Hierosolymitanum cum tribus socijs admodum puer in Babylonem trāslatus est, Nabuchodonosoris, Euilmerodachi, Baltazaris, Chaldæorū, & Assyriorū, Darij Medi, Cyri Persæ, Persarū & Medorū Regū (vt taceā de alijs principibus) notitia, amicitia, familiaritate,

Angeli præter alios prophetas, potissimū Danieli apparuerunt.

Daniel vir & propheta verè regius.

consuetudine, gratia & amore summo floruit. Præterea regia & egregia fuit illius corporis forma atq; figura. Regiæ & egregiæ fuerunt illius virtutes, vt prudentia, sapientia, rerum & artium diuinarum humanarumq; scientia atq; cognitio, pietas, religio, ieiuniorum & precationum studium, abstinentia, continentia, temperantia, fortitudo, modestia, humilitas, patientia & tolerantia, quæ in illius historia mirum in modum celebrantur. Regia præterea fuit eius dignitas atq; munus, ad quod Nabuchodonosor & eius successores eum euexerunt, quo illum cohonestarunt & decorarunt. Regale quoq; fuit verè munus eius Propheticum. Nam Regibus potentissimis de quatuor mundi Monarchijs, earũ serie, successione, progressu, euentu, de regno item Christi Regis Regum, deniq; de regno seu tyrannide Antichristi clarissimè vaticinatus est. Deniq; regius fuit vitæ eius exitus, funus, exequiæ & sepultura. Nam Darius Medus postquam cum Cyro Babylonium euertit imperium, cùm illum maximo fuisset prosecutus amore, maximoq; habuisset in pretio & honore, eum in Mediam secum abduxit, vbi vixit ad tempus vsq; Darij Regis Persarũ, annoq; ætatis 110. vitam finijt senio confectus: sepultus aũt est in spelunca regia in captiuitate cum gloria. Verè ergo hic Propheta regius à Gabriele Angelo, vir desideriorum, bis fuit appellatus: cùm is & Deo Regi Regum, & Regibus potentissimis & Angelis gratissimus & familiarissimus fuerit.

Isidor. de vita & morte quorundã sanctorũ cap. 40.

Iam verò opus quoq; ipsius, quod est opus spiritus sancti, verè est regale, cùm Regum atq; regnorum mundi potentissimorũ, regni Christi Regis Regum: regni deniq; siue tyrannidis potius Antichristi historias & vaticinia luculentissima complectatur. His postremò addam Patris illius elogium de hoc eodem Propheta: Vir, inquit, fuit gloriosus, & aspectu decorus, moribus humilis, corpore castus, perfectus in fide, egregius in opere, in virtute summus, in prodigijs clarus, insignis cognitor secretorum cœlestium, præscius futurorum, visionum interpres.

Sic Carolus M. Danielem vocat virum desideriorum, scrutatorem ar-

rem arcanorum, indagatorem scripturarum, Prophetam, qui non solùm, quod illi commune fuit cum cæteris scribit, nempe eum redemptorem mundi esse, & venturum, sed quo tempore venturus sit docet, & Reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. Itaq; cùm quiuis Christianus, tùm Reges & Principes, vt Dauidis regij psaltis et Prophetæ: ita Danielis quoq; regij Prophetæ monumēta sacra & diuina nō tàm manu, quàm mente versant diurna atq; nocturna. In his primò occurrit admirabilis commemorabilisq; illa trium Danielis popularium, sociorum & collegarum Sadrachi, Mesachi & Abodnegonis historia: qui cū illam auream Nabuchodonosoris statuam adorare recusassent, & Deo quàm Regis imperio parere maluissent, atq; ita constantes in religione sua permansissent, in ardentissimum caminum fuerunt coniecti. Illis statim sese adiunxit Angelus Domini eos protecturus, qui discussa de fornace flamma ignea leui cum susurro excitauit in ea roscidum quendam ventulum, per quem ignis eos reliquit intactos & illæsos: ita vt nihil prorsus senserint incommodi. Vnde etiam hi tres viri vno eodemq; ore de media fornace Deum collaudauerunt: eumq; toto pectore celebrarunt: in quo carmine Deum supra Cherubim vehi aiunt, & vt alias creaturas, ita cœlestes quoq; & angelicos illos spiritus ad Deum, qui illorum ministerio ad obeundam eius voluntatem vtatur, perpetuis laudibus decantandum & extollendum inuitant. Hunc Angelum Nabuchodonosor quoq; accedens ad ardens fornacis ostium, vidit formam planè angelicam, non dissimilem filio Dei: quo attonitus tres illos viros suis nominibus appellans de fornace egredi, & ad se accedere iussit. Ad hanc Regis vocem è medio ignis non sine maxima admiratione circumstantium progressi sunt, qui ignem nullam planè in ipsorum corpore vim habuisse viderunt, adeò vt ne pilus quidem capitis ipsis adustus fuisset. Quin & vestes eorum omnino illæsæ erant, ita vt nullum adustionis fœtorem emitterent. Nabuchodonosor itaq; hoc miraculo impulsus in diuinas laudes erupit. Omnibus modis, inquit, laudandus Deus, qui tres hos suos famulos in se speran

Historia triū Danielis popularium. Dan. cap. 3.

tes, & quenquam alium, præter verum Deum solum, colere aut adorare recusantes, misso suo Angelo de tanto incendio, tantoq; vitæ discrimine liberauit. Deinde Sadrachum, Mesachum & Abednegonem in pristinæ dignitatis gradum restituit, Prouincijs Babylonijs eos rursus præficiens. Postremò illustris diuini numinis præco factus omnibus toto terrarum orbe degentibus, ac sui imperij populis per literas imperauit sub sui capitis & regiæ indignationis grauissima pœna, ne quis vllam blasphemiã proferat in verum Deum, ex cuius signis atq; prodigijs in suo regno editis facilè colligi posse, regnum eius nunquam interiturum, & potentiam eius tantam esse, vt nullo vnquam seculo deficiat. Ex hac quoq; historia quiuis Christianus siue Rex atq; Princeps, siue priuatus maximos capit doctrinæ consolationisq; fructus. Nam quemadmodum Deus tres illos Danielis socios mirificè conseruauit & ex præsentissima simul horrendissimaq; morte liberauit, quasiq; ex inferni cruciatibus eripuit: ita meminerit grataq; mente recolat, se singulis penè momentis in plurimis & funestissimis flammis & incendijs calamitatum atq; periculorum admirando modo conseruatum sæpè fuisse & adhuc conseruari cum maxima & sua & aliorum admiratione. Quamobrem perpetuas Deo aget habebitq; gratias, nomen eius sacrosanctum summis ad cœlum vsq; laudibus extollet, & quosuis alios ad Deum laudandum inuitabit, à blasphemijs contrà auocabit & deterrebit, ac de constanti perpetuoq; Dei amore ad se vel salutem suam in posterum quoq; tuendam nequaquam dubitabit. Vt tres illi Danielis socij & ipse Rex Nabuchodonosor Angelũ illum viderunt in illo camino atq; incendio: ita idem in omnibus suis ignibus & flammis, id est, miserijs, ærumnis, calamitatibus atq; periculis, si non corporis, mentis certè fideiq; oculis cœlestes illos spiritus videbit, id est, firmiter credet, illos sibi Dei benignitate ad protectionem defensionemq; suam præstò esse.

Vsus historiæ illius sociorum Danielis.

Præterea vt & rubus ille in igni, quẽ Moses vidit, & tres hi Danielis socij in igni non perierunt, sed vixerunt atq; viguerunt: ita Ecclesiã & eius mẽbra, hoc est, pios & fideles credamus in ignibus, id est,

miserijs

miserijs & cruciatibus huius mundi nō interire, sed viuere, vigere & florere, Deo per Angelos suos illos admirabiliter conseruante.

Vt aūt Deus benignitatis & beneficentiæ suæ: ita vindictæ & vltionis suæ opera sæpè etiā per Angelos suos S. exequitur: quòd cùm ex alijs S. scripturæ locis, tùm ex arboris illius excelsa & sublimis somnio, quod Nabuchodonosor quidē vidit, Daniel aūt interpretatus est, facilè colligi potest. Arbore illa magna, valida, procera, patulis diffusa ramis, frondosa, vmbrosa, fructifera significabatur Nabuchodonosoris Regis & status florentissimus ac potentissimus, & (quæ eius fuit comes atq; pedissequa) superbia atq; animi elatio & (quæ superbiam consequi solet) pœna grauis & atrox, nempe nō solùm dignitatis regiæ, sed etiā rationis & consuetudinis humanæ priuatio vitaq; & victus belluinus, & agrestis: qui inter bestias per septenniū egit, deniq; quæ pœnam fuit consecuta pœnitentia, & quæ pœnitentiam, restitutio in integrum pristinæ dignitatis statum significabatur.

Visio arboris excelsæ Nabuchodonosori facta, & à Daniele explicata. Dan. cap. 4.

Quantū ad pœnā seu castigationē attinet, eiusq; mitigationē, quæ arboris illius succisione ramorū & frondiū amputatione, fructuūq; dissipatione: relicta tamē stirpe & radicibus fuit adumbrata, illā cùm Dei inprimis: tùm sancti & excitatoris siue vigilis, hoc est, Angeli cœlitùs demissi voce atq; decreto & prædictam & irrogatam fuisse legimus.

Hinc ergo primò discimus, Deum Opt. Max. per sanctos illos suos spiritus homines non modò plurimis bonis atq; beneficijs pro immensa sua bonitate, sed etiam nonnunquam pro sua iustitia iustis meritisq; pœnis afficere: id quod præter hoc somniū seu oraculū diuinum etiam alia S. scripturæ exempla testantur. Vnde discimus, sanctissimos illos Angelos, tanquā diuinæ iustitiæ atq; vindictæ administros & executores nobis etiā timendos esse: amandos aūt, tanquam diuinæ beneficentiæ administros: vt tantò magis nobis à peccatis timeamus.

Vsus visionis huius.

Deinde quòd in punitionis huiusce & prædictione & irrogatione cū decreto Dei sanctorū Angelorum vox atq; decretum coniungitur: inde colligimus, Deum quidem primarium, Angelos autem secundarium & instrumentalem esse pœnarum causam, summamq; esse vo-

luntatis diuinæ & Angelorum quasi harmoniam atque concentum. Angeli enim suam voluntatem ad Dei voluntatem dirigunt atque accommodant. Postremò quòd hic Angelus & excitator, siue vigil & sanctus appellatur, quæ duo propria sunt Angelorum, id cùm nobis documento, tùm solatio est maximo. Nam primùm quemadmodum Angeli & sancti sunt & alios ad sanctitatis studium incitant: ita nobis quoq; vitæ morumq; sanctimoniæ studendum, & cùm nostro exemplo, cuius vis est maxima, tùm edictis atq; monitis, pœnis atq; præmijs ad vitæ sanctæ & innocentis studium alios nobis excitandos & à vitæ morumque impuritate auocandos & deterrendos esse arbitramur.

Deinde quemadmodum sancti illi spiritus sunt vigilantissimi (vnde vigiles, excitatores seu excubitores appellantur) cùm voluntatis diuinæ exequendæ, & saluti humanæ custodiendæ dies noctesq; inuigilant, tùm homines suæ curæ atq; custodiæ à Deo commissos à somno, ab ignauia, atque pigritia ad diligentiam atq; fidelem officij sui functionem subinde excitant: ita Rerumpub. & Ecclesiarum præsides saluti eorum, qui illis à Deo commendati sunt, sibi assiduè esse inuigilandum, eosq; ab otio ignauo & pernitioso ad vigilantiam & actiones pias & honestas sibi excitandos esse existiment. Hanc porrò Angelorum sanctissimorum vigilantiam sibi quoq; ad consolationem suam proponant. Nam cùm persuasissimum habeant Angelis se vti custodibus salutis suæ fidelissimis & vigilantissimis, securo, impauido fortiq; sint animo quibusuis in periculis, in quauis hominum vel perfidia, vel oscitantia & negligentia, omnemq; nimis anxiã de vita atq; salute sua curam solicitudinemq; deponant.

Similiter quiuis, in regia præsertim dignitate constitutus sæpè recordetur orationis Angeli illius cœlitùs missi, qui postquam Nabuchodonosori sententiam iudicij pœnæq; diuinæ, quæ septennium esset duratura, significauit, addidit, donec agnoscas summum illum Deum dominium habere in regna, quodq; ea conferat, cuicunq; ipsi collibuerit.

Ille

Ille itaq; memor horum verborum Angeli meminerit modestiæ et humilitatis,& regiam hanc suam dignitatem soli Deo ferat acceptam:& idcirco ad illius solius eam referat gloriam. Nouit optimè non dormire Dominum, qui custodit Israelem, vt Dauid inquit, nec dormire dormitantibus & stertentibus, vel etiam perfidè sese gerentibus sui corporis custodibus & satellitibus, cœlestes illos vigiles & excubitores, quibus suam & aliorum hominum salutem scit summæ curæ esse. Cui etiam dubium, quin, quemadmodum Angelus hic sanctus & vigilans Nabuchodonosori vigilanti apparuit, eum in somno sui officij & pœnæ, quæ illum maneret, nisi resipisceret, admonuit, eum dormientem protexit: eum deniq; ex somno illo rursus excitauit; ita etiam Deus per Angelos suos quemuis Christianum principem, non modò vigilantem, sed etiam dormientem protexerit adhuc atq; tutatus sit à plurimis insidijs atq; periculis, eum in somniis nonnunquam de officio & salute sua admonuerit, eum etiam, quando vel ipsius vel populi salus agebatur, è somno, cuius aliâs principes omnes decet esse parcißimos, excitarit: quam vigilantißimam fidelißimamque Angelorũ custodiam sibi in posterum quoq;, siue vigilanti, siue dormienti sperabit nequaquam defuturam.

Quemadmodum autem Deus Nabuchodonosorem Regem; ita quoq; eius nepotem ex Euilmerodacho filio Balthazarum, vltimum Chaldæorum & Aßyriorum Regem per Angelum suum de futuro exitio atq; interitu, nisi resipisceret, admonuit. Nam cùm Balthazar iste filius Belial à Maiorũ suorum probitate degenerans, obsidione iam per Cyrum & Darium cincta Babylone, pro superbia & socordia sua magnificentißimum conuiuium cum optimatibus & proceribus suis, nec nõ concubinis & vxoribus regijs celebrasset, genio ebrietatiq; indulsisset, sacra templi Hierosolymitani vasa atq; pocula, quæ auus eius Nabuchodonosor inde Babylonem auexerat, in conuiuium proferri iußisset, vt conuiuæ sui cum summa numinis diuini contumelia ex illis potarent: & vnà cum conuiuis suis graues in Deum blasphemias euomuisset: ecce subitò apparuerunt humanæ manus digiti, Historia visionis, quã Balthazar vidit. Dã.5.

veluti de pariete progreßi, ex aduerso candelabri, quò rectiùs viderentur, idq; in summa superficie dealbati parietis, in aula, exarantes quasdam literas. Rex improuiso & stupendo illo manus & scripturæ viso perculsus & perturbatus maiorem in modum conuocatis statim genethliacis, mathematicis & diuinatoribus suis magnifica præmia eis proposuit atq; promisit, qui scripturam istam legere & interpretari possent. Verùm cùm nullus Mathematicorum & diuinorum eius id præstare, hoc est, neq; legere neq; intelligere illam scripturam posset, Rex auiæ suæ paternæ admonitione Danielem ad se accersiuit, eiq; purpuram, torquem auream, & tertiam regiæ dignitatis partem promisit, si hanc ei scripturam & legeret & interpretaretur. Is igitur Balthazari primùm extremam suam superbiã & impietatem exprobrans, hanc ei scripturam in pariete angelica manu atq; digitis exaratam, quæ exitij illius imminentis erat prænuntia, & legit & exposuit: quæ talis erat מנא מנא תקל ופרסין Mene, mene thekel vpharsin: cuius hæc erat interpretatio: מנא Mene numerauit, numerauit, inquam, Deus dies regni tui: ita vt illi nunc sint completi, adeò vt non sis amplius regnaturus. תקל Thekel, appendit, siue ponderauit, scilicet Deus, veluti bilance adhibita, an iusti esses ponderis ac longiore regno dignus. Sed deprehendit, te propendere, nimisq; leuem, regno prorsus indignum & inutilem. פרס Phares, diuisum est, videlicet regnum tuum, illudq; translatum ad Medos & Persas, arcta obsidione nunc vrbem cingentes. Hanc scripturam, eiusq; lectionem & interpretationem euentus statim fuit consecutus, Balthasaro nimirum illa ipsa nocte occiso, & Babylonico regno ad Medos & Persas translato, quo Darius Rex Medorum 62. natus annos potitus fuit.

Manus pingentis videtur Angeli manus fuisse.

Hi digiti, hæc manus quasi hominis scribentis sine dubio fuerunt digiti atq; manus Angeli cuiusdam, qui Dei iussu scripturam illam funestam, tanquam sententiam mortis & interitus à Deo latam in pariete illo exarauerat, Regiq; illi impio proposuerat. Vt autem hoc in loco Angelus scribæ munere fungitur: ita apud Ezechielem legimus

Angelum

Angelum indutum lineis atramentarium habuisse in lumbis suis, qui ingressus in templum manus suas prunis impleuit, quas deinde sparsit super vrbem, incendij nimirum vrbis & templi Hierosolymitani prænunciandi gratia. Idē indutus linea veste cum atramentario ex latere iussus fuerat transire mediam Hierosolymorum vrbem & signum literæ ת Tau *eorum frontib. inscribere, qui hominū scelerib. atq; flagitijs ingemiscerent atq; dolerent, id est, veram pœnitentiam agerent.*

Quemadmodū igitur Reges, Principes, iudices, magistratus suos habent scribas, notarios, librarios, amanuenses, qui leges, acta, sententias, decreta, edicta literis consignant, memoriæq; mandant: ita Deus quoq; habet cælestes illos suos scribas, siue scriptores, per quos leges, sententias, atq; decreta sua prænunciari, prædicari simul & executioni mandari curat. Huiusmodi fuit scriba ille apud Ezechielem (quem nonnulli volunt fuisse ipsum Dei filium, alij Angelum quendam creatum) qui literam ת Tau *exarauit in eorum frontibus, vt dictum est, et qui hominum seruandorum frontes signâsse scribitur Apocal. 7. & qui hic apud Danielem mortis & exitij sententiam iam latam à Deo supremo iudice, in pariete exaratam Balthazari Regi legendam cognoscendamq; proposuit. Reges itaq; & Principes vtriusq; scriptoris atq; scripturæ Angelicæ semper memores veræ seriæq; pœnitentiæ omnem sine intermissione dabunt operam, vt sint in numero eorum, qui in frontibus nec tàm in frontibus, quàm in cordibus literam* ת Tau, *id est, signum crucis, crucis nimirum Christi inscriptum habent atq; insculptum, qui suis & aliorum hominum peccatis dolent & ingemiscunt, hoc est, qui in Christum credunt, fidemq; hanc suam ore confitentur & obedientiæ pœnitentiæq; perpetuæ studio testatam faciunt. Deinde huius quoq; scriptoris & scripturæ angelicæ, quæ Balthazaro proposita fuit, recordatione ad maiorem indies scelerum flagitiorumq; detestationem, & pietatis ac virtutis studium accendantur: ne in grauissimā Dei manū offensionemq; incurrant, & secū ijsdē pœnis totū simul regnū atq; Remp. inuoluant. Illā enim in Balthazarū Regem latam sententiam tristem & funestam certò sciant pertinere ad*

Vsus visionis factæ Balthazaro

omnes Reges ac Principes impios ac pœnitere nescios: qui tandem iusto Dei iudicio omni dignitate fortunisque suis exuuntur, vita non solùm temporali, sed etiam æterna, nisi pœnitentiam egerint, priuantur, ac illorum regna, dominia, principatus, fortunas omnes à posteris & hæredibus ad alienos populos Regesque transferuntur. O vtinam omnes orbis terrarum, præsertim verò Christiani orbis Reges atque principes hanc manum & hanc scripturam iræ & vindictæ diuinæ prænuntiam semper sibi ante mentis oculos proponerent! Dubiũ profectò non est; quin munere officioque suo longè meliùs fungerentur, hoc est, multò sanctiùs, castiùs & religiosiùs in munere suo versarentur, quàm proh dolor fieri consueuit?

Præterea etsi Reges & Principes plurimos habent, & in aula sua & per totum regnum suum à manibus siue amanuenses, scriptores, notarios, librarios, secretarios, quorum alij bona fide funguntur officio, alij verò non item: tamen illi sæpe cogitare debent de cœlestibus illis Dei Opt. Max. amanuensibus & scriptoribus qui atramentarium & calamum semper habent in promptu, quorum scriptura est vera, fixa, rata, firma, indelebilis & irreuocabilis: quoniam non nisi à Deo dictata & imperata, eius nimirum iudicia & decreta exarant, hoc est, mortalibus annuntiant, ac prædicant: quam scripturam illi pluris faciant, quam omnium scriptorum et amanuensium suorum manus, scripta atque libros. Dabunt etiam operam, vt scriptores & notarios suos, quorum magna sæpe solet esse improbitas, auaritia, fallacia atque perfidia, in fide & in officio contineant, & ad angelicorum illorum notariorum & secretariorum imitationem incitent: ne vel sibi vel alijs fucum faciant.

9

Historia Danielis in leonum speluncam coniecti. Dan. c. 6

Quantis præterea solatijs est referta illa Danielis in leonum speluncam coniecti historia? Nam cùm regius sanctusque ille Propheta propter summam dignitatem, ad quam supra omnes imperij satrapas à Dario Rege Medorum & Persarum euectus fuerat, maxima inuidiâ, quæ felicitatis comes est & in aulis maximè dominatur, laboraret, tandem æmulorum & inuidorum suorum calumnijs in leo-

nium

num immanissimorum speluncam fuit coniectus, propterea quòd contra edictum regium (quo sancitum erat sub ea pœna, vt in leonum antrum quis proijceretur, ne quis per 30. dies ab vllo aut Deo aut homine, nisi à solo Deo quicquam peteret) Dei sui inuocandi atq; precandi nullum finem fecerat. In hoc autem leonum esurientiū lustro Deus illum mirificè conseruauit illæsum, intactum, inuiolatum, cùm, quemadmodum ipsemet ad Darium Regem dixerat, per Angelum cœlitùs missum leonum ora clausisset: ita vt minimè in eum sæuierint, nec eum vllo modo læserint. Iidem leones postea calumniatoribus illis in eundem lacum coniectis nequaquam pepercerunt, sed illos, priusquam in solum lacus decidissent, arreptos discerpserunt, atq; omnia etiam eorum ossa contriuerunt. Vnde Rex Darius literis & decreto per totum terrarum orbem promulgato omnibus in regni sui ditione agentibus imperauit, vt Danielis Deum timeant, reuereantur atque colant, qui non aureus sit & argenteus, sed viuus ac verus, in omne æuum permanens, cuius regnum non ad alium deuoluatur, sed perstet illi perpetuum & immotum, & cuius potestas nullo vnquam seculo sit interitura, quiq; multis signis & prodigijs in cœlo terraq; editis sit conspicuus. Danieli quoq; nemo ab eo tempore oblatrare ausus fuit, sed omnia illi prosperè & feliciter successerunt: ita vt maximo in honore atq; gratia fuerit: tùm in regno & in aula Darij, tùm etiam apud Cyrum, Regem Persarum, omnesq; eius imperij Proceres. Hanc quoq; insignem historiam cùm quiuis alius Rex, tùm præcipuè Rex Galliæ & Nauarræ HENRICVS IV. animo suo voluens atq; reuoluens meminit, se, vt Daniel Propheta per Angelos, qui ei fuerunt familiares, in tristi illo leonum rugientium & esurientium lustro admirabiliter à Deo & à morte defensus fuit, & cibo messoribus iam parato nutritus & pastus: ita in medio leonum immanissimorū suorum nempe bestiarum, plus quàm leonina sæuitia præditorum, præsertim in lustro illo Parisiensi anno 1572. defensum & conseruatum fuisse. Vnde certò sperat, illum in posteris quoq; sibi nequaquam defuturum: Sed quemadmodum ora illa leonum obdurauit & clausit: ita suorum

quoq; hostium fauces clausurum, vt quibus antea inuisus odiosusq; fuerat, nunc magna apud eos in gratia, pretio & honore, sicut hactenus cœpit esse, sit futurus.

Visio quatuor bestiarum Danieli ostensa.
Dan. cap. 7.

Porrò Angelorum & dignitas sublimis & numerus innumerabilis officium ac ministerium clarissimè refulget ex diuino admirabilique illo Danielis somnio, quo Deus illi per Angelos suos patefecit res maximi momenti atq; ponderis, nec temporales solum, sed etiam æternas reuelauit. Nam primò super 4. animalium è mari, quatuor cœli ventis commoto, ascendentium, nempe leonis, vrsi, pardi, & quarti anonymi formidabilis & terribilis cum 10. cornibus, ferreis dentibus, & æreis vngulis præditi, imaginibus, vidit 4. imperiorũ, nempe Chaldaici & Assyriaci, Medi & Persici, Græci & Macedonici, & Romani, ex mundo, tanquam mari, plurimis tumultuum, discordiarum & bellorum procellis agitato, exorientium seriem, successionem, atq; progressionem & interitum. Deinde sub imagine parui cornu, inter 10. quarti animalis, id est, Monarchiæ cornua exorti, per quod ex 10. prioribus tria fuerunt euulsa, quod oculos habuit hominis similes, os præturgidum, superbum, arrogans & magniloquum, quod prælio cum populo Dei decertabat, eiq; præualebat, preuidit Antichristum, qui simulatione & humanitate ficta, religione, dignitate, opibus et viribus magnus sit euasurus, qui sibi statas populi Dei solennitates mutandi potestatem sit arrogaturus, qui cum sanctis bellum graue sit gesturus, magnamq; illis cladem sit irrogaturus, plurimaq; damna ad extremum vsq; iudicium ijs sit illaturus. Deniq; in eodem somnio Dei Patris & eius Filij Christi siue Messiæ imperium æternum & extremum iudicium ei à Deo fuit reuelatum, cuius quidem hæc est illustris & graphica descriptio. Nã cornu illo paruo tumultuante, frendente atq; fremente allati fuerunt throni, & senex prouecta ætate consedit, cuius vestimentum niueo erat candore et capilli mundam aquabant lanã. Thronus eius, cui insidebat, erat igneus, qui rotis vehebatur ardentibus. Fluuius aũt igneus ac rapidus ab eo promanabat: vt cuius eloquia ignita sunt, & quouis gladio penetrantiora: vel etiam

Similẽ eius dẽ iudicij extremi descriptionẽ vide Apoc. 4. & 5. Itẽ cap. 14. & 15. & 19. & 20.

etiam cuius sententia est ignea, quam feret super impios adiudicans eos igni perpetuo. Angelicorũ præterea spirituũ ei ministrantiũ mille millia habebat, quæ ipsũ circũstipabant, & decies centena millia corã ipso astabant: cũq; iudices consedissent, aperti sunt libri rationales, vt cuiq; redderetur secundũ facta sua. Postremò in eadem visione siue somnio promicabat in cœli nubibus quidam, veluti filius hominis, qui vsq; ad prouecta illũ ætate senẽ peruenit, cui datũ est regnũ, honor & imperiũ, vt omnes populi, nationes atq; linguæ eũ colant, eiq; inseruiant, cuius regnũ & potestas nunquã est interitura, sed in omne æuum permansura. Hoc aũt somniũ totũ quidã ex Angelis Danieli interpretatus est & exposuit. Somniũ ergo hoc Danielis θεόπνευστον, cõpendiosa simul & illustris est descriptio cũ monarchiarũ quatuor mundi, tũ regni Antichristi, tũ deniq; regni Dei atq; iudicij Christi extremi, cuiusmodi descriptionẽ & in Apoc. extare suprà asperſi: quæ quidẽ cũ hac pulcherrimè potest cõferri, quarũ vtriusq; membra sunt thronus Dei, throni assessorũ, Iudex Christus, libri, pœnæ & præmia. Visio hæc quarũ rerũ symbolum.

Primò quantũ ad thronos attinet, vt thronus, cui Deus insidebat, dicitur fuisse igneus, qui rotis vehebatur ardentibus, & ex quo fluuius prorumpebat igneus & rapidus: Sic Apoc. 4. sedes siue thronus dicitur fuisse positus in cœlo, & supra thronum sedens, de qua procedebant fulgura & tonitrua & voces & septem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Apoc. 20. appellatur thronus magnus & candidus. Descriptionis extremi iudicij collatio è Daniele cũ Apoc. & primũ throni.

Quantum ad sedentem super thronum, vt Daniel eum vidit in somnio suo amictum veste candida instar niuis, cuius capilli erant similes lanæ mundæ: Ita Iohannes eum vidit cap. 4. aspectu lapidis Iaspidis & Iardij similẽ: cuius conspectu, vt habetur cap. 20. fugit terra & cælum; & locus non est inuentus eis. 2. Sedentis in throno.

Quantum ad thronos attinet, quos Daniel vidit allatos, & Iohannes in circuitu throni Dei cap. 4. vidit numero 24. & super eos 24. seniores sedentes, amictos stolis albis, qui habebãt in capitibus suis coronas aureas. 3 Thronorũ allatorũ.

4. Filij hominis. *Quantum ad illum attinet, quem Daniel vidit in nubibus cœli velut filiū hominis, & qui Iohan. cap. 5. leo de tribu Iuda radix David, agnus stans in medio throni vocatur: item inter 4. animalia & in medio seniorū, tanquā occisus, habens cornua septem & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnē terram, qui accepit de dextera sedentis in throno librum, qui vnà cum patre sedente in throno laudibus celebratur ab Angelis & hominibus. Eundem Iohan. vidit cap. 19. insidentem equo albo, qui vocabatur fidelis & verax per iustitiam iudicans & pugnans, oculi eius erant sicut flamma ignis & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse: Vestitus erat veste tincta sanguine: cuius nomen est seruus Dei: Ex cuius ore procedebat gladius ex vtraq; parte acutus, vt eo percuteret gentes: qui eas reget virga ferrea, qui calcauit torcular vini furore & ira Dei omnipotentis: qui in vestimento & in femore habet nomen scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

5. Assessorum. *Quantum ad assessores Dei Patris & Filij attinet, in hoc iudicio David vidit iudices, qui consederant in illis thronis, vidit multa millia Angelorum, qui thronum Dei & agnum circumstabant: ita Iohan. Apoc. 4. in circuitu throni vidit thronos 24. & super thronos 24. seniores sedentes, amictos stolis albis, qui habebāt in capitibus suis coronas aureas. Item paulò pòst: Et in medio sedis siue throni 4. animalia plena oculis antè & retrò. Horum primum erat simile Leoni, secundum vitulo, tertium habebat faciem hominis & quartum erat simile aquilæ volanti. Singula hæc animalia 4. habebant alas senas in circuitu & intus plena erāt oculis. Hæc sine cessatione & intermissione clamabant:* Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus.

6 Laudationes. *Sequitur deinceps descriptio carminū honorificentissima, & laudum, quibus animalia & 24. Seniores celebrarunt sedentem in throno. Vidit etiā & audiuit vocē Angelorū multorū in circuitu throni & animaliū & seniorū, & millia milliū, aientium voce magna:* Dignus

gnus

gnus est agnus, qui occisus est, accipere virtutẽ & diuitias & sapientiã & fortitudinẽ & honorẽ & gloriã & benedictionem. *Deniq; omnes creaturæ cœlestes, terrestres, subterraneæ, maritimæ sedentem in throno & agnum laudibus celebrarunt. Quatuor animalia dixerunt* Amen. *Et 24. seniores prostrati in facies suas adorauerunt viuentem in secula seculorum. Item cap. 19. Iohannes audiuit vocem magnã & turbas multas in cœlo laudantes Deum: cuius laudationis forma subiungitur, vbi mentio rursus 24. seniorum fit, & 4. animalium vocum & turbarum multarũ laudantiũ Deum. Et cap. 20. Vidit sedes:* Et sederunt super eas, & iudicium datum est illis.

Præterea vt Daniel vidit libros apertos rationales, vt cuiq; redderetur secundum facta sua: ita Iohannes vidit Apoc. 15. in dextra sedentis in throno librũ scriptũ intus et in tergo signatũ 7. sigillis: quem cùm nemo neq; in cœlo, neq; in terra neq; subter terram aperire neq; aspicere posset, eum accepit de dextera sedentis in throno, eumq; aperuit & eius sigilla. Et cap. 20. vidit mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, &c. 7. Librorũ.

Ex his ergo apparet, quàm pulchra & concinna sit horum locorum nempe cap. 7. Daniel. cap. 6. Isa. cap. 1. & 10. Ezech. & Apoc. 4. 15. 19. & 20. harmonia, ita vt vnus locus aliorum sit illustris explicatio. Quiuis igitur Christianus in hoc Danielis somnio videt non quidem oculis corporis, sed animi atq; mentis 4. mundi monarchiarum seriem, successionem, conuersionem, mutationem & interitum, & in his animo suo complectitur regnorum, imperiorum, potestatum, dignitatum, diuitiarum rerumq; mundanarum & humanarum siue minimarum siue maximarum naturam & conditionem commutabilem, fluxam, caducam & fragilem; ita vt illi non minimum sit tribuendum, eo nitendum, ei confidendum, deq; eo gloriandum. Harmonia Danielis & Apocalypseos elegans. Vsus huius somnij.

Deinde in hoc eodem somnio considerat & contemplatur Dei re-

gnũ & imperiũ, quod nullis vel locorũ vel temporum terminis circumscriptũ est ac definitum, sed longè lateq; patet per cœlũ atq; terram, & æternum permansurũ in omnia secula. Quamobrem spretis contemptisq; omnibus huius mundi regnis & imperijs atq; dignitatibus, ad æternum & omnipatens illud regnũ & imperiũ siue dignitatem, sibi toto pectore aspirandum & anhelandum esse arbitratur.

Tertiò quiuis Christianus in hoc somnio Danielis, vt etiam in visionibus Isaiæ, Iohannis, & tota sacra scriptura contemplabitur, sibiq; diu noctuq; semper ante mentis oculos proponet extremũ illud Dei iudiciũ ἀνεθτωτόληπτον, iustũ, rigidũ & seuerũ: à quo nulla erit prouocatio: thronũ irẽ illũ magnificentißimũ Dei Patris & eius filij Christi, Christũ iudicem supremũ, thronos illos inferiores, Apostolos, Prophetas, Angelos illos potẽtißimos & numerosißimos superioris illius iudicis scribas, apparitores, satellites, famulos: item libros illos rationales, qui aperientur, in quibus scripta sunt omniũ hominũ opera, secundũ quæ sententia feretur vltima: deniq; illã ipsam sententiam vltimã & definitiuã, quæ erit rata, fixa & irreuocabilis, & eius deniq; executionem, qua nimirũ alij quidem morti & damnationi, alij verò vitæ & saluti æternæ addicentur & adiudicabuntur: quam sententiam è vestigio executio consequetur. Quamobrẽ cùm optimè norit minimeq; dubitet, sibi omniũ dictorum factorũq; suorũ, & cuiusuis sui muneris, quod in his terris geßit, corã Deo, coram Christo, corã sanctis omnibus, corã omnibus Angelis reddendam esse rationem, & inde vel vitã vel mortẽ æternam sibi esse expectandũ. Hæc cogitatio illi erit stimulus & aculeus ad cautam, diligentẽ, piã, religiosamq; muneris sui functionẽ, ad virtutũ operũq; bonorum studium: ita tamen vt nõ in his ipsis, cùm ea manca, imperfecta & sordida esse agnoscat ac fateatur, sed in sola Dei gratia atq; misericordia, in solo Christi sacrificio omnẽ salutis suæ spem defigat, & à Dei iudicis iustißimi iustitia, ab illius tribunali atq; cõspectu, corã quo nemo mortaliũ cõsistere et iustificari potest, ad Dei misericordiã et Christi meritum prouocet: secundum illa S. Bernhardi in agone mortis constituti verba: Nam cùm extremũ iam spiritũ trahere videretur, in

excessu mentis, ante tribunal Domini sibi visus est præsentari. Affuit aũt & Sathan ex aduerso, improbis eũ accusationibus pulsans. Vbi aũt ille omnia fuerat persecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum, nihil territus aut turbatus ait: Fateor non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnũ obtinere cœlorũ. Cæterũ duplici iure illud obtinens Dominus meus hæreditate scilicet patris & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat: ex cuius dono, iure, illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus est inimicus, &c.

Postremò in hoc Danielis somnio cõtemplabimur Angelorũ & dignitatẽ & ministeriũ & numerũ inumerabilẽ. Ac numerus quidẽ potentißimorũ illorũ spirituũ Deiq; satellitũ nos facit magis ac magis admirari immensam & infinitã Dei maiestatẽ atq; potentiã. Deinde cùm certò credam⁹ eosdẽ Angelos nostræ quoq; salutis esse custodes & tutores, nõ nimis terrebimur vllis vel numerosißimis hostiũ & aduersariorũ nostrorũ copijs, animũ erigentes ad numerosißimũ illũ exercitum cœlestẽ, quẽ scim⁹ lõgè potentiorẽ esse illis, secundũ illa Elisæi verba ad famulũ suũ, Plures secũ esse & à suis partib. stare, quàm cõtra se. *Cogitabim⁹ etiã vel vnũ ex his apparitoribus innumerabilibus potentiorẽ esse omnib⁹ nostris hostib⁹, quantũuis plurimis & numerosißimis: quæ quidẽ cogitatio nostrã fidẽ & confidentiã in Deo valdè corroborat atq; cõfirmat, contrà nostrã diffidentiã metũq; imminuit. Deinde eorũdẽ dignitas simul & ministeriũ, quod exprimitur illis verbis, quòd Dei thronũ circũstare dicuntur, tanquã pmpti & parati ad excipiẽda & exequẽda eius mãdata, nobis & documẽto est & solatio:* Documento *quidẽ, vt ipsi quoq; Angelorũ exẽplo stem⁹ semper in pcinctu, parati simus & pmpti ad Dei iudicis illius supremi iudicia, id est, voluntatẽ, quæ in ipsius verbo expressa est efficiendã.* Solatio, *cùm cogitamus, illos Dei apparitores, stipatores atq; satellites, nostri quoq; & animi & corporis & fortunarum omnium custodes esse fidelißimos & vigilantißimos: vnde quibusuis in periculis animo semper sumus securo & confidenti.*

Visio Danieli ostensa in Susis de pugna inter arietē et hircū, cap. 8

Porrò idē Daniel anno tertio regni Balthazari Regis Chaldæorum & Aßyriorum cùm esset Susis, quæ fuit metropolis & regia Persarum in Elymaide sita, regia curaturus negotia, aliud habuit somnium diuinum maximarum rerum prænuntium.

Nam primùm in illo vidit seu præuidit (administro & interprete eius somnij vsus Angelo Gabriele) sub imagine arietis bicornis, ferocis, quosuis cornibus impetentis exoriturū breui regnū Medorū & Persarū, quod nemine ei resistente, antrorsum & ab Oriente procedens impetijt & inuasit ab Occidente Aßyrios & Palæstinos, ad Aquilonem Babylonios, Cappad[illegible] Armenios, Lydios & Scythas, ad Meridiem Arabas & Aegyptios: sibi deniq; subiecit 120. prouincias. Deinde sub typo & imagine hirci ab Occasu venientis, totam terram peruagantis, ac quasi peruolantis, cornu insigni & egregio intra oculos præditi, arietem illum humi prosternentis & conculcantis: cuius insigne cornu tandem confractum est, & in eius locum quatuor enata sunt cornua alia in quatuor cœli ventos, siue mundi plagas spectantia, sub horum, inquam, imagine præuidit, interprete similiter Angelo Gabriele, regnum Macedonicum siue Græcum, ab Occasu, hoc est, Græcia & Macedonia (quæ occidentalis erat Asiæ) in Asiam progreßum: cuius primus Rex seu Monarcha fuit Alexander ille M. qui hirci instar cornupetæ iuuenis 26. annos natus incredibili celeritate arietem, id est, regnum Medorum & Persarum, cæteraq; mundi regna imperio potestatiq; suæ subiecit. Sed vt subitò oritur, ita subitò occidit. Cornu enim illo magno fracto, id est mortuo, loco illius regni vnius quatuor cornua, id est, regna siue reges extiterunt secundum 4. mundi cardines, nempe Rex siue regnum Aegypti ad Meridiem Rex siue regnum Syriæ ad Aquilonem, Rex siue regnum Macedoniæ ad Occidentem, Rex siue regnum Asiæ minoris ad Orientem.

Tertiò sub typo & imagine paruicornu, quod ex 4. illorum cornuū vno prodijt, quod quidem breui validè succreuit atq; insurrexit contra meridiem vbi Aegyptus est, & contra Orientem, vbi Persæ sunt,

sunt, & etiam contra terram Israeliticam cornu illius, quod se extulit aduersus exercitum cœli, cuius stellas humi prostrauit pedibusq; suis conculcauit, atq; adeò aduersus ipsum exercitus imperatorem, aduersus eius iuge sacrificium, legem atq; cultum, vidit atq; præuidit, interprete similiter Angelo Gabriele, Antiochum Epiphanem, à Seleuco Nicanore, à quo fuit decimus, oriundum, qui immani furiosaq; tyrannide (vnde ἐπιμανής, id est, furiosus fuit cognominatus) cùm alias nationes, tùm verò & inprimis populum & exercitum Dei, id est, Ecclesiam Iudaicam, eius stellas atq; lumina, hoc est, viros pietate & doctrina stellarum instar lucidos ac præfulgentes, Dei templum, iuge sacrificium, cultum atq; legem oppugnauit atq; afflixit. Tempus autem à defectione populi & prophanatione cultus diuini ad eiusdem instaurationē numeratur dierū bis mille trecentorū, qui faciūt sex annos, menses quatuor, & dies viginti circiter. Tandiu enim, vt ex historia Machabæorum constat, calamitatem istam durasse.

Quod autem in hac visione Angelus Domini perspecta hac calamitatum facie, quæ Ecclesiæ Dei erant euenturæ, commouetur quodammodo ac perturbatur: inde colligimus, Angelos non tàm terrestria, quàm cœlestia sapere & spectare: nec tàm de rebus mundanis & humanis, quàm de Ecclesia & gloria Dei esse solicitos. Quamobrem inde discimus, nos quoq; non tàm rerum humanarum, quàm Ecclesiæ gloriæq; diuinæ rationem ducere, curamq; gerere debere, Ecclesiæq; calamitatem nobis magno debere esse dolori. Vsus visionis de ariete & hirco.

Deinde vt Angelus iste Gabriel nomine, quod sonat virum fortem Dei, humana specie Danieli, Dei iussu apparuit, eum consternatum est allocutus, tetigit, erexit, consolatus est, eiq; visionem hanc optimè fidelissimeq; est interpretatus: ita non dubitet quiuis Christianus, Angelos, quos omnes verè Gabrieles, id est, viros fortissimos & heroas dixeris, sua natura inuisibiles, visibili corporeaq; specie sæpè hominibus apparentes, non specie tantùm atq; forma, sed natura et reipsa per humanos hominumq; amantes, illos, quod sæpissimè experitur mœstos, meticulosos, anxios, perturbatos consolari atque erige-

re, eosdem mysteriorum diuinorum ignaros & imperitos cùm teste Petro 1. epist. 1. cap. desiderent introspicere in mysteria Dei, docere, erudire & instituere. Ergo ex hoc quoque somnio Angelorum dignitas, scientia, & cognitio mysteriorum diuinorum, amor erga Ecclesiam genusque humanum eluxescit. Nam quod de Gabriele Angelo hîc scribitur, id ad omnes Angelos referri & accommodari debet.

Visio angelica Danieli facta, cùm de alijs rebus, tùm de redemtione generis humani. Dan. 9

Sequitur alia angelica Danielis visio, quæ cùm totum redemtionis generis humani per Christum factæ opus (quod per Angelos ab initio prædicatum & per Sacramentum incarnationis & Passionis Christi illis, quibus debuit, adhuc prædicari, S. Augustinus testatur libro 7. de Ciuit. Dei cap. 32.) cùm populi, vrbis, templi, regni, siue politiæ & ceremoniarum Iudaicarum excisionem & exterminationem complectitur. Nam cùm Daniel anno primo Darij ex Medorum semine oriundi (qui cum Cyro occupata Babylone Chaldæorum Monarchia potitus fuerat) cum ieiunio sacco atque cineribus quæ pœnitentiæ sunt signa, ardentissimas ad Deum preces fudisset: quibus partim cùm sua populique peccata, tùm Dei iustitiam & misericordiam confessus fuerat, partim populi liberationem ex seruitute Babylonica à Deo petierat, Angelus Gabriel viri specie ei apparuit. Ad illum enim tempore vespertini sacrificij celeri volatu delatus, illum tetigit suoque compellans nomine his verbis est alloquutus: Cùm primùm, *inquit,* precari cœpisses continuò decreuit Dominus facere, quod tibi est in votis, quodque tantopere rogasti, & idcircò egressus à Domino: Ecce adsum hæc tibi significaturus: quoniam Deo charus es atque gratus.

Deinde captata attentione Prophetam simul & Euangelistam agens, non solùm de Iudæorum liberatione ex seruitute Babylonica, de illorum reditu in patriam, de templi vrbisque ædificatione & instauratione, sed etiam de Christi ducis ac principis post LXX. annorum hebdomadas, hoc est, annos 490. aduentu in carnem, vnctione, morte, resurrectione, sed etiam de eius effectis, hoc est, de peccatorum remissione, de Christi satisfactione & iustitia, de legis & prophetiæ

phetiæ abolitione, de missione Sancti Spiritus, de prædicatione Euangelij per totum terrarum orbem, de Ecclesiæ ex omnibus gentibus collectione & constitutione, deniq; de vrbis Hierosolymitanæ per imperatores & exercitum Roma. obsidione grauissima, incolarum eius discordijs & cædibus intestinis, de eiusdem vrbis templiq; occupatione, concrematione, populi, regni, politiæ, ceremoniarumq; Iudaicarum abolitione ita clarè vaticinatur, vt Euangelistam, non Prophetam agere videatur.

Ex hac igitur visione rursus colligit quiuis Christianus, Deum omnibus verè serioque resipiscentibus, & illum inuocantibus, eius gratiam, opem auxiliumque implorantibus, Angelos suos è cælis mittere ad illos consolandos & docendos. Angeli pro incredibili sua erga Deum & homines charitate, gloriæ diuinæ & salutis humanæ studio à Deo missi nulla vel minima mora interposita statim è vestigio adsunt ad homines pios pœnitentes & orantes consolandos, erigendos, iuuandos, monendos de ijs quæ ad salutem nostram nobis cognitu sunt necessaria. Etsi verò rarius nunc nobis adsunt forma visibili & spectabili: tamen de inuisibili illorum præsentia atq; præsidio nobis minimè est dubitandum, qui frequenter in maximis nostris afflictionibus atq; periculis, in pijs nostris votis atq; precibus diuinam angelicamq; hanc præsentiam, consolationem & admonitionem salutarem sæpissimè sumus experti. Vsus visionis huius.

Præterea cum dubium, quin Angelica hæc de Christi morte, resurrectione, eiusque effectu, de quibus suprà, quæ euentu ipso fuerunt comprobata & completa, homini Christiano maximo fuerint semperque sint futura quibusuis in miserijs & casibus aduersis solatio.

Sequitur vltima Danielis, quæ ei anno tertio, quo Cyrus, Rex Persarum, regno Babylonio potitus est, post trium hebdomadarum ieiunium religiosum atque luctum (propter impeditam nimirum Templi, cuius anno secundo regni Cyri fundamenta iacta fuerunt, ædificationem per maleuolos quosdam) die 21. primi men- Visio angelica facta Danieli de bellis aliquot regnorum Dan. 10. 11. 12

ſis in ripa magni fluuij Tigris ei obtigit: quæ tribus poſtremis capitibus continetur. Hæc viſio fuit reuelatio diuina & angelica de Perſiæ, Syriæ, Aegypti regnis atq; regibus (quibus etiam Romanorum mentio interponitur) de illorum nimirum & bellis grauiſſimis, quibus ſe inuicem afflixerunt & perdiderunt, de pacificationibus, confœderationibus atq; connubijs doloſis belliq; redintegrationibus, de Eccleſiæ Iudaicæ grauiſſimis perſecutionibus, quibus ſub illis commemoratis Regibus ſeu tyrannis potiùs perfuncta eſt, præſertim ſub Antiocho illo Epiphane, ſiue Epimane, de Antichriſto, cuius Antiochus ille fuit typus: deniq; de populi Iudaici liberatione ex manibus tyrannorum, de Chriſti aduentu ad iudicandum viuos & mortuos, de reſurrectione, aliorum quidem ad vitam, aliorum verò ad mortem æternam, de extremo iudicio, de præmijs eorum, qui alios docendi munere probè fuerunt perfuncti.

Atq; hæc viſio, vt dictum eſt, angelica fuit, hoc eſt, Angelorum opera & miniſterio facta: in qua ſimiliter eorum natura, ingenium, officium ac miniſterium exprimitur: præſertim cap. 10. vbi præparatio Danielis Prophetæ ad illam viſionem per Angelos factam potiſſimùm deſcribitur.

Vſus vltimę viſionis Danielis.

Eſt autem hæc noſtris quoq; hiſce miſerrimis luctuoſiſſimisq; temporibus valdè appoſita: quibus mundi huius Reges ac Principes potentiſſimi bellis ſe inuicem infeſtiſſimis ac funeſtiſſimis perſequuntur ſeq; inuicem conſumere atq; conficere conantur. Interim quicquid delirant Reges plectuntur Achiui, hoc eſt, viri pij: qui inter malleum & incudē poſiti vtrinq; plagas accipiunt grauiſſimas, attamen ſe conſolantur freti Dei Angelorūq; eius præſentia atq; tutela: & inprimis ſpe expectationeq; exoptatiſſimi aduentus Chriſti, extremi iudicij, glorioſæ reſurrectionis, vitæ, ſalutis & beatitudinis æternæ.

Quid docti per virum lineis indutum intelligant.

Quantum autem ad Angelos, quorum in hac viſione vltima & tertia huius capitis fit mentio, attinet, non deſunt inter Theologos pios & doctos, qui per virum illum indutum lineis, cuius ab initio cap. 10. & ſub finem vltimi rurſus fit mentio, necnon per Michaëlē, Chriſtum vo-

stum volunt esse intelligendum. P[illegible] principes autem illos Persarum & Græcorum, Cambysem Persidis & Alexandrũ M. Græciæ Regem: quorum sententia mihi non videtur omnino esse aspernanda. Pleriq; tamen interpretum ac doctorum antiquorum Græcorum, Latinorum & Iudæorum per hos omnes intelligunt Angelos propriè dictos. Vnde etiam colligi potest singulis cùm hominibus, tùm prouincijs atq; regnis proprios & peculiares Angelos à Deo esse attributos, qui illis præsint, illorumq; singularem curam gerant: etsi negari non potest extraordinariè quoq; (vt ita loquar) alios quoq; Angelos, vel ad prouincias & gentes vniuersas, vel ad singulos homines iuuandos & liberandos à Deo mitti.

Sed quicquid sit, & quocunq; modo hæ personæ intelligantur, Rex certè quiuis atq; Princeps in regni ac Reipub. suæ perturbatione, in his tàm grauibus & funestis bellis, in tot tantisq; periculis magna rursus hinc colliget & documenta vitæ & solatiorum saluberrimorum fructus. Nam primùm quantum ad Angelum hunc primarium attinet, qui à Deo missus Danieli res maximi momenti aliquot post secula futuras prædixit, siue is fuerit Gabriel, vt verisimile est, siue alius aliquis Angelus, ex hac eius descriptione accurata cæterorum quoq; Angelorum natura, dignitas & officium intelligi potest. Nam vt Angelus hic viri specie atq; forma Danieli apparuit: ita alios quoque Angelos legimus sæpè virili assumpta forma aliis apparuisse: quò nimirum conspici possent, cùm aliâs Angeli sint spiritus inuisibiles, ita vt ab hominibus videri non possint. Aliquando autem veram carnem humanam acceperunt, & eam quidem, vt Theologi volunt, vel ex materia elementari, vel ex nihilo, vt ex historia Abrahami, Lothi & Moysis colligitur. Aliquando speciem tantùm induerunt, qua se offerebant vel externis sensibus vel internis.

Quæ species huius viri fuerit.

Fuit autem Vir hic, id est, Angelus virili specie, amictu habitúque regio & pontificio: cuius lumbos cingulum cingebat aureum & quidem ex auro pretiosissimo & puro puto, quod ex Vphazo aduehebatur: quem quidem locum eundem cum Ophir volunt esse: de quo vi-

de Iere.10.19. & 1.Reg.9.28. Vnde Obrizum, *quasi* Ophrizum, *aurum purum putum a Latinis est dictum. Huiusmodi viri induti veste linea mentio fit etiam apud Ezechielem cap. 9. quem Hieron. & alij Christum, alij Angelum creatum volunt fuisse. Hoc verò indumento Angelorum tùm dignitas regia & Pontificia; tùm puritas, innocentia, castitasq; designantur. Corpus eius erat simile Tharsis lapidis pretiosi & splendidi, qui cæruleum habet colorem instar maris: Vnde à mari nomen accepit, quem Græci* Beryllon Thalassion *vocant, hoc est, colore cælesti atque cæruleo, qualis est color maris tranquilli, aut cæli sereni. Germani eum* Türggis / *alij* Chrysolythum *vocant. At vultus eius siue facies rutilantis instar erat fulguris, aut ignis, vt est etiam apud Ezechielem cap.* 1. Oculis erat ardentibus instar lampadum, siue tędarum ardentium. *Porrò brachia & pedes eius resplendebant, velut æs tersum & politum: vt apud Ezech. pedes 4. animalium dicuntur scintillantes ad speciem chalybis tersi, eodem planè sensu. Vox denique eius erat Stentorea multitudinis alicuius voces æquiparans: sic apud Ezechielem sonus aquarum multarum, sonus omnipotentis, sonus confluentis procellarum, sonus exercitus eodem sensu dicitur. Hac autem vultus, oculorum, brachiorum, pedum, vocis descriptione Angelorum tùm scientia multiplex, tùm potentia atq; robur, & quiduis efficiendi facultas, tùm celeritas atq; velocitas, tùm puritas & mundities, tùm denique gloria immortalis & natura incorruptibilis designatur. Hæc verò omnia Christo quoq; Angelo illi magni consilij magis propriè conueniunt, qui quidem est Rex & Pontifex Max. qui olim Patribus viri specie apparuit: tandem tempore certo verè humanam & virilem formam assumpsit, innocentia, iustitia, puritate, scientia, potentia plena perfectaq; præditus. Quoties itaq; dux aliquis aut Imper. hostium suorũ et arma intuetur militaria, & vultus & oculos ardentes, minaces, spirantes ignẽ: itemq; brachia robusta, & pedes veloces ad effundendum sanguinem suum & suorum: tunc autem mentis suæ oculos sibi proponat, quando audit hasce voces, boatus, clamores terribiles & quasi*

Quid hoc indumento Angelorũ significatũ

Quid vultu & reliquis partibus.

diabo-

diabolicos, cùm Angelorum illorum cœlestium, tùm inprimis Angeli illius Magni vestitum, vultus, oculos, brachia, pedes, voces, quæ terrori quidem & exitio sunt omnibus impijs, voluptati autem atq; solatio pijs & innocentibus.

Porrò hic Angelus Danielē sui apparitione grauissimo metu consternatū, omnibus ferè animi corporisq; viribus destitutū, languidū, ægrè anhelitum ducentē ac respirantem: deniq; semimortuum, mutum & elinguem, eū manu sua tangendo, erexit, excitauit, refecit, animauit, quasi ex somno siue morte ad vitam reuocauit, animumq; & vocem ei reddidit. Ita nullus Christianus dubitet, cùm Angelū illū magni consilij Christū, sua manu omnipotente, tùm eius ministros et famulos angelicos sibi in maximo metu ac pauore, in animi corporisq; consternatione, consilij inopia laboranti, curarum & solicitudinū æstu fluctuanti præstò semper esse, consilia, linguam viresq; intelligendi & dicendi subministrare, & in posterum quoq; sibi præstò futuros.

Angelus Danielem languidum reficit & cōsolatur.

Hic Angelus Danielem iubet animo esse bono, forti & imperterrito, eiq; significat à primo illo die, quo ipse animum suum appulit ad intelligendas visiones, seq; ieiunio coram Deo suo afflixit, perpetuoq; luctu macerauit, exaudita fuisse continuò verba eius à Domino, & hanc ob causam se missum esse ad illi res futuras & nouissimis euenturas temporibus significandum: Sic quiuis Christianus firmiter credit, Christum Angelū illum magni consilij sibi ieiunanti, sua peccata confitenti ac deploranti, res diuinas & cœlestes ad salutem suam pertinentes cognoscere cupienti, eius gratiam & opem imploranti cùm sancto suo spiritu, tùm spirituum illorum cœlestium tutela & præsentia, vt nequaquam adhuc defuit: ita reliquo quoq; vitæ suæ tempore defuturū nequaquam, quin votis precibusq; suis cumulatè satisfacturum.

Hic Angelus lineis indutus, postquam Danieli ab eo ipso, vel, vt alij volunt, ab alio aliquo facta est longa illa & prolixa de Persidis, Ægypti & Syriæ Regibus & Ecclesiæ sub illis Iudaicæ persecutione reuelatio ab Angelo primùm, deinde ab ipso Daniele interrogatus, quis tandem grauissimæ funestissimæq; illius afflictionis ac persecu-

Angelus Danielem de fine persecutionis admonet.

tionis Ecclesiæ Iudaicæ sub Antiocho Epiphane, siue sub Antichristo esset futurus finis, vtrique nempe & Angelo & Danieli, iureiurando prius vtraque manu in cœlum sublata facto per Deum viuum, humanissimè respondet, eosq; de fine illo persequutionis, itemq; mundi fine, de aduentu Christi, vltimo iudicio, resurrectione omnium hominum fideliter docet atque erudit. Vnde rursus colligi potest, quanta sit sanctissimorum illorum spirituum pro flagrantissimo suo erga Deum hominesque amore, eos de diuinis rebus ad Dei gloriam & ipsorum salutem spectantibus docendi erudiendique promptitudo atque procliuitas: nec tantùm horum Angelorum creatorum, sed & Christi creatoris, magni consilij Angeli.

Cuius rei typus duo Angeli illi Persiæ & Græciæ regnorum.

Iam verò quod ad duos illos Angelos attinet, quorum perspicua in hoc toto viso fit mentio, & quorum vnus Persico, alter Græcorum regno dicitur fuisse præfectus, eiusque curam gessisse: Hinc homo pius & fidelis cum Hieronymo, cum Clemente Alexandrino Stromat. lib. 6. cum Theodoreto, August. Serm. 103. de Temp. in Gen. cap. 47. cum Origene & alijs Patribus atque Doctoribus cùm antiquis, tùm recentioribus colliget; vt singulis hominibus ita singulis prouincijs destinatum & præfectum esse ordinariè certum aliquem Angelum, qui eius curam gerat: Vnde etiam 2. Reg. 9. Angelus vnus pro Israele dicitur pugnasse, & hîc quoque Michael Angelus populi Israel causam dicitur tutari. Quamobrem secundum hanc communem ferè doctorum & Theologorum sententiam non dubitat, quin suæ quoque gentis atque familiæ cura certo alicui Angelo à Deo sit commissa & commendata: ita tamen, vt credat Deum, tanquam Angelorum principem atque dominum præcipuè curam Ecclesiæ & Reipub. Christianæ gerere, & ad illam tuendam aliorum quoque Angelorum opera vti. Huic itaq; curæ angelicæ atq; diuinæ, constantissimæ ac fidelissimæ suam & aliorum conseruationem contra tot hostium vim, impetus atq; insidias fert acceptam, eiq; pro illa toto pectore aget & habebit gratias maximas. An verò sicut cuique tàm homini fideli, quàm prouinciæ c... ordinariè præfectus est Angelus: sic

certus

certus etiam aliquis sit destinatus malus Angelus, quæ Platonis & multorum aliorum inter Græcos, nec non doctorum quorundam veterum Ecclesiæ primitiuæ, vt Origenis inprimis, nec non Chrysostomi & Gregorij fuit sententia (quoniam id è scripturis non ita manifestè confirmari potest) Theologis disceptandum ac dijudicandum relinquo. Sed difficilior hîc oritur quæstio; an nimirum inter Angelos nostra causa oriantur aliquando discordiæ & disceptationes: quod ex hac ipsa visione videtur colligi posse, in qua Angelus ille, qui causam agebat populi Dei, & qui cum Daniele colloquebatur, priori loco altercatus fuisse, & quasi pugnasse dicitur cum Angelo præfecto Persidis: qui causa Persarum suscepta contendebat, populum adhuc in captiuitate esse detinendum. Deinde alium Angelum Michaelem scilicet accessisse & opem Angelo Iudæorum aduersus Angelum Persarum tulisse. Tertiò venturum fuisse aduersus eundem Angelum Persarum alium Angelum, Angelum videlicet præpositum regno Græcorum. Hinc igitur videtur colligi posse discordiam pugnamq; fuisse inter Angelos bonos; quod est absurdissimum. Hunc nodum proponit simul & soluit S. Gregorius in illa Iobi verba cap. 25. Potestas & terror apud Deum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Quæ ergo, *inquit Gregorius,* esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoq; angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? *Respondet ipsemet ad hanc suam obiectionem hunc in modum:* sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusq; gentibus sunt prælata, cùm subiectorum mores aduersari conspiciunt, sibi inuicem ipsi spiritus aduersari dicuntur. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro iniustè agentibus decertant, sed eorum facta iustè iudicantes examinant: cumq; vniuscuiusq; gentis vel culpa vel iustitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, eiusdem gentis præpositus vel obtinuisse perhibetur: quorum tamen omnium vna victoria est suisuper

An inter Angelos nostra causa oriantur dissidia.

Moral. lib. 17. cap. 1.

se opificis voluntas summa, quam dùm semper aspiciunt, quod non obtinere valent, nunquam volunt.

Lib 2 Sent. distinct. 11.

Huic congruenter Scholastici, & inter illos Thomas Aquinas parte prima, quæstio. 63. art. 8. hanc quæstionem ita explicant: Inter Angelos nulla est aut esse potest discordia voluntatum, si spectes nimirũ, id quod verè volunt. Volunt enim omnes, quod vult Deus: sed diuersitas quædam nonnunquam in ipsorum iudicijs atq; sententijs esse videtur: quatenus scilicet ignorato Dei decreto vnus ex vna causa sic iudicat esse faciundũ: alter cõtra ex alia causa censet nõ ita esse agendũ.

Sunt etiam, qui sentientes vnicuiq; Regno siue populo non solùm bonum sed etiam malum Angelum præfici, existimant hoc in loco malum Angelum regno Persico præfectum esse intelligendum, atq; ita omnem absurditatem tolli, cùm nihil sit commercij malis cum bonis Angelis. Sunt ex nostris, qui prosopopæiam quandam esse sentiunt. Propter imbecillitatem enim captus nostri cœlum comparari aulæ cuiusdam Monarchæ potentissimi, in qua legati ex diuersis regionibus diuersas suorum populorum agant causas. Sic Deum vnicum regnorum omnium dominum, omnium etiam audire causas, vt omnium res agat. Angelos autem pro nutu & voluntate Dei ei ministrare, tanquam mundi dispensatores & ministros. Hanc verò sententiarum & iudiciorum diuersitatem Angelorum aiunt discordiam & pugnam appellari (Diuersitas autem opinionum non tollit amicitiam) neq; veræ repugnare concordiæ, sed tantùm contrarietatem voluntatum repugnare.

Quid alij intelligant per Græcorum & Persarum Angelos.

Denique etsi, vt dixi, omnes ferè doctores & interpretes veteres per hos Persarum & Græcorum principes Angelos volunt esse intelligendos: tamen sunt viri docti, qui per Persarum quidem principem Cambysem Regem; per Græcorum autem Alexandrum M. volunt esse intelligendum, cùm Reges Angelis dignitate, potestate, & officio simillimi sæpe eodem, quo illi, nomine in sacris literis insigniantur. Sensus itaque huius loci erit simplex & sacræ historiæ consentaneus,

Angelum pugnasse contra Cambysem Regem Persarum per dies 21. hoc est, crudelia illius consilia & tyrannica edicta contra populũ Dei facta, impediuisse. Deinde post se dicit contra eundem Persarum principem (non quidem contra Cambysem ipsum, sed, eo sublato, contra alios Persarum principes) venturum Græcorum principem, id est, Alexandrum M. qui aliorum quoq; Persidis Regum furorem contra populum Dei accensum compesceret atq; extingueret. Et hæc quidem interpretatio ipsi historiæ est congrua, secundum quam nullus datur locus quæstioni de dißidio & altercatione mutua Angelorum. Secundum hanc quoq; Rex quiuis atq; Princeps hoc ex loco discit, Angelis populi Dei, id est, Ecclesiæ salutem, Deo sic dispensante & ordinante, cordi esse atq; curæ: ita vt potentißimorũ quorumq; Regum & Principum conatus aduersus illam sæuos & immanes cohibeant atq; coerceant pro potestate sibi à Deo tradita.

Postremò quantum ad Michaelem Angelum attinet, quem Angelus ille indutus lineis, vnũ ex Angelis primorib. ait sibi pugnanti aduersus Angelũ Persidis auxilio venisse, à se stetisse, & secum vnà partes Iudaicas tutatum esse ac propugnasse, quem etiam Iudæorum principem vocat; quē deniq; ab initio cap. 12. illo tempore, quo Antichristi regnum ad suum finem verget, dicit consurrecturũ, tanquã principem magnum, qui stet pro populo suo, veris nimirum Israelitis, vt eos nimirum tueatur, atq; ab aduersariorum insectationibus liberet ac seruet: illum, inquam, Angelũ alij quidē volunt esse Christum, alij Angelum natura, siue propriè dictum. Nomen Michael sonat eum, qui par est & æqualis ipsi Deo forti : quod nomen Christo propriè competit, qui secundum illa Pauli, non rapinam duxit par esse Deo, hoc est, æqualis & essentia & potentia. Deinde Christus propriè est primus è principibus primarijs, hoc est, princeps Angelorum, qui principes primarij, rectè dicuntur, respectu eorum principũ qui sunt inter homines. Denique Christus est princeps ille Max. Iudæorum propriè dictorũ & spiritualium, hoc est, fidelium tutor, defensor ac propugnator perpetuus. Potest tamē eadē voce Angelus primarius intelligi. (Nam Angelũ

Quem non nulli per Michaelē.

Etymon Michaelis.

Phil. 2

esse gradus quosdam, et alios alijs dignitate superiores satis constat:) qui ad Dei similitudinem proximè accedit, qui cæteris Angelis est dignitate potestateque superior, qui denique præcipuam Iudæorum & Israelitarum spiritualium curam gerit. Quicquid sit hinc rursus colligimus, Israelitarum, id est, piorum & fidelium salutem cùm Angelo illi magni consilij, tùm alijs Angelis maximæ esse curæ; ac proinde illam esse certam, & firmam, quæ nullis vel dæmonum vel hominum vi atque potentia conuelli ac labefactari poßit. Illo enim Michaele, hoc est, Christo filio Dei, vnigenito & vnicè dilecto, qui Patri est ὁμοούσιος & ὁμοεξούσιος, stante à partibus fidelium & pro illis apud Deum intercedente, illis item Angelis Dei ministris similiter ab illis stantibus, pro illis pugnantibus quis vel hominum vel dæmonum erit contra nos, hoc est, quis nobis nocere, quis salutem nostram lædere ac perdere poterit?

Altera liberatio Danielis ex specu leonum.

Porrò vt Daniel semel in leonum coniectus lustrum Darij Regis iussu, illæsus inde incolumisq; euasit, vt suprà dictum: sic iterum sub Cyro Persa, Astyagis ex filia nepote, Medorum Rege, vel vt alij volunt sub Euilmerodacho, Nabuchodonosoris filio, Babyloniorum Rege, cùm à Babylonijs his propter detectum sacerdotum Belis idolum & draconem, quem populus colebat ac venerabatur, interemptum, in leonum, qui septem erant numero, specum fuisset detrusus in eoq; sex totos dies exegisset, Deus illum in specu illo per Habacuc Angeli cuiusdam opera illùc delatum admirabili ratione pauit, ita vt ex illo quoq; præsentißimo mortis periculo saluus euaserit. Rex hoc miraculo commotus Deum laudauit, & necis auctores, qui Danielem in tantum discrimen adduxerant, deturbari curauit, qui protinus præsente adhuc Rege, discerpti à leonibus fuerunt & deuorati: Ita meminerimus nos sæpißimè in medio leonum, hoc est, hostium immanißimorum, et in extremo mortis discrimine versantes, quod nobis huius draconis & Beli cultores Babylonici conflauerant, hoc est, hostes Babylonicorum illorum cultorum similes, mirificè, Dei beneficio, Angelorumq; opera fuisse conseruatos.

Vt autem Daniel regius verè Propheta, exilij ac seruitutis illius Babylonicæ tempore, angelorum visis, apparitionibus, conspectu, colloquio atq; consortio vsus est: Vnde non ipse tantùm plurimum cepit fructus & vtilitatis, sed etiam nos omnes, propter quos illa literis memoriæq; fuerunt prodita, plurima ex ijsdem cùm vitæ morumque documenta atq; præcepta salutaria, tùm malorum miseriarumq; quarũuis remedia, hoc est, solatia & alleuamenta petere possumus & debemus: ita post illam seruitutem septuaginta annorum, postquam populum Iudæum Deus reducem in patriam fecit, Zacharias Propheta egregius similiter in Prophetici illius muneris functione Angelis, tanquam doctoribus & interpretibus vsus est familiarißimis ac fidelißimis. Quamobrem ex hoc quoq; libro prophetico multa, quæ ad angelicæ naturæ ac ministerij cognitionem, ad vitæ nostræ institutionem, necnon ad consolationẽ nostram sunt vtilia, depromi possunt.

Duorum autem potißimùm in eo fit mentio: quorum vnus equo rufo insidens inter myrteta stetisse, alter cum Zacharia Propheta sermonem habuisse, eiq; visa diuina atq; cœlestia familiarißimè humanißimeq; explicasse dicitur. Quare etiam in his visionibus angelicis multa videmus & intelligimus, quæ nobis ad munere nostro probè fungendum, totamq; vitam benè feliciterq; instituendam atq; degendam conducunt. Apparitiones Angelicæ factæ Zachariæ Prophetæ.

Prima Zachariæ visio, quam anno Regis Darij secundo, quarto & vigesimo die vndecimi mensis, qui est, Sebat, vidit, fuit huiusmodi: Noctu illi apparuit Angelus quidam virili specie, equo insidens rufo, siue spadiceo (qui color Germanicè dicitur Kestenbraun*) & stans inter myrteta in valle loco humili & decliui. Hunc consequebantur alij quidam insidentes equis rufis, spadicibus, siue varij coloris, & albis. Horum conspectum admiratus Zacharias, rogauit Angelum suum, qui in eo loquebatur: ecquid isti sibi vellent. Quod cùm Angelus ei indicare velle respondisset: Alter ille Angelus virili specie in myrteto consistens eum præueniens:* Hi, *inquit,* sunt, quos Dominus misit ad totam terram circum circa obequitandum 1. Prima de equite insidente equo rufo. Zach. 1.

ac perlustrandum. Deinde illi ipsi equites continuò responderunt eidem illi Angelo in myrteto consistenti, se iam totam terram percurrisse & obequitasse, quam deprehenderint pacatam & tranquillam. Hac illorum oratione permotus Angelus ille grauißima pro populo Iudaico apud Deum vsus est deprecatione, Deũ orans & obsecrans, vt quoniam aliæ gentes omnes pace fruantur & tranquillitate, & per Ieremiam promiserit, se circumactis exilij annis 70. populum in integrum restituturũ, & in patriam redacturum, cùm hoc tempus præterierit, memor suæ misericordiæ atq; promißionis populi sui misereatur. Deus itaq; Angelo Zachariæ verba fecit plena lætitiæ & consolationis, qui Angelus deinde præcepit Zachariæ, vt Dei iussu populo clara voce annuntiet Dei misericordiam & futuram vrbis Hierosolymitanæ ædificationem. Hunc Angelum, sunt qui volunt fuisse Michaelem illum Iudææ principem ac præsidem, alij Alexandrum M. sed omißis alijs sententijs illorum sententia mihi maximè probatur, qui Angelum hunc volunt fuisse Angelum illum magni consilij, hoc est, Christum Filium Dei, cui hæc, quæ in hoc loco ponuntur, optimè conueniunt. In horum numero est Rabbi Iohanan, qui teste Galatino, apertè dicit, hunc Angelum non esse, nisi Deum sanctum & benedictum: cuiusmodi est Christus. Is enim non est essentia Angelus, sed officio mediatoris. Et vt virili specie olim patribus apparuit, iam tum mediatoris officio fungens: ita postremis temporibus verè humanam & virilem formam, hoc est, naturam assumpsit ὑποστατικῶς. Ac venit in carne noctu, id est, nocturno, tenebricoso caliginosóq; mundi tempore, cùm mundus densißimis superstitionum, idololatriæ atq; errorum tenebris fuisset obrutus & oppressus. Idem stetit, hoc est, versatus est in hoc mundo inter homines familiariter viuens, tanquam in valle lachrymarum & miseriarum decliui, profunda & vmbrosa: quò se demisit ex patris sui sinu, ex sublimi cœlestiq; illo suo solo atq; domicilio. Idem stetit & adhuc stat stabitq; perpetuò inter myrteta, siue in myrteto, hoc est, in Ecclesia sua & inter illius membra, hoc est, pios & fideles, qui rectè etiã iuxta Rabbinorũ sententiam, myrtis com-

Quid per Angelũ hũc intelligatur

Quid per speciẽ virilẽ & noctẽ.

cōparantur. Nam quemadmodū myrtus arbor, seu potius arbustum humile quidē & tenerū, sed aquis gaudēs & littoribus (vnde littorea ab Ouid. appellatur, & amantes littora myrtos Virgilius vocauit) semper virens est ac florens, suauissimi odoris amorisq; conciliatrix (vnde Veneri est dicata, & à Virgil. Paphia, ab Ouid. Cytherea à Pontano Cythria appellatur, cuius quædam etiā species, teste Plin. Coniugalis dicitur, ex qua oleū fragrantissimū, vinū saluberrimū, medicamenta optima, coronæ ouales, virgæ, quæ teste Plin. manu gestatæ, viatori in longo itinere prosunt, conficiantur: ita Ecclesia vniuersa eiusq; membra vera & viua, hoc est, pij & fideles, etsi & animo sint humili & modesto, & coram mundo viles, contempti & abiecti: tamen spiritus sancti verbiq; diuini aquis lustralibus perfusi & imbuti semper florent, suauissimiq; sunt coram Deo odoris, amore Dei & proximi flagrant, oleo & vino spiritus sancti verbiq; diuini abundant, ceu medicamentis saluberrimis, virga eiusdem verbi diuini nixi tutò & securè in hac vita tanquam via incedunt, ad vitam illā pergentes æternā, in qua ouantes & triumphantes corona cœlesti gloriæ atq; gaudij ornabuntur. In hoc myrteto, id est, Ecclesia, Christus, cui omnis potestas est data in cœlo & in terra, adest, nō vt otiosus spectator certaminū istorū, quibus Ecclesia exercetur, sed adstat perpetuò sua gratia atq; spiritu tanquā strenuus eius defensor, promptus & paratus ad diuinæ gloriæ & saluti Ecclesiæ inseruiendū, stabilis & firmus in omnibus cōsilijs, decretis atq; promissis. Is cōscendit equū rufū, quoniā, vt illis Hieron. verbis vtar, verus Deus & homo, corp' humanū tēpore passionis sanguine rubricatū suæ diuinitati adiungēs ipso ad nostrā reparandā salutē ministerialiter vsus est: vnde Dauid Ps. 63. Quare rubrum est indumentum tuū, inquit?

Descriptio myrteti.

Myrtus spiritualis est Ecclesia.

Christus in myrteto adstat, & quomodo.

Præter hanc autem cruentam Christi victoriam, quam non sine sudore & sanguine, sed potius sudoris sanguinisque illius sui pretiosissimi effusione in cruce, ceu in equo siue equuleo rufo, de omnibus spiritualibus Iudæorū secundū spiritū, promissionē & fidem, hostibus, vt de carne, de mundo, de mundi principe, id est, diabolo, de morte, de inferno, de mortis et inferni aculeo, id est, de peccato reportauit:

insuper hoc habitu equestri & militari Christi sanguinolenta vindicta & vltio specialis, quam de Iudæorum hostibus temporalibus erat sumturus, præfiguratur: quæ etiam illo equi rufi insessore Apoc.6. indicatur. Galatinus lib.6.cap.24. ex hoc ipso habitu militari diuinitatem eius aliquo modo colligit: idq; comprobat ex testimonio antè citato Rabbi Iohanan: qui virum hunc non nisi Deum sanctum & benedictum dicit fuisse.

Vt verò hic Angelus magni consilij ad Zachariam hoc loco: ita ad omnes veritatis cognoscendæ amantes erudiendos & docendos est promtissimus. Deniq; vt idem pro populi Iudaici: ita in genere pro omnium Israelitarum spiritualium, hoc est, fidelium & electorum salute deprecatorem se & intercessorem apud Deum præbet assiduum & fidelem, cuius intercessionem pater non aspernatur: quoniam filius est dilectus, in quo illi complacitum est. Hunc autem Angelum, tanquam principem, Regem & imperatorem suum sequuntur reliqui equi, siue equites, hoc est, Angeli, tanquam eius ministri & famuli obsequentissimi ad eius sese nutum decretumq; accommodantes.

Quid equorum nomine intelligatur.

Equorum nomine cùm equi propriè dicti, tùm metonymicè equorum insessores siue equites possunt intelligi: quibus vtrisq; sæpè Angeli in sacris literis designantur. Angeli enim, qui & hominum singulorum & vniuersorum populorum sunt præsides, custodes ac moderatores à Deo constituti, rectè equitibus comparantur. Vnde etiam, vt prophanæ testantur historiæ, gentilibus olim (siue boni illi fuerint genij siue mali) equitum forma atq; specie apparuerunt: cuius rei huic ferè simile testimonium extat apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum: Sed & præsentiam sæpè suam Diui declarant, vt & apud Regillum bello Latino, cùm A. Posthumius cum Octauio Mamillio Tusculano prælio dimicaret, in nostra acie Castor & Pollux ex equis pugnare visi sunt: & recentiore memoria ijdem Tyndaridæ Persen victum nunciauerunt. P. enim Vatienus, auus huius adolescentis, cùm è præfectura Reatina Romam venienti, noctu duo iuuenes cum equis albis

albis dixissent, Regem Persen illo die captum, senatui nuntiauit. Et primò quasi temere de Repub. locutus esset, in carcerem coniectus est, paulò post literis allatis cùm idem dies constitisset & agro à Senatu & vacatione donatus est. *Idem Cicero lib. 1. de diuinat. testatur, in nauali illa pugna & victoria Lysandri, in qua Athenienses conciderunt, Castorem & Pollucem cum Lacedæmoniorum classe visos esse, quorum insignia stellæ aureæ Delphis fuerunt posita. Deinde, vt etiam aliorum animalium: ita equorum imagine Angeli in sacris literis exprimuntur, cùm Angelorũ & equorum analogia sit & affinitas admodum elegans. Nam primùm vt equus hominis est instrumentum ad portandum, ad vehendum, ad res negotiáue quæuis gerenda vtile valdè & accommodatum, quodq́ facilè huc & illuc flecti potest: ita Angeli non modò boni, sed etiam mali Dei sunt instrumenta, quibus ille facillimè nulloq́ negotio pro infinita sua potestate ac imperio ad iudicia & decreta sua exequenda vtitur. Vnde sæpè Deus exercituum appellatur, cùm hi exercitus eius sint potentissimi. Deinde vt equus animal est robustum, agile, velox, animosum ac proinde bellis aptissimum: cuius elegans descriptio extat Iob. 39. Sic equorum equitumq́ illorum spiritualium, hoc est, Angelorum, summa est fortitudo atq́ robur, summa agilitas & velocitas, Nam cùm sint spiritus, nulla corporis mole ad cursus negotiáue sua celerrimè conficienda impediuntur. Tertiò, vt equus benè natura vel etiam arte comparatus domino & insessori suo est obsequentissimus eiusq́ salutis amantissimus: ita Angeli Dei hominumq́ charitate inflammati, & ad diuinæ gloriæ ac voluntati, & ad hominum saluti obsequendum & inseruiendum sunt promtissimi: Vnde etiam Dionysius ille Areopagita Angelos scripsit equis comparari διὰ τὸ εὐπειθὲς καὶ εὐήνιον, id est, obediendi obsequendiq́ facilitatem ac promtitudinem.*

Porrò isti equi, qui equites dicuntur non ante, sed post illum equi rufi insessorem, Christum [illegible]isse, illumq́ fuisse cõsecuti. Angeli nanq́ sancti, Christi, tanquam Domini sui atq́ ducis sunt pedissequi, famuli

Cur equitem equi rufi consecuti sint hi equi.

atq; ministri, qui illum semper sequuntur, hoc est, ei obsequuntur, ad illius sese tanquam rectoris, moderatoris & imperatoris sui ductum nutumq; applicant, quibus etiam ille dignitate potestateq; antecellit.

Equorum colores cuius rei pictura.

Quantum ad equorum colores attinet, vt equi vulgò ex coloribus æstimantur & dijudicantur à peritis rei equestris: ita his coloribus Angelorum virtutes atq; officia varia depinguntur. Nam primùm colore rufo Angelorum cùm amor ignitus & ardens erga genus humanum, tùm, interprete Dionysio Areopagita, τὸ δραστήριον, summa & celerrima vis & efficacitas, tùm deniq; impios vlciscendi puniendiq; munus, quod illis sæpè à Deo iniungitur, denotatur. Color enim rufus & sanguineus iudicij atq; pœnæ est symbolum.

Colore autem variegato (quem Hebræi ברוד Barud, hoc est, maculis albis instar grandinis respersum, à ברד Barad, grandine & Græci ψαρὸν, hoc est, sturninum, à ψάρω, sturno appellant) Angelorum cùm dona varia atq; virtutes, quibus à Deo instructi sunt & ornati, tùm munerum seu ministeriorum varietas intelligitur, cùm modò Deo volente benè & benignè faciant ijsq; opitulentur, modò eodem iubente & mandante pœnas irrogent & infligant.

Colore deniq; candido & albo Angelorum partim, vt Dionysius Areopagita explicat, τὸ λαμπρὸν καὶ τοῦ θεοῦ φωτὸς συγγενὲς, id est, splendorem siue claritatem & cum diuina luce affinitatem quandam, tùm candorem, sinceritatem, innocentiam ac puritatem (vnde ad idem significandum Apoc. 6. stolæ candidæ martyribus tribuuntur, & Christus equo albo dicitur insidere) tùm deniq; illorum erga genus humanum benignitatem atq; beneficentiam significat.

Equites illi vel equi qui fuerint.

Porrò cùm Zacharias interrogasset, quinam essent isti equi siue equites, Angelus ille stans inter myrteta respondit, hos esse, quos misit Dominus ad terram peragrandam & perlustrandam. Deinde ipsemet Angelo illi, tanquam domino & principi suo dicunt, se terram permeasse, & illam reperisse quietam & tranquillam. En descriptionem breuem, sed plenam & planam angelici muneris cùm ex ipsorum Angelorum, tùm ex Christi principis eorum atq; ducis ore veracissimo. Hinc

mo. Hinc enim colligitur, illos esse Dei ministros, qui à Deo cœlitùs mittantur (vnde etiam Angeli appellantur) in terram ad eam perlustrandam & explorandam ad hominum res, dicta factaq; cognoscendi, nec cognoscenda tantùm, sed etiam regenda & moderanda, denique ad homines vel puniendos, vel tuendos, iuuandos & liberandos, ad bellum vel pacem illis denunciandum, deniq; ad diuina consilia & iudicia exequendum. Hîc exprimitur Angelorum summa obedientia, alacritas & studiũ obsequendi diuinæ voluntati, exequendi eius mandata. Sunt autem Angeli non tantùm boni, sed etiam mali; quorum etiam opera ac ministerio Deus vtitur. Sed boni voluntariè magnoq; studio ea peragunt, quæ illis à Deo mandata sunt, quæq; ad gloriam Dei hominumq; salutem pertinent. At mali, etsi secus sunt affecti, & cùm Dei gloriam, tùm hominum salutem extinctam volunt: tamen Dei imperio potestateq; coercentur ac refrænantur, & vel inuiti iudicijs diuinis, diuinæ gloriæ hominumq; saluti inseruiunt.

Quòd autem Angelus, qui loquebatur in Zacharia, qui ei erat familiaris: eiq; à Deo fuerat destinatus, postquã à Deo accepit verba bona & cõsolationis plena, Zachariæ præcipit & mandat, vt clara voce populo annuntiet diuinã misericordiã futuram templi & vrbis instaurationem, Dei benedictionem omniumq; bonorum affluentiam; hinc rursus colligimus sanctos hos Dei ministros mandata sua, quæ à Deo acceperunt, ad homines studiose fideliterq; exequi, ea hominibus exponere, cùm alios, tùm inprimis Ecclesiæ ministros sui officij commonefacere, ad diuinum verbum hominibus liberè prædicandum impellere & incitare. Non desunt tamen, qui hunc, qui loquutus dicitur esse in Zacharia, volunt fuisse Spiritum S. cuius instinctu & impulsu Prophetæ (vnde θεόπνευστοι appellantur) suas prophetias ediderunt. Alij λόγον Patris, id est, Christum. Verùm hæc omnia optimè inter se conueniunt. Nam Deus Pater, & eius Filius atq; λόγος, & deniq; Spiritus S. locuti sunt in Prophetis magistraliter, vt ita loquar, & principaliter, tanquam domini & auctores primarij prophetiarum. Angeli autẽ in Prophetis locuti sunt ministraliter, tanquam Dei ministri, interpretes & internuntij.

Vsus primæ apparitionis factę Zachariæ.

Quando igitur homo in hoc mundo, tanquam in Babylone, id est, summa rerum omnium perturbatione & confusione, in profunda ista miseriarum valle, in hac vmbra mortis cernit obequitantes passim suos hostes perniciem sibi & exitium minitantes: tunc oculos mentis suæ attollat ad virum illum insidentem equo rufo, stantem inter myrteta, & equos & equites istos rufos, albos & varios, id est, ad Christum crucifixum stantem & sedentem ad dextram Patris, stantem in myrteto, id est, præsentem semper suæ Ecclesiæ, quem credit sibi quoq; adesse suâ gratia & defensione, precq; se Deum deprecari. Deinde simul mentis suæ oculos ad spiritus illos cœlestes Dei ministros erigat, quos nouit à Deo mitti ad terras lustrandas, ad homines vel tuendos, vel puniendos: ac proinde non dubitet, illos sibi quoq; adfuisse adhuc & in posterum quoq; adfuturos suo auxilio. Hoc itaq; Christi Angelorumq; eius præsidio & auxilio nixus firmo atq; solido, omnes non solùm hominum, sed etiam diabolorum turmas hostiles atq; funestas contemnet animoq; erit excelso & imperterrito.

2. Secunda apparitio Zachariæ facta de 4 cornibus. Zach cap. eodem, v. 18

Secunda Zachariæ visio fuerunt quatuor cornua, qui cùm Angelum sibi familiarem secum colloquentem interrogasset, quidnam illa sibi vellent, quidue significarent, respondit ille: Hæc sunt cornua, quæ disturbauerunt Iudam, Israel, atq; adeò etiam ipsam vniuersi populi regniq; metropolim Hierosolymam, imperia nimirũ siue monarchiæ 4. Deo populoq; eius aduersæ & inimicæ. *Cornibus enim regna significari Daniel quoq; & Apoc. testantur. His itaq; cornibus cum 4. illa imperia & monarchiæ, Chaldæa, Persica, Græca & Romana, tùm aliæ quoq; gentes & regna Israelitis infensa & infesta intelliguntur.*

3 Apparitio de 4. fabris, v. 20

Hanc autem visionem, quæ terrori fuit Zachariæ, consecuta statim fuit alia, quæ eidem fuit solatio. Dominus enim Zachariæ colloquenti cum Angelo statim ostendit 4. fabros, de quibus Zach. Angelum suũ familiarẽ statim interrogauit, qui nam illi sint, & ad quid faciendum aduenerint. Cui ille respondit: Cornua sunt hæc, quæ Iudam euentilarunt, *hoc est, crudeliter exercuerũt ac diuexarunt,*

& longè

& longè lateq; ex natali suo solo abreptos dispserserunt; adeò vt nemo vel caput attollere potuerit. Venerunt itaq; hi fabri ad cornua illa gentium deijciendum, quæ sese ad Iudam dissipandum erexerunt. *Per hos fabros pleriq; interpretum Angelos intelligunt: quorum opera & ministerio Deus ad quæuis cornua, hoc est, regna & imperia huius mundi vel ædificanda & constituenda, vel sarta tecta tuenda, vel etiam diruenda et destruenda vtitur. Vox Hebræa* חרש Harasch *propriè artificem, operarium, seu fabrum artificiosum, ingeniosum & solertem significat: quales sunt Angeli, quorum summa singularisque est solertia, scientia & ingenium.*

Quiuis igitur Christianus quando visionis huius Zachariæ recordatur, meminerit se quoq; ab ineunte ferè ætate multis cornibus hostium, visibilium & inuisibilium, ceu taurorum, arietum, hircorum & vnicornium ferocissimorum fuisse impetitum & oppugnatum & se impeti & oppugnari quotidie, Sed ipse, cum Christi summi illius mundi & omnium regnorum & imperiorum architecti, ceu cornu salutis, tùm fabrorum illorum cœlestium, hoc est, Angelorum fretus potentia, viribus atq; clementia, speret atq; confidat se fractis atq; contritis illis cornibus, id quod sæpenumero expertus est, salutē dignitatēq; suam retenturū esse. Experitur autē quiuis homo pius, multa huiusmodi cornua, hoc est, hostes potentes & immanes, qui cornupetarū instar animalium, in illū impetum fecerant, vel mutuo conflictu atq; collisione, vel multis alijs modis non tam humanitùs, quàm diuinitùs interijsse. Quando igitur noua adhuc videt aduersus se insurgere cornua, mortem ex tiumq; sibi minitantia; quando videt plurimos ingeniosissimos malorum artifices & fabricatores nouas aduersus se & quidem pestiferas fabricari fabricas: tunc vnà cum Zacharia Propheta mentis suæ oculos attollat ad summum illum cœli terræque architectum, & ad illos, quos in ædificij huius gubernatione adhibet fabros cœlestes, minimeq; dubitet; quin Christus per Angelos suos ista quoque cornua & malorum fabricatores, nisi resipuerint, grauissimè sit puniturus, & suam suorumq; salutem aduersus illorum conatus &

Vsus visionis secundæ & tertiæ.

impetus sit conseruaturus. Præterea in hac visione tanquam in speculo contemplemur in hoc mundo militantis & peregrinantis Ecclesiæ tùm statum atque conditionem afflictam & miseram, tùm conseruationem diuinam & angelicam admiratione dignißimam. Nam tametsi illa, vt olim à quatuor illis cornibus, id est, monarchijs mundi potentißimis, nempe Aßyriaca, Persica, Græca, & Romana, & alijs cornibus, id est, gentibus, horrendum in modum fuit oppugnata, diuexata & afflicta, & hodie quoque ab omnibus mundi plagis atque partibus, cùm à tartareo illo cornu, id est, diabolo, cùm à multis cornibus internis & externis, præsertim verò à paruo illo cornu, quod creuit in immensum: de quo Danielis in veteri, Iohannis in nouo testamento, seu potius ipsius spiritus sancti vaticinia habemus clarißima, horrendis miserandisque modis affligitur & diuexatur: tamen illa à summo illo architecto, hoc est, Christo Iesu Filio Dei, ædificata, & quidem super ipsummet, tanquam super petram solidam, lapidem pretiosum, angularem & fundamentalem aduersus omnes mundi turbines atque procellas stat stabilis, firma, inconcussa & immota, & quidem stabit in perpetuum. Is verò, vt omnibus temporibus; ita hodie quoque ad hostium illorum visibilium & inuisibilium, internorum & externorum cornua id est, vires, ferociam, impetus & conatus cùm frangendos, conuellendos & labefactandos, cùm ad illam, tanquam ædem suam sacrosanctam vel ædificandam; ita sartam & tectam conseruandam, vsus est semper & adhuc vtitur opera & ministerio cùm fabrorum illorum cœlestium & inuisibilium, hoc est, Angelorum: visibilium quidem & corporeorum, hoc est, doctorum & pastorum fidelißimorum, purum putum verbum Dei prædicantium, sacramenta ritè legitimeque administrantium, piè sanctéque viuentium.

4. Quarta apparitio de instauratione vtriusque Hierosol. Zach. cap. 2

Sequitur quarta Zachariæ visio cœlestis & angelica, quæ est vaticinium partim de terrenæ Hierosolymæ, inuitis & reluctantibus cornibus, id est, hostibus futura instauratione, partim [illegible] & spiritualis Hierosolymæ, veræ nimirum & catholicæ Dei [illegible]

ex semine Abrahæ & ex Ethnicis collectione & constitutione: cuius quidem architectus, caput & fundamentum est Christus: cuius murus non aheneus, sed igneus est Deus: quæ ita latè patet, vt non habeat definitam aliquam regionem, sed iisdem finibus, quibus cœlum & terrarum orbis definitur.

Vidit ergo sublatis oculis Zacharias virum gestantem manu sua funiculum mensorum: quem cùm Zacharias rogasset: quò nam tenderet, respondit ille, Hierosolymam versus, vt eam dimetiretur, quò videat, quàm lata & longa illa esse debeat. Tunc Angelus Zachariæ, cum quo illi erat sermo, egrediebatur & alius Angelus progressus est obuiam ei, eumq; monuit, vt Zachariam puerum seu famulum admoneret de futuro Hierosolymæ statu amplissimo, florentissimo & gloriosissimo. Hæc visio conferenda est cum Ezechielis visione & Iohannis in Apocalypsi capit. vltimo, in qua vtraque visione prolixa similiter, vt & in hac contemplatione, non tàm terrestris, quàm cœlestis illius templi & vrbis, id est, Ecclesiæ ædificatio graphicè describitur. In hac igitur visione rursus cœlestis illius Iudææ atque Hierosolymæ, quæ filia Sion, Dei hæreditas, portio, pupilla oculi est dicta à Deo, eique chara appellatur, imaginem contemplari possumus, eius nimirum & architectum & dimensionis ædificationisue modum & amplitudinem & incolarum atq; ciuium frequentiam & munitionem atq; securitatem & gloriam atq; decus, & Angelorum deniq; de illa curam. Ezech 40. & sequent.

Quemadmodum igitur in præcedentis cap. visione sublatis in cœlum oculis mentis vidimus & contemplati sumus 4. illos fabros cœlestes: ita in hac visione videmus & contemplamur fabrorum illorum principem & architectum Hierosolymæ cœlestis, hoc est, Christum, qui vt Ezech. 40. in simili visione: ita hîc Vir appellatur; propterea quòd virili specie Zachariæ, vt etiam aliis sanctis hominibus apparuit, quòd, vt suprà fusiùs dictum est, virilem, siue humanam naturam verè assumpsit, quòd vir siue homo non est vulgaris, sed singularis & insignis & admirabilis, conceptus de Spiritu Sancto Vsus quartæ huius visionis.

natus ex Maria virgine, Spiritus Sancti muneribus non ad mensuram, sed supra mensuram instructus & ornatus, omnis labis & maculæ expers. Apud Ezechielem eidem æris aspectus tribuitur: propterea quòd, vt æs vim habet medicam, vulnera curat, putredinem arcet, dæmonas fugare creditur, non rubigine obducitur, metallum est solidum & firmum (vnde etiam arma antiquitùs ex ære conficiebantur) ita Christus medetur vulneribus spiritualibus, id est, vitijs atq; peccatis, ea curat & sanat, putredines & pollutiones illas abluit & abstergit, dæmonas fugat, omnis rubiginis, id est, vitij & peccati est expers, firmus est & inuictus, splendet & sonat in oculis & auribus mentis & animi fidelium pulcherrimè & suauißimè. Architectus hic tenet manu sua funiculum mensorium, (vt etiam apud Ezechielem ei funiculus lineus & calamus mensorius, item arundo aurea. Apoc. 21. tribuitur) hoc est, ius potestatemque habet ædificandæ suæ Ecclesiæ. Ille vt vniuersum mundum: ita Ecclesiam suam, tanquam paruum mundum, fabricatus est non temerè, sed in numero, mensura & pondere, vt etiam præcedenti capite fit mentio perpendiculi extendendi super Hierosolymam. Ipse Ecclesiæ suæ longitudinem & latitudinem, quæ illi soli nota est, dimensus est ab æterno. Iam deinde dimensus est & dimetitur adhuc quotidie secundum funiculum, perpendiculum, normam, regulam & amussim suæ voluntatis sancti sui Spiritus, sacrosancti sui verbi, suorum Sacramentorum. Longitudinem denique eius & latitudinem ita dimetitur, hoc est, disponit & ordinat, vt illa in hoc mundo aliquando sit maior, aliquando minor. De eiusdem Architecti, id est Christi legatione, mißione & aduentu in carne in hunc mundum sub finem cap. egregiè vaticinatur. Deinde videt & contemplatur in hac visione duorum Angelorum concursum, quo quidem horum concordia, consensus atque operæ mutuæ exprimuntur, quas illi sibi inuicem tradunt in tuenda & custodienda Ecclesia, in iussis & mandatis diuinis exequendis.

Deniq; in hac visione videt & contemplatur Ecclesiæ & amplitudinem

tudinem

tudinem & incolarum frequentiam, & gloriam atque splendorem, cum Deus exercituum eius sit & murus igneus (de quo muro vt etiam alijs eius partibus plura apud Ezech. & in Apoc. cap. 21, videre licet) & gloria, cumq; ipsa sit Dei hæreditas atq; portio, vt in hac visione disertè exprimitur.

Quinta sequitur Zachariæ visio angelica, in qua Deus per Angelum, Iosuam summum sacerdotem propter peccatorum suorum conscientiam, sacerdotalis dignitatis priuationem, Satanam sibi aduersantem, tristem valdè & anxium consolatur promissione remissionis peccatorum atq; veniæ & restitutionis in antiquæ dignitatis statum. Deinde eundem adhortatur ad iustam debitamq; officij functionem addito vaticinio consolationis plenissimo de Christo, summo pontifice, & eius corpore, id est, Ecclesia.

5. Quinta apparitio de spe facta Zachariæ remissionis peccatorum. Zach. 3.

Ostendit ergo Deus Zachariæ summum sacerdotem stantem coram Angelo illo Domini, quem inter myrteta viderat. Stabat autem ad dextram eius Satan aduersarius cum sua nimirum cohorte tartarea, vt ei aduersaretur, templi vrbisq; structuram impediret eumq; tentaret.

At Angelus ille Domini Satanam increpabat, maledictionem illi imprecans, eumq; diris deuouens, quippe qui Hierosolymam eximie electam haberet, & vnicè charam: Annon hic, inquit, est veluti torris quidam ex igne subtractus? Deinde cùm Iosua coram Angelo staret sordidis & squallidis indutus vestibus iussit circumstantes se ministros sordidiores exuere, ac nouis ac decoris eum induere, eiq; diadema mundum & elegans imponere. Deinde sic adornatum alloquutus, Ecce, inquit, abstuli à te iniquitatem tuam, & quod eius est signum, indui te vestibus mutatorijs.

Deinde grauissimè illum est adhortatus ad legitimam muneris sui sacri administrationem, pollicitus se illi ex apparitoribus suis cœlestibus, qui ei adstant, adiuncturũ quosdã, tanquam comites & custodes. Postremò subiungit vaticinium de Christi aduentu in carnem, quem suum vocat seruum, germen, lapidem, in quo 7. sint oculi, quem

dicit se cælaturum, siue sculpturum. Quibus verbis tùm paßio, tùm glorificatio designatur. Adiungitur effectus eius aduentus paßionis & glorificationis: qui sunt peccatorum expiatio, & pax solida ac salutaris.

Vsus apparitionis quintæ.

Hanc quoq; visionem visu cognituq; dignißimam quilibet homo Christianus ad doctrinam & consolationem suam applicet. Visio est, siue personas, quæ in ea introducuntur, quæ sunt Deus, Dei Filius, Angeli, Iosua summus sacerdos, Zacharias Propheta, siue res ipsas atq; mysteria, quæ in illa continentur spectes, contemplatione dignißima.

Primùm igitur, quemadmodum Iosua summus sacerdos, stetisse dicitur, tanquam reus, tanquam minister, & supplex ac cliens coram Angelo illo magni consilij stanti inter myrteta, hoc est, coram Christo, tanquam iudice, domino & patrono suo: Sic homo Christianus stat animo suo coram Christo supplex [illegible] humilis, tanquam reus, agnoscens & confitens sua & aliorum[illegible]atorumq; culpam & pœnam deprecans, ac veniam & remiss[illegible]. Stat item coram Christo, tanquam Domino suo, ei mi[illegible] inseruiendi cupidissimus. Stat coram eo, tanquam suo patrono, m[illegible]iatore, intercessore, aduocato & seruatore.

Deinde quemadmodum Satan exitialis & perennis ille generis humani hostis & aduersarius stetit à dextris Iosuæ, illi aduersandi, eum calumniandi, illius accusandi ac tentandi, i[illegible] ad desperationem adigendi gratia: Sic idem ille Satan ὁ ἀντ[illegible]ος καὶ ἀντίδικος, à quorumuis hominum Christianorum dextera & sinistra stat: illos nimirum non adiuuandi, tuendi, consolandi, sed oppugnandi, impediendi, terrendi & perdendi gratia. Petit illos ignitis suis tentationum telis: illos partim minis, partim blanditijs à recto tramite vitæ abducere, ab officio suo dimouere conatur: quæcunq; potest impedimentorum genera obijcit egregijs illorum conatibus. Vtitur ad id opera impiorum & improborum hominum, qui à dextra & sinistra, hoc est, omnibus ex partibus eorum salutem & temporalem & æternam op-

uam oppugnant: ita vt mirum non esset, illos omnem ferè salutis spem deponere & abijcere, omnes pios illorum conatus atq; consilia & politicis & sacris atq; ecclesiasticis in rebus impedire, remorari, ad nihilumq; redigere conantur.

Vt Satan & eius socij Iosuæ aduersabantur: Sic multos ijdem habent furoris diabolici administros atq; satellites, qui partim vi aperta, partim technis & artibus occultis multos eius conatus, consilia atque proposita impedire, remorari, vel etiam planè confringere & labefactare conantur.

Tertiò quemadmodū Iosuæ cōtra aduersariū Satanā Angelus ille magni consilij, id est, Christus opitulatus est, illum increpando, id est, omnes eius tentationes, calumnias, machinationes ac molitiones reprimendo & ad nihilum redigendo: Sic illi grata mente meminerunt Christum immanissimos adhuc vel dissimosq; aduersus se & Diaboli & diabolicorum hominum conatus & increpasse, id est, vel solo suo verbo nunquam increpasse (vt etiam in Euangelio illum & Cacodæmona & maris fluctus increpasse, id est, coercuisse legimus) & in posterum quoq; idem facturum. Etsi ergo Satanæ, & eius ministrorum norunt magnam esse & potentiam & calliditatem atq; malitiam, qua suæ & aliorum hominum saluti perpetuò insidiatur, rugientis instar atq; esurientis leonis paßim cursitat, omnē homines deuorandi perdendiq; occasionē captans: tamen hac diuina increpatione nixi omnes illius fremitus, id est, tentationes ac machinationes contemnunt, increpauit Christus Satanā sua morte & paßione, resurrectione & ascensione in cælos, sua seßione ad dextram Patris, sua interceßione & deprecatione perpetua, caput eius, id est, omnem eius potestatem conterendo. Increpauit eum & adhuc increpat prædicatione sui Euangelij, mißione & largitione sancti sui Spiritus: ita vt fidelium & electorum salutem nequaquam pro sua libidine euertere atque perdere poßit. Increpabit illum plenißimè in extremo iudicio, omnem eius potestatem aduersus electos abolendo illumq; æterno igni addicendo.

Præterea quemadmodum Deus Iosuam vocat titionem siue torrem ex igni subtractum: ita verißimè cùm vniuersam Ecclesiam, tùm singulos eius ciues torres ex multis ignibus atq; incendijs, id est, grauißimis periculis ereptos appellare poßumus. Et quemadmodum Iosua, tanquam reus & supplex stetit coram Angelo illo magni consilij, id est, Christo, tanquam iudice suo, sordidis & squallidis indutus vestibus, quibus partim ipsius & totius populi culpa & iniquitas, partim pæna, id est, vilis & abiecta eius conditio fuit adumbrata: ita quoque quiuis homo Christianus, quoties Deum per Filium eius vnigenitum Christum inuocat, stat coram illo, coram illius tribunali, tanquam reus, supplex & humilis, sordidatus, suarum proximiq; sui sordium, id est, peccatorum optimè conscius, suam & proximi pænam deprecans.

Porrò Angelus ille magni consilij, hoc est, Christus imperauit suis apparitoribus & ministris, id est, Angelis, vt Iosuam exutum sordidis vestibus nouis & quidem splendidioribus induerent: qua vestium antiquarum & sordidiorum depositione, & illa cum nouis & splendidioribus commutatione, tanquam signo, partim peccatorum eius remißionem (sicut etiam his verbis disertè exprimit: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam & indui te mutatorijs) *partim pristinæ illius dignitatis recuperationem significare voluit. Hinc primùm rursus colligimus Christi Maiestatem, eius ius, imperiũ, ac potestatem, quam habet in omnes Angelos, tanquam suos ministros. Deinde eiusdẽ Christi morte, deprecatione, iustitia, persuasißimum habeamus, nos plenè perfecteq; ablui atq; mundari, purgari ab omnibus peccatorum sordibus. Adhæc solius Christi beneficio nobis planè persuadeamus, nos, in squalore & luctu pœnitentiam agentes, eiusdem Christi Seruatoris nostri benignitate, regiam, purpuram & diadema, hoc est, regni cœlestis poßeßionem esse consecuturos.*

Postremò, vt Iosuæ, si probè officio suo functus fuerit, promittit Deus quosdam ex cœlestibus illis suis satellitibus & apparitoribus, hoc est, Angelis, illius fore comites, duces, custodes, consiliarios, mo-

nitores & doctores fidelissimos: Ita quamuis Christianus non dubitet, quin ijdem Angeli, qui adhuc Dei gratia ei adfuerunt, sibi in posterum etiam suo officio benè fungenti sint adfuturi, memor dicti illius Ambrosij lib.5.cap.51. Seruum Christi magis custodiunt, *inquit,* qui non videntur (*Angelos intelligens*) quàm qui videntur.

Sexta Zachariæ visio cælestis & angelica fuit, qua Deus Zorobabelem primarium populi Iudaici ducem post captiuitatem Babylonicam ad fidem & spem certam exploratamq; futuræ instaurationis templi, vrbis, sacerdotij cultusq; diuini: necnon politiæ, quæ propter Iudæorum paruas opes & negligentiam, hostium magnam potentiam & contentionem, impossibilis esse videbatur, excitat. Angelus itaq; Zachariæ familiaris, quo cum illi sermo erat, non conquiescens illum plenius adhuc de templo extruendo docere, illumq; quasi de somno profundo excitatum videre iussit candelabrum prorsus aureum, quod suis partibus atq; numeris describitur, quæ fuerunt, discus in summo, qui distillantem ceram, aut oleum defluens posset excipere. Deinde septem, quæ super ipsum erant, lucernæ. Tertiò septem infusoria, seu infundibula, per quæ oleum infundebatur. Quatuor item oleæ supra candelabrum dependentes, rigentesq;, habētes baccas suas, altera quidem ad disci dextram, altera ad sinistram propendente. Angelus Zachariæ interrogatus ab illo, quid nam sibi vellet candelabrum illud aureum omnibus suis numeris, id est, suis disculis, lucernis, infundibulis absolutum, respondit ille, hoc significari Zorobabelem, cuius manus fundamentum iecerunt domus istius dominicæ siue templi, & primarium posuerunt lapidem, quòd nullo cum exercitu, neq; vi vlla sua aut virtute illud sit exædificaturus & absoluturus, sed Dei spiritu, consilio & opera, cui nemo restiterit, omni monte in planitiē redacto, id est, omni impedimento quantumuis potentissimo sublato. Per duas itē illas oliuas significari duos viros cùm extremo & sacro oleo inunctos: tùm oleo illo spirituali perfusos & imbutos Zorobabelem videlicet Regis loco habendum, & Iesum summum sacerdotem: qui totius terræ domino adstant & ministrant.

6. Sexta apparitio facta Zachariæ de excitato Zorobabele ad instaurationem vrbis, templi & cultus Hierosolymitani Cap 4

Vsus apparitionis sextæ.

Homo Christianus in aurei huius candelabri visione non tàm Iudaici & corporei illius templi, quàm vniuersalis & spiritualis illius templi, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ exædificationem contemplatur, quæ non humana, sed diuina ipsius Spiritus sancti virtute & operatione constat. Et quemadmodum aurei istius candelabri lumen istis oleis, siue oleo auriginoso atque purissimo ex illis expresso alebatur & fouebatur: ita idem nouit non modò Ecclesiam illam Iudaicam, sed Catholicam & vniuersalem (quæ est Dei domus atque templum) à Deo per Zorobabeles & Iosuas, tanquam per oleas & Dei filios, hoc est, per viros, tàm politicos, quàm ecclesiasticos, eximijs Spiritus sancti donis instructos & ornatos pacis concordiæque amantes (quarum rerum oleæ atque oleum est symbolum) contra omnes aduersarias potestates siue visibiles siue inuisibiles optimè felicißimeque & constitui & gubernari ac conseruari. Inprimis vero Rerumpublicarum & Ecclesiarum præsides hoc exemplo commoti, omnem dabunt operam, vt Zorobabelem illũ imitando, oleæ instar fructiferæ & florentis, Ecclesiam Christi à Babylonijs deformatam ac penè dirutam ad pristinum dignitatis atque splendoris statum reuocent.

7. Septima apparitio facta Zachariæ de volumine volante è templo Cap. 5

Septima Zachariæ visio fuit voluminis euolantis è templo per ipsum vestibulum templi viginti cubitos longi & decem cubitos lati, eandem nimirum longitudinem ac latitudinem referentis, quam habet ipsum templi vestibulum. Hoc volumine volante, interprete Angelo, Zachariæ familiari, adumbrata fuit Dei maledictio & condemnatio, id est, vltio & vindicta, quæ secundum legis volumen celerrime, & quidem longè lateque erat inuolatura & inuasura totam terram: inprimis verò Iudæos pertinaces, Babylone adhuc hærentes, qui cùm alijs sceleribus atq; flagitijs erant polluti, cùm furti & periurij erant rei, quoniam gloriæ diuinæ detrahebant, neq; datam Deo fidem seruabant.

Sunt tamen, qui per volumen istud volans traditiones humanas & superstitiones (quæ ipsæ quoq; Dei sunt maledictio) volunt intelligendas

gendas esse: quæ quidem religionis speciem externam præ se ferunt, & volumini legis congruere videntur: reuera autem voluminis instar sunt volantis, id est, volatiles & vanæ, nihil habentes firmi aut solidi: Vnde etiam illi, qui eas amplectuntur & colunt, semper errant, hùc, illùc quouis vento agitati & impulsi vagantur. Omnis itaque Christianus voluminis huius volantis visione admonetur, vt volumini sacro veteri & nouo Testamento inhærens sibi ab omnibus superstitionibus, quæ ei sunt contrariæ & aduersæ sibi caueat, atq; temperet, ne in maledictionem diuinam incurrat. Vsus appàritionis septimæ.

Octaua visio Zachariæ fuit Epha, *id est, mensura, siue amphora egrediens, qua similiter pœna diuina certa mensura, ratione atque modò definita Iudæis illis irroganda designatur, qui apud Babylonios remanentes captiuitatis illius tenebras saluti libertatique præferebant. Hanc autem pœnam Angelus interpretatur* oculum eorum in tota terra: *quia nimirum hæc ipsa Dei pœna erat,* ἔκδικον θεοῦ ὄμμα, *id est, non fortuita, sed* Dei oculus vindex *& vltor scelerum, ex Dei nimirum prouidentia profecta. Similiter igitur quiuis Christianus pœnæ diuinæ euitandæ gratia sibi ex Babylone, id est, mundo exeundum, & Mundum, qui nihil est aliud, quàm Babel, id est, confusio, deserendum ac derelinquendum esse putat.* 8. Octaua apparitio Zachariæ facta de Epha siue amphora egrediente. Cap. 5 Vsus.

Nona Zachariæ visio, cum præcedente coniuncta fuit massa plumbea, quæ portabatur, & mulier, quæ sedebat iuxta eam in medio mensuræ, quam Zachariæ Angelus impietatem esse dicebat, & detrudebat eam in medium mensuræ, imponens orificio eius lapidem plumbatum, ne alicubi illa prospiceret aut prodiret. *Sublatis autem rursus oculis, & huc illuc circumspiciens duas vidit mulieres prodeuntes: quarum alæ vento agitabantur. Erant autem eis alæ, quales ciconijs. Habebant enim speciem pietatis, sed vim eius abnegârant. Hæ leuauerunt Epha, siue mensuram inter terram & cælum: ita vt iam nihil haberet* 9. Nona apparitio facta Zachariæ de massa plumbea, & muliere sedente iuxta eam. Cap. eodem.

firmi neq; solidi, vt est & impietas omnis inconstans & mobilis. Rogauit itaq; Angelum, qui cum illo colloquebatur, quò nam mulieres istæ deferrent mensuram istam. Et dixit mihi eam asportari in Babylonem, vt hic repurgata terra, illic ei domus ædificaretur in terra Sennear, vt ordinaretur & relinqueretur ibi super basim suam, excolenda ibi à perfidis Iudæis, qui illic remanere malunt, quàm redire in terram Domini.

Vsus nonæ apparitionis.

In hac visione obscura admodum & ænigmatica, quam alij interpretum ad duarum & decem tribuum Israel captiuitatem, alij ad illorum Iudæorum, qui in Babylone remanere, quàm in patriam redire, & vrbem templumq; instaurare maluerunt, ingratitudinem erga Deum peruicaciamq;: alij deniq; ad horrendam illam Iudæorum excæcationem & obdurationem, quæ adhuc durat, referunt. Homo pius ac fidelis in mulieribus quidem istis humanæ naturæ peruersitatem & impietatem: In mensura autem ista iudicium diuinum agnoscet, reuerebitur atq; timebit.

10 Decima apparitio facta Zachariæ de quatuor quadrigis è duobus montibus egredientibus. cap. 6

Decima & vltima visio Zachariæ fuit quatuor quadrigarum, de medio duorum montium æneorum egredientium: in quarum prima equi erant rufi: in secunda nigri: in tertia albi: in quarta variegati & fortes, qui etiam ab Angelo vocantur quatuor cælorum spiritus, qui egrediuntur è statione sua coram dominatore totius terræ. His quadrigis & equis partim quatuor illæ mundi monarchiæ, partim Angeli expeditissimi Dei ministri, qui velocitate sua cum quatuor cæli ventis possunt contendere, designantur, qui tamē omnes duobus montibus æreis, id est, diuina prouidentia cùm voluntate, cum potentia continentur. Nos in hac quoq; visione admirabilem regnorum imperiorumq; mundi ortum, progressum atq; interitum contemplemur, quæ omnia nequaquā dubitemus, quin Dei prouidentia, quasi ænea, id est, firma, fixa & inuicta, Angelorūq; præsidio gubernentur.

Historia Macchabæorū de angelico præsi-

Porrò Machabæorum quoq; historia Angelici præsidij & auxilij testis locuples cùm quibusuis Christianis, tū maximè regibus & principibus quibusuis in periculis, Martis atq; pacis tempore maximo est

solatio. Nam primùm cùm, vt in secundo eius historiæ libro legimus, Simonis proditione Heliodor. à Seleuco Rege Asiæ Hierosolymam ad sacros illius templi thesauros diripiendos missus fuisset, vniuerso populo ieiunijs, precibus & lachrymis vacante, eius satellitibus atq; ministris in loco illo sacro iuxta ærarium illud sacrum equus apparuit pulcherrimo adornatus tegmine, cum equite terribili, aurea armatura instructo, qui ijs metum grauissimum incussit, & Heliodoro incitato impetu priores vngulas iniecit. Deinde duo ante eum conspiciebantur iuuenes robore, gloria & vestitu speciosi et insignes, qui vtrinq; astantes illum sine intermissione flagellabant, eumq; multis ei inflictis vulneribus humi collapsum, multa circumfusum caligine, lectica impositum, omni stipatorum suorum atq; satellitum ope derelictum, omnisque atq; salute destitutum gestarunt. Tandem verò is animam agens ad Oniæ sacerdotis preces ex mortis faucibus ereptus vitæ restitutus fuit. Itaq; ijdem Angeli ijsdem induti vestibus Heliodoro apparentes dixerunt: Plurimam habeto Oniæ gratiam: cuius causa tibi Deus vitam donauit. Deinde illum ad prædicandam Dei potentiam adhortati è conspectu eius abierunt. Cui dubium, quin ijdem equi equitesq; cœlestes & angelici sæpenumero regum & principum Christianorum hostes, eis perniciem pestemq; intentantes perturbariat, prostrauerint, exanimauerint, omnesq; illorum conatus fregerint. Et vt Onias minimè vindictæ cupidus pro Heliodori, hostis sui, salute Deum est precatus; quæ eius precatio non fuit irrita, sed efficax: ita illi quorumuis vel crudelissimorum suorum hostium salutem, qui ipsorum vitam atq; salutem perdere fuerunt conati, tueri atque conseruare, quouis modo studeant, vt plurima exempla docent.

dio, & primũ de apparitione equitis terribilis cũ aurea armatura. 2. Macchab. 3.

Vsus huius apparitionis.

Memorabilis præterea est illa historia. Cùm Timotheus, qui antea à Iudæis victus fuerat, nouo collecto equitatu & peditatu maximo Iudæam inuasisset, Iudæi maxima impendente suis ceruicibus pernicie, Deum ieiunijs atq; precibus placare sedulò studuerunt.

Quamobrem cum Sole orto prælium vtrinque fuisset commissum, Iudæi quidem victoria priore cum virtute coniuncta, ad Deum

Apparitio quinq; virorũ è cœlo in auxiliũ Iudæorũ contra Tim. 2. Macch. 10.

habuerunt perfugium. Hostibus autem visi sunt quinque è cælo missi, equis insidentes insignibus, frænis aureis: quorum duo, tanquam duces, Iudæos præcedebant. Hi Iudam Machabæum armis suis protegentes illæsum inuulneratumque conseruarunt, in hostes verò tela atque fulmina eiaculati sunt: ita vt perturbati vehementer fuerint. Occubuerunt ex hostibus viginti hominum millia & quingenti, equites sexcenti, Timotheo vix fuga elapso, qui tamen & ipse paulò pòst fuit interemtus.

Vsus.

Similem equitum illorum cælestium defensionem aliquando duces & imperatores Christiani in multis acerrimis periculosissimisque prælijs, velitationibus, congressibus, oppidorum oppugnationibus singulari Dei clementia sunt experti, sæpè illos, vt Iudam Machabæum, hostibus vndique circundatos, ac tantùm non oppressos, cælestes illi spiritus alis armisque suis protexerunt, illæsos inuulneratosque conseruarunt: hostes aũt eorũ telis ac fulminibus suis læserũt ac prostrauerunt.

Apparitio equitis in veste candida, armis aureis instructi facta Iudæis contra Lysiam. 2. Mach. 11.

Neque verò multò pòst tempore Lysiæ Regis, Antiochi procurator & propinquus rebusque administrandis præfectus, hac suorum calamitate grauiter commotus collectis octoginta circiter millibus, atque vniuerso equitatu nouam aduersus Iudæos expeditionem suscepit, eo animo atque proposito, vt vrbem Hierosolymam ad gentium domicilium, templum verò eiusque ornamenta in quæstum pecuniæ redigeret: Dei itaque potentiam minimè considerans, sed peditum, equitum & elephantorum multitudine confisus, mente animoque suo elatus, Iudæam inuasit, & Betzuram, oppidum non procul ab Hierosolyma distans, grauissima obsidione cinxit & oppugnauit. Iudas itaque Machabæus & populus vniuersus cum lamentis & lachrymis Deo supplicauerunt, vt bonum mitteret Angelum Israeli ad salutem. Ipse verò Machabæus primus captis armis alios est adhortatus, vt secum vnà pericula subeundo fratribus suis auxilium ferrent. Tunc simul ea vrbe ciues erumpentes, cùm non procul Hierosolyma abessent, eques ijs apparuit, ac præire visus est cum candida veste, armis aureis, hastam vibrans. Hoc viso vehementer animati Dominum misericordem col-

dem collendarunt, & cœlesti nixi fretiq; auxilio atq; misericordia, bonino impetu in hostes facto, prostrauerunt ex illis vndecim millia peditum, equitum verò mille & sexcentos, omnesq; in fugam coniecerunt: ex quibus complures vulneribus acceptis nudi euaserunt: Ipse verò Lysias turpi fuga saluti suæ consuluit, literisq; ad Iudæos missis pacem cum illis inire coactus fuit.

En [illegible] egregium angelicæ protectionis exemplum: qua hac nostra ætate, vt de alijs Principibus ac ducibus taceam, Rex Galliæ & Nauarræ HENRICVS IV. potissimùm in grauissimis sæpe conflictibus atq; pugnis vsus est. Vt Iudas Machabæus & populus Iudaicus in extremo periculo constitutus Deum innocauit, eumq; orauit vt Angelum suum bonum mittat ad opem & salutem sibi offerendam: ita quiuis Rex atq; Princeps Christianus, quibusuis in periculis, siue casibus periculosis ad Deum confugit, eius opem diuinã & angelicam implorat. Deinde quemadmodum Iudæ Machabæo & populo adfuit Angelus equitis forma atq; specie, tanquam ductor, tutor atq; custos fidelis: vnde victoriam fuerunt consecuti: Sic idem sibi suisq; aduersus hostes suos dimicantibus non dubitat, Dei iussu atq; mandato auxilio venire & adesse equites illos cælestes cœlestibus & inuictis illis armis atq; telis ad se eosq; conseruandos, & ex mortis periculis eripiendos: qui quamuis illi non cernuntur externis & corporeis oculis: tamen cernuntur animo atq; fide.

Vsus huius apparitionis.

Postremò cùm Nicanor sceleratissimus manu Iudam Machabæum fuisset aggressus die Sabbati, Iudas sublatis in cœlum manibus, Deum hoc modo inuocauit: Tu domine, sub Ezechia Rege Iudææ Angelum tuum misisti, qui militum Sennacheribi interfecit ad centum octoginta quinque millia. Nunc quoque cœlorum dominator bonum demitte Angelum, qui nos ad pauorem terroremq; istorũ præcedat, qui sanctum populum tuum cum contumelia aggrediuntur magnitudine brachij tui consternantur. Copiæ itaq; Iudæ cum inuocatione & precatione pugnam cum hostibus committentes, & manibus

Apparitio Oniæ summi sacerdotis factæ Iudæ Machabæo contra Nicanorẽ. 2. Mach. 15.

quidem dimicantes, cordibus autem Deũ p[...]tes, non minus, quàm 35. millia hominum prostrauerunt, manifesta Dei præsentia maximo pere lætati, & parta victoria Deum tanquam eius datorem, laudibus celebrarunt. Similiter quiuis dux & Imperator pius Iudæ Macchabæi & aliorum Iudæorum exemplo & imitatione sæpissimè manus quidem cum hostibus conserens, corde autem atq; animo Deum inuocans, præsentissimorum Dei Angelorum licet inuisibilium experitur præsentiam atq; opem : & idcircò victoriam de hostibus suis reportat. Huc faciunt illa sancti Augustini verba de Ciuitate Dei libro quarto capite decimo septimo. An forté dicunt Romani, quòd Deam Victoriam Iuppiter mittat, atq; illa tanquam Regi Deorum obtemperans, ad quos iusserit, veniat, & in eorum parte considat? Hoc verè dicitur non de illo Ioue, quem eorum Regem pro sua opinione confingunt, sed de illo vero Rege seculorum: quòd mittat non Victoriam, quę nulla substantia est, sed Angelum suum, & faciat vincere, quos voluerit: cuius consilium occultum esse potest, iniquum esse non potest.

Apparitio Oniæ summi sacerdotis factæ Iudæ Macchabæo cõtra Nicanorẽ. 2. Macch. 15

Deniq; etiam illud addi potest illustre & insigne diuinæ defensionis per Angelos exemplum, quod extat tertio Macchabæorum capite 6. Nam cùm Ptolomæus cognomento Philopater *Ægypti tyrannus Elephantis belluis immanissimis Iudæos obijci curasset Deus verus, gloriosus & omnipotens Eleazari ardentissima precatione totiusq; populi clamoribus atq; lamentis commotus, sanctam faciem suam ostentans è cœli machina cœlestes portas aperuit, è quibus duo speciosi terribilesq; Angeli descenderũt, omnibus præterquàm Iudæis, conspicui. Hi copias hostiles pauore repleuerunt, & compedibus, præ quibus mouere se non possent, constrinxerunt, Regisq; animum corpusq; cohercuerunt, & ab ira ad misericordiam traduxerunt. Quin ipsæ quoq; belluæ in hostiles copias conuersæ eas contriuerunt ac peremerunt.*

Hoc autem Angelorum cùm munus & officium belli pacisq;

cisque temporibus, tùm lætitiam atq; gaudium, quo partim alios, partim Iudæos hosce Machabæorum ætate, illa sua liberatione affecerunt, eorundem Angelorum quoq; pictura designat, quæ in antiquis nummis tàm Græcis, quàm Latinis conspicitur, lanceâ, ramusculo, serto atque caduceo constans. Nam lancea quidem belli, caduceus autem pacis: ramusculus verò atque sertum cùm lætitiæ atq; gaudij, tùm virtutis atq; victoriæ est symbolum.

Porrò vt Machabæorum temporibus Iudæis sæpe Angeli in bellis atque prælijs adfuerunt & apparuerunt, tanquam auxiliatores fidelissimi: Sic temporibus Ecclesiæ primitiuæ legimus Angelos Christianis in bellis, quæ aduersus prophanas & barbaras gentes gesserunt, ad opem illis ferendam adfuisse & apparuisse. Sic Theodosius imperator aduersus Eugenium prope Aquileiam pugnaturus, sub galli cantum somno correptus duos vidit viros, amictu candido, equis albis insidentes, qui ipsum bono esse animo metumq; deponere iusserunt, dicentes se cœlitus missos esse, tanquam illorum antesignanos atq; duces: quam illorum apparitionem victoria Theodosij fuit consecuta. Deinde cùm Ardaburius dux Theodosij Imp. primarius cum Persis prælium esset initurus Angeli prius quidam nonnullis è Bithynia Constantinopolim pergentibus apparuere, qui Christianos forti iubebant esse animo: se nanq; missos esse cœlitus ad auxilia illis ferenda. Saraceni itaq; fugientes sese in Euphratem præcipites dedere, teste Nicephoro lib. 14, c. 21. Idem Ardaburius missus à Theodosio Imp. aduersus Ioannem, hæreticorum fautorem atq; patronum in Oriente qui imperium arripuerat, Angelo quodam pastoris habitu illum per loca inuia & occulta ducente, Rauennam subito & improuiso aduentu peruenit, & Ioannem simul in ea commorantem cepit, vt testis est idem Nicephorus lib. & cap. paulò antè citato.

De apparitionibus angelici præsidij, quę Ecclesiæ primitiuæ factæ fuerũt, & primùm de ea quæ Theodosio Imp. Niceephor. li. 14.

Memorabile etiam est illud, quod Euagrius tradit lib. 4. suæ historiæ cap. 27. Cùm, imperante Iustiniano Sapores, Rex Persarum potentissimus & immanissimus, Hagiopolim, quam defensoribus vacuam esse intellexerat adoriri atq; occupare voluisset, lustrando prius

Apparitio militum instructissimorum facta Sapori, Regi Pers. Euag. li 4. cap. 27

suum exercitum subitò innumeros in mœnibus conspexit milites optimè armatos & instructos, quo viso territus dimissa obsidione statim discessit.

Apparitio Angelorū facta Vuenceslao duci Boh. Euag. lib. 8. c. 14.

Idem Historicus lib. 8, cap. 14. aliam commemorat historiam lectione dignam. Cùm anno Domini 915. Vuenceslaus, dux Bohemiæ, Curinensi duci, qui maximo cum exercitu Bohemiæ fines populabundus inuasit, obuius fuisset factus, eum ad monomachiam siue singulare certamen prouocauit. Cùm itaq; ad manus ventum esset, Angeli ex improuiso apparuere, qui Vuenceslaum armis suis protegebant ac custodiebant. Hoc viso perterritus ac consternatus dux Curinēsis, ex equo statim descendens supplex veniam à Vuenceslao petijt, quam etiam impetrauit. Nam Vuenceslaus eum prius monitum, ne aliena peteret, dimisit saluum & incolumem. Huiusmodi veniam multi Regis Galliæ & Nauarræ Henrici hostes iniuriosißimi facilè ab eo impetrarunt.

Apparitio equitū albatorū facta Christianis cōtra Corbonā, ducē Per. G. Tyr lib. 6. c. 4. & 19.

Accidit quinetiam anno Domini 1098. cùm Christiani cum Corbona, Persarum duce, manus consererent, & iam illorū acies succumbere videretur, è vestigio turmæ innumeræ equitum albatorum apparuerunt, qui tantum hostibus terrorem incusserunt, vt turpißimæ fugæ sese mandarint, quos insequentes Christiani equitum quidem 100. millia, peditum autem multitudinem innumerabilem ceciderunt: vt testis est Guilhelmus Tyrius lib. 6. cap. 4. & 19.

Apparitio de tribus Angelis facta Esdræ.

Non est etiam hîc silentio prætereundus quartus ille liber Esdræ, qui etsi est Apocryphus, & neq; in Hebræo neq; in Græco codice continetur: tamen quia plenus est atq; refertus mysterijs atq; vaticinijs diuinis, lectione profectò & consideratione est dignißimus. Nam cùm Esdras missus à Deo ad populum Iudaicum, partim ex captiuitate Bab. liberandum, partim increpandum & obiurgandum propter eius peccata, partim consolandum, magno afficeretur dolore: eoq; nomine cū Deo quasi expostularet, quòd eius liberatio diutius à Deo differretur, quodq; Deus populum illum suum electum atq; dilectum à gentibus impijs atq; prophanis tàm diu affligi & diuexari sineret,

Deus

Deus tres ad illum misit Angelos, quorum vni Vriel, *id est*, lux *siue* lumen Dei: *Alteri* Ieremiel, *id est*, Dei misericordia: *Tertio* Salathiel, *id est*, postulatus à Deo, *nomen erat. Hi verò tres Angeli Dei iussu atq; mandato Esdram mæstum fuerunt consolati, curiosam eius tempora futura, & Dei vias atque semitas, id est, iudicia abstrusa atq; recondita, inscrutabilia & imperuestigabilia scrutandi cognoscendiq; cupiditatem represserunt, eum officij sui erga Deum & populum admonuerunt, ei deniq; res futuras, & quidem maximi momenti, nempe futuram populi liberationem, 4. monarchiarum seriem & successionem, Christi aduentum in carnem, mortem atq; paßionem, vocationem gentium, Iudæorum reiectionem perditam deploratamque postremi seculi impietatem, extremum iudicium, mortuorum resurrectionem, electorum præmia, reproborum supplicia æterna prædixerunt, reuelarunt, & aperuerunt. Hæc igitur quoq; 3. horum Angelorum cum Esdra colloquia, quæ multa vtilia & salutaria officij publici & priuati, tùm belli, tùm pacis tempore, documenta continent, Rerump. & Ecclesiarum moderatores proculdubio ad consolationem & vitæ morumq; suorum institutionem meditantur.* Vsus.

Porrò quemadmodum Angeli olim ante Christi aduentum in carne & Patriarchis, & iudicibus & Regibus & Prophetis, & alijs viris sanctis apparuerunt, illos vel tuendi ac defendendi, vel consolandi, vel instituendi & officij sui commonefaciendi, vel mysteria & arcana diuina, resque futuras patefaciendi prænunciandique gratia: Vnde Augustinus lib. 6. de Ciuit. Dei, cap. trigesimo secundo, inquit: Hoc mysterium vitæ æternæ iam inde ab exordio generis humani per quædam signa & sacramenta, temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est: *Ita postquam filius Dei Angelorum omnium princeps, Angelus ille magni consilij, qui olim Patribus antiquis sæpè aspectabili forma apparuit, venit in mundum, manifestatus in carne: tunc ijdem Angeli Dei iussu ac imperio crebriùs & frequentiùs cùm Christo, tùm eius discipulis & Apostolis apparuerunt, ac ministrarunt:*

Apparitiones Angelorum factæ in nouo Testamento.

Ioan 1 *secundum illa ipsius Christi verba ad Nathanaelem:* Amen dico vobis posthac videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. *Huiusce verò rei procul dubio fuit præludium scala illa à Iacobo Patriarcha* Gen. 28 *in somnio visa, per quam Angeli descendebant & ascendebant, ad quam Christus his verbis allusit: de cuius explicatione, & significatione, nempe Christi intercessionem Angelorum ministerio ad nos peruenire, suprà satis est dictum.*

Quemadmodum autem Angeli etiam ante Christi aduentum in carne & eius incarnationem, cùm Legis, tùm Euangelij Christi fuerunt vates & præcones: ita postquam ille è sinu patris descendit in hunc mundum, Euangelium & Christum eius subiectum multifariā prædixerunt, eiq; studia, officia & ministeria sua fidelissimè præstiterunt: quæ quidem in omnium piorum & fidelium, tanquam Christi membrorum fructum atq; salutem redundant.

Vt igitur illa, quæ de Angelis veteris Testamenti literis sunt prodita, in quorum explicatione pro tenuitate mea adhuc versatus sum, cuiuis Christiano homini, saluberrimo sunt in hac miseriarū calamitatumque valle, in asperrimo periculosissimoque huius vitæ statu, documento atque solatio: ita illa quoque, quæ noui Testamenti literis sunt mandata de Angelis testimonia ad cuiusuis hominis pij cùm vitæ morumque institutionem, tùm consolationem spectant.

Apparitio angelica facta Zachariæ de nasci turo ex ipso & Elizabetha, Ioanne Baptista. Luc. 1

Primùm igitur omnium Angelus Gabriel, qui in veteri Testamento Danieli apparuit, eique Christi mysteria multis antè seculis aperuit, ac patefecit, cùm tempus illud, quod ab eo ipso prænuntiatum fuit, quo Christus carnem, id est, naturam humanam assumpturus erat, aduenisset, Zachariæ Ioh. Baptistæ patri in templo munus suum obeunti stans à dextra altaris apparuit, eumq; metu perculsum est allocutus eique significauit, preces ipsius à Deo esse exauditas; Nasciturum enim ipsi filium ex Elizabetha, sene, effœta & sterili: qui & ipsi & multis alijs maximo sit futurus gaudio et lætitiæ. Eiusdem deinde & nomen, & dignitatem, & vitæ genus ac institutum,

actiones

actiones deniq; sacras & religiosas diligenter prædicit atq; describit. Hunc Angelum Gabrielem S. Augustinus lib.3. de mirabilib. scriptura cap.13. septies dicit circa Christi ortum apparuisse. Hæc verò Zachariæ sacerdotis consternatio & trepidatio ad Angeli conspectum, (quæ etiam Danieli, Iohanni Apostolo & plurimis alijs sanctis viris accidit, vt in sacris literis legimus) nos admonet humanæ nostræ infirmitatis. Manent enim in sanctißimis quibusque carnis reliquiæ: quæ diuinæ & cœlestis gloriæ splendorem atque vim sustinere non possunt. Quòd si verò sancti Angelorum conspectum & splendorem ferre non possunt; quid miseris nobis fiet, si suæ iustitiæ rigorem & diuinæ maiestatis radios ad contumaciam nostram reprimendam exerat. Hæc igitur omnem meritò nobis superbiam, propriæque dignitatis atque virium confidentiam excutiat, nosque ad humilitatem, ad timorem Dei, ad pœnitentiam impellere debet, vt cum timore ac tremore operemur salutem nostram, vt Deus nos respiciat, nostrique misereatur: iuxta illa ipsius Dei per Esaiam loquentis verba cap.66. Quem respiciam? Pauperem & contritum spiritu, & qui ad verbum meum contremiscit.

Dan.10
Apoc.1

Cùm autem Zacharias Angeli Gabrielis verba propter suam & vxoris suæ senectutem in dubium reuocasset & signum petijsset Angelus incredulitatis pœnam ei denunciando magna cum grauitate respondens: Ego, *inquit*, sum Gabriel (*vox hæc* Heròem Dei, *aut* in Deo fortem & robustum *significat*) qui asto in conspectu Dei, & missus, vt te alloquar, & hæc tibi læta nunciem. Et ecce mutus eris nec loqui poteris ad eum vsque diem, quo hæc fiant, eò quòd nō credidisti verbis meis, quę implebuntur tempore suo.

In hac prima ὀπτασίᾳ, id est, visione angelica noui Testamenti quilibet Christianus intuebitur cùm Dei prouidentiam, qui Angelorum vtitur opera ac ministerio ad secreta & arcana sua consilia, & voluntatem hominibus enunciandam: tùm Angelorum naturam atque munus, qui partim astant in conspectu Dei, tanquam eius appa-

Primæ visionis noui Testamenti vsus.

ritores, gloriæ & maiestatis eius spectatores, laudatores & ministri, parati ad excipienda & exequenda eius mandata, partim à Deo è cœlestibus illis sedibus in has terras mittuntur ad homines docendos, consolandos, ac tuendos, atque etiam nonnunquam puniendos propter sua peccata. Nam quæ hîc de Gabriele prædicantur, eadem etiam de illis Angelis prædicari possunt.

Exauditā dicit Gabriel fuisse Zachariæ precationem à Deo: Sic homo quoq; Christianus nō dubitat suas quoq; preces à Deo exaudiri.

Apparitio angelica facta Mariæ, de nascituro ex ipsa Christo Luc. 1

Idem deinde Angelus Gabriel sex post mensibus rursus missus est à Deo Nazaretham, vrbem Galilææ ad Mariam virginem desponsatam Iosepho eiq; Christi ex ipsa nascituri et conceptionem & natiuitatem & nomen et regnum, et munus atq; officium annuntiat. Hoc verò Angeli cum beatissima sanctissimaq; virgine Maria colloquium doctrinæ consolationisq; est plenissimum, summam ferè religionis atq; salutis nostræ complectens. Nam primùm Angelus domum Mariæ beatissimæ ingressus eam his verbis humanissimè allocutus est & salutauit: Aue *κεχαριτωμένη, hoc est, gratia plena, siue gratiam consecuta,* Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. *Salutatio hæc angelica simul est et precatio faustissima: qua Angelus ei salutē à Deo precatur, & laudatio præstantissima, dùm eam gratia Dei dicit esse cumulatam, cum qua sit Deus, quæ deniq; præ cæteris mulieribus omnibus sit benedicta, hoc est, singulari honore, dignitateq; ornata, ita vt decus & ornamentum omnium mulierum dici mereatur, quæ cæteris mulieribus omnibus honore dignitateque sit præferenda, & perpetua laude memoriaq; celebranda.*

Cùm autem sanctissima virgo hac Angeli subita & improuisa salutatione attonita obstupuisset, ac perturbata fuisset, animo suo cogitans cuiusmodi esset hæc salutatio, Angelus rursus illam allocutus dixit: Ne timeas ô Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, *siue gratiam Dei consecuta es. Vnde illam ab initio vocauit κεχαριτωμένην καὶ εὐλογημένην. Deinde gratiam hanc Dei per exegesin luculenter explicat addens:* Et ecce concipies in vtero

& paries

& paries filium & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur, dabitq́ ei dominus Deus thronũ Dauidis patris ipsius, regnabitq́ super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. *His auditis Maria virgo sanctissima ad Angelũ dixit:* Quomodo erit istud; quandoquidem virum non cognoui? *Cui Angelus respondit:* Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te, & iccirco, quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabetha cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus ei, quæ vocabatur sterilis. Quia apud Deum non erit impossibile vllum verbum. *Ad hæc dixit Maria:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: & abijt ab ea Angelus.

Quiuis Christianus in tota hac actione & colloquio sanctissimi Angeli cum sanctissima virgine perpetuâ memoriâ, cogitatione, contemplationeq́ dignissimo primum quidem admirabitur immensam Dei et sapientiam & potentiam & clementiam erga genus humanum, quæ ex omnibus colloquij huius partib. elucescunt. Sacrosanctæ quoq́ Trinitatis et trium personarum eius speculũ in illis Angeli verbis Spiritus S. superueniet, &c. *cernitur, nempe & Spiritus S. & Dei patris, qui* Altissimus *vocatur, & Filij, qui* Sanctum *vocatur. Deinde idem hoc colloquium Angelicum agnoscet esse compendiũ, & quasi synopsin totius doctrinæ cœlestis de Christo, de eius persona, naturis, munere & officio, toto deniq́ redemptionis humanæ opere. Nam Angeli Gabrielis verbis fidem adhibens Christum credit esse filium Altissimi, id est, Dei patris non adoptiuum, sed naturalem, ei consubstantialem, ac proinde verum Deum, eundem esse Mariæ virginis filium, conceptum in eius vtero, non ex semine virili, sed superueniente super eam Spiritu sancto, & obumbrante eam virtute Altissimi, ex illa, id est, eius semine atque substantia natum, & idcirco verum hominem Mariæ matri suæ & Dauidi patri suo, nobisque omnibus secundum carnem ὁμοούσιον. Illum credit esse*

Vsus quis secundæ apparitionis angelicę in nouo Testam.

Iesum, id est, Seruatorem mundi generisq́; humani. Illum esse sanctum, esse magnum, esse Regem, cui Dominus Deus dederit thronum Dauidis patris ipsius, qui regnaturus sit super domum Iacob, id est, Ecclesiam, in æternum: cuius regnum nullis neq́; locorum neq́; temporum terminis sit definitum, sed æternum & immensum.

Tertiò in hoc colloquio angelico admiratur & suspicit Maria θεοτόκος cùm dignitatem eximiam, ad quam à Deo euecta est, tùm virtutes admiratione simul & imitatione dignißimas, nempe eius & fidem, quam adhibet Angeli verbis, & obedientiam (Fiat, inquit, mihi secundum verbum tuum) *& castitatem (* Virum enim, *inquit,* non cognoui) *& humilitatem, dùm se agnoscit & vocat ancillam Domini: vt de alijs taceam.*

Quartò & postremò in Angeli Gabrielis persona rursus intuetur in genere omnium Angelorum naturam, ingenium, dignitatem, munus & officium. Nam vt Angelus Gabriel à Deo cœlitus missus est ad Mariam virginem salutandam, consolandam, docendam, ad ei mysteria diuina de Deo, de Trinitate, de Christo, eius diuinitate & humanitate, conceptione, natiuitate admirabili, de eius officio, regno infinito & æterno reuelanda: ita omnes Angeli spiritus sunt ministratorij, qui à Deo cœlitus mittuntur ad homines beandos, consolandos, docendos, erudiendos & instituendos in rebus diuinis, quæ ad illorum salutem pertinent: quod quidem suum munus sibi diuinitùs impositum promptißimè fidelißimeq́; exequuntur.

Apparitio angelica facta Iosepho sponso Mariæ, de ea non deserenda. Matt 1

Præterea cùm Iosephus Mariæ, virginis sanctißimæ, sponsus illam grauidam propter adulterij suspicionem clam cogitaret repudiare: ecce rursus ei in somnio adest & apparet Angelus Domini (verisimile est fuisse Gabrielem) qui animum eius mœstum sinistra, quam de Maria, sanctißima sua sponsa, conceperat, suspicione liberat, eumq́; his verbis affatur & consolatur: Iosephe fili Dauid ne metuas, accipe Mariam vxorem tuam. Nam quod in illa est genitum ex spiritu est sancto. Pariet autem filium & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim seruabit populum suum à peccatis

peccatis eorum. *En rursus in hoc somnio Angelus Domini se præbet Euangelij, nempe conceptionis, natiuitatis, nominis & officij Christi salutiferi præconem, nec non officij monitorem ac magistrum: quæ quidem Angelica prædicatio & admonitio quemuis Christianum partim ad credendum in Christum Iesum, id est, Mundi seruatorem vnicum, partim ad faciendum suum officium mouet atque flectit.*

Iam verò Christo nato & in lucem edito noctu in vrbe regia Bethlehema, en rursus adsunt Angeli de cœlo delapsi natiuitatis eius salutiferæ præcones. Nam primùm quidem Angelus Domini pastoribus pro grege suo noctu excubantibus & vigilias agentibus subitò adfuit, & gloria Domini illos circumfulsit: ita vt magno correpti fuerint metu. Angelus itaque illos fulgore illo in media nocte atque caligine perculsos metu ac perturbatos statim lætissimo natiuitatis Christi nuntio refecit & recreauit: Nolite timere, *inquit,* quoniam magnum vobis affero gaudium: cuius particeps erit populus vniuersus. Vobis enim hodie natus est σωτήρ, id est, seruator, qui est Christus Dominus in vrbe Dauid. Hoc autem vobis signum erit, inuenietis infantem fascijs inuolutum, iacentem in præsepi. *De hoc angelico natiuitatis Christi præconio pulchrè sic Cyprianus scribit in operibus cardinalibus Christi:* A supernis legationibus, *inquit,* incipit Euangelium, cuius primi dictatores Angeli extiterunt. Nec iam in manibus Prophetarum similitudines & ænigmata inuoluuntur, sed Angelorum iubilo & hominum stylo, & euidenti rerum indicio constant: & consonant simul promissa & data, vmbrisque remotis, lex & Euangelium sunt vnita. Multiplicantur testes, militia cœlestis conclamat, credit pastorum cuneus & exultat. A sapientibus & prudentibus non quærit testimonium, qui paruulis se reuelat. In huius doctrinæ initio statim fastus & ambitio condemnatur. Non colores Rhetorum, non inductiones persuasoriæ adducuntur, ratio & miracula harum rerum ordinem comple-

Apparitio angelica facta pastoribus de nato Christo saluatore. Luc. 2

ctuntur. Inprimis ſigna ſe fidei miſcuerunt, & maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cùm ſimul verbis & rebus actum eſt, vt nullum infidelium repugnantia inueniret diffugium. Nox illa omni luce clarior, ſermones angelici pacem hominibus nunciantes, deſignato loco Bethlehem, ad querendum puerum cohortantur: paſtores illi amplius mente, quàm oculis carnalibus inluminati ad conſpiciendum Emanuel feſtinant, & edocti intus inuiſibili magiſterio ſpiritus ſancti, quem paruulum vident, confitentur immenſum: & piæ ei deuotionis affectum præſentant. *Hæc & ſimilia Cyprianus de angelico hoc præconio, quod ſummam Euangelij doctrinæ de Chriſto & ſalutis complectens, nō minus Rerump. moderatoribus & paſtoribus Eccleſiarū, veris & fidelibus populi, tanquā gregis Chriſti paſtoribus in hac intempeſta funeſtaq; mundi nocte pro eius ſalute excubantibus, gaudium, lætitiam atq; conſolationem afferre debet, quàm olim paſtoribus abiectis & humilibus illis attulerit. Sibi enim, vt omnibus quoq; alijs credentibus, ſibi inquam, hoc eſt, ad ſuam ſalutem credunt natū eſſe Chriſtū Dominū ſeruatorem vnicū & perfectū, in quo ſolo omnem ſalutis ſuæ cùm temporalis, tùm æternæ ſpem reponent. Illū noſtrū natū in vrbe Bethlehema, quæ domū panis ſignificat, regia quidem, ſed tunc temporis viuißima & humillima in præſepi collocatum, inter iumenta, inter paſtores faſcijs inuolutum credent eſſe Solem iuſtitiæ, qui noctem atq; caliginem denſißimā peccatorū radijs atq; ſplendore ſuo illuſtret: illū eſſe panem vitæ, panē viuificū & viuū, qui nobis in Bethlehema ſpirituali, id eſt, Eccleſia, in præſepi, id eſt, verbo & ſacramentis ad manducandū proponatur, illum eſſe qui humilibus & abiectis potißimum hominibus vult ad illorum ſalutem manifeſtari.*

Huic autem Angelo de repente ſeſe adiungit multitudo militiæ cæleſtis laudantiū Deū & dicentiū: Gloria in excelſis Deo, in terris pax, in hominibus bona voluntas. *Genethliacū hoc Angelorū carmen, quod infanti Chriſto in tanta rerū inopia humilitate-*

que

que nato coram pastoribus canũt, cuius Christiano semper ante mentis oculos obuersatur, plurimũq; inde & voluptatis & vtilitatis capit. Ante omnia aũt hæc multitudo militiæ cœlestis, quã nouit aßiduè militare & dimicare pro sua omniũq; fideliũ salute, animũ ei addit aduersus quisuis manus atq; copias terrestres & humanas: imò aduersus tartareas illas tenebrarũ potestates, quæ eius salutẽ dignitatẽq; grauißimè oppugnãt. Deinde hinc colligit, Angelos Dei voluntate atq; imperio adesse cũ quibusuis alijs, qui muneribus & officijs suis legitimis inuigilãt, tùm inprimis regnorũ, Rerũpub. Ecclesiarũq; pastoribus (vt in sacris & prophanis literis appellantur) quos aßiduè decet pro Rerumpub. Ecclesiarũq; suarũ salute excubare. Præterea Angelorũ exemplo Deũ perpetuis hymnis atq; laudibus celebrabit. Nã si Angeli lætantur humani generis salute per Christũ parta, deq; illa Deo & Christo gratias agunt: cuius documentũ est hoc ipsum carmen genethliacum: turpe sanè: imò turpißimũ fuerit, homines Christianos huius suæ salutis semper esse immemores & ingratos erga Deũ & erga Christũ θεάνθρωπον. Postremò in hoc ipso hymno & carmine angelico (quod semper esse debet in nostro ore atq; pectore) contemplabimur cũ ingenti animi nostri gaudio & voluptate natiuitatis Christi fructus præstantißimos: qui sunt gloriæ diuinæ illustratio, pacis & bonæ voluntatis inter homines cũ Deo cõciliatio. Christi namq; aduentu in carne & gloria Dei mirũ in modũ fuit illustrata, & pax, amicitia, cõcordia atq; charitas cũ inter Deũ & homines, tũ inter ipsos homines conciliata ac constituta. Angeli hi decantato hoc carmine natalitio in cœlũ dicuntur abijsse: vnde nimirũ hi venerant. Angeli enim sunt cœlicolæ cœliq; ciues, inde ad nos in terras, ceu peregrina in loca à Deo mißi veniunt nostræ salutis causa, vt nos quoq; ad cœlestes illas sedes promoueant. Illuc verò perfuncti suis munijs redeunt. Cœlum itaq; communis nobis est cum Angelis patria, ad quam peregrinantes, exulantésue in hisce terris, perpetuò toto pectore aspirare, suspirare & anhelare debemus, cupientes cum Paulo solui, & esse cum Christo, cum Deo, cum illo sanctorum Angelorumq; choro atq; cœtu.

Apparitio angelica facta Magis, Matth. 2.

Porrò cùm Magi illi siue sapientes, stella duce, ab Oriente venissent, vt eum colerent, ei aurum, thus & myrrham obtulissent (quibus muneribus eius & diuinam maiestatem & regiam potestatem & humanam fragilitatem indicarent) illos redire volentes per insomnium Angelus Domini monuit, ne ad Herodem infanticidam immanissimum reuerterentur, sed alia via in patriam suam redirent, ne in tyranni illius sæuas manus inciderent, & ab eo interimerentur.

Vsus.

Quemadmodum igitur Magi isti Orientales per Angelum à Deo fuerunt in somno moniti, vt periculum sibi ab Herode intentatū effugerent ac declinarent, aliaq; via vitæ suæ consulentes, citò in patriam suam redirent: Ita quiuis Christianus meminisse debet sæpè sibi & vigilanti & dormienti à Deo per Angelos monstratas fuisse vias et rationes admirabiles, quibus ex periculis atq; insidijs, quæ eius vitæ à multis Herodibus & Herodiadibus (vt ita loquar) conflatæ atq; structæ fuerant, euaderet atq; elaberetur.

Quid per stellam non nulli intelligant.

Sed vt hoc quoq; addam, etiam illam stellam, quæ Magis Orientalibus in itinere præluxit, illosq; ad Christi vsq; incunabula dux fuit, sunt qui Angelum quendam fuisse arbitrantur, inter quos est S. Chrysostomus non secus atq; olim Iudæis per desertum Angelus nubis atque columnæ specie diurni nocturniq; itineris comes atq; dux fidelissimus extitit. His adde, quòd Angeli stellæ siue astra à Iobo appellantur. Estq; reuera stellarum & Angelorum, siue naturam, siue splendorem, siue numerū, siue vim & efficientiā spectes, magna affinitas. Nā vt Angeli sunt flammeæ lucidæq; naturæ, vnde Seraphim ab ardore dicuntur: sic stellæ sunt flammeæ & pellucidæ. Nō inconcinna etiam hæc est sententia, quòd fuerit & Angelus et stella, siue lux, in qua vel Angelus apparuit quasi amictus illa luce, vel quam rexit & duxit Angelus. Quicquid sit nobis in vitæ huius ærumnosæ peregrinatione laboriosa & periculosa multæ eiusmodi stellæ prælucent ad Christū, & ad æternam nostram salutem, quas sequi debemus. Mihi quoq; dubium non est, quin noua, & insolita, & admiranda illa stella, quæ post horrendam illam lanienam Parisinam anno 1572. mundo illuxit, An-

gelus

gelus quidam fuerit stellæ forma atq; specie ad pios cõsolandos, ne omnem spem salutis abijcerent.

Postquam verò Magi discesserunt, Angelus Domini Iosepho in somnio apparuit, eumq; monuit, vt Christum recens natum eiusq; matrem secum in Aegyptum abduceret, necem, quam Herodes infanti moliebatur, effugiendi gratia. Deinde post tyranni istius mortem rursus Angelus Iosepho in Aegypto per insomnium apparuit, eiq; auctor fuit, vt accepto infante & eius matre in Iudæam reuerteretur, mortuis ijs, qui infantem ad necem quæsiuerant. Postquam verò reuersus in Iudæam, intellexit Archelaum, Herodis F. in Iudææ regno successisse, non ausus fuit illuc reuerti, sed tertiò per insomnium monitus, nimirum ab Angelo, in Galilæam secessit, ibique in vrbe Nazareth habitauit, secundum oraculum propheticum: Nazaræus appellabitur.

Apparitio angelica facta Iosepho.

Quemadmodum igitur bis Deus Iosephum per Angelum suum monuit, vt & Herodis & Archelai, filij eius, tyrannorum sæuissimorum vim, quæ Christo eiusq; matri, ac suæ quoq; vitæ adferri poterat, declinaret: Sic Deus sæpissimè multos pios & fideles per Angelos suos ex præsentissimis eripuit periculis: quæ eis à multis Herodibus & Archelais fuerunt structa & intentata, eaq; euitandi vias ac rationes eum docuit innumeras.

Vsus.

Postquam verò Christus baptizatus in Iordane à Iohanne Baptista initiatus & inauguratus fuit cœlesti illa visione, qua cœli aperti fuerant, & Spiritus sanctus descendit super illum in specie columbæ, & vox audita est è cœlo clamans: Hic est Filius meus dilectus, in quo placatus sum: statim in desertum spiritu fuit abreptus ibiq; quadraginta dierum spatio sine cibi sumtione cum bestijs commoratus, tandem fame grauissimè laborauit. Hinc Diabolus illum tentandi & ab officio suo, itemq; fide, charitate, & pietate erga Deum dimouendi occasionem arripuit. At Christus diuina armatus virtute hanc tetram funestamq; Diaboli vim & impetum fortissimè sustinuit, & ignita eius tentationum tela verbi diuini armis à se re-

Apparitio cœlestis facta in inauguratione Christi per baptismum Matth. 4. et Mar.

pulit & extinxit. Ad Christum tandem victorem Angeli accessisse dicuntur, eique ministrasse, tanquam Domino suo: quorum quidem Angelorum sophistico fucatoque prætextu & obtentu Diabolus illum ad se è templi pinnaculo seu fastigio præcipitem dandum, atque ita ad Deum tentandum pellicere conatus fuerat, citatis illis Psal. Psal. 94 *verbis de fideli Angelorum custodia atque præsidio: sed in alienum sensum detortis.*

Vsus. *Ex hac historia colligimus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui, vt Apostolus inquit, non Angelos, sed semen Abrahæ assumsit, debuisse per omnia fratribus similem fieri, vt misericors esset & fidelis pontifex in ijs, quæ apud Deum sunt, ad expianda peccata populi, & ex eo, quod perpessus fuit, cùm tentatus fuit, posse & ijs, qui tentantur succurrere. Quamobrem in mundi huius deserto, vasto & horrido in omnibus Diaboli mundique tentationibus hac Christi de Diabolo tentatore & calumniatore teterrimo victoria freti, ijs non cedamus, non succumbamus, sed fortiter resistamus, cùm persuasum exploratumque habeamus, vt Christo capiti: sic nobis quoq;, tanquam eius membris, diuinum angelicumq; hoc auxilium quibusuis in periculis animi atq; corporis minimè defuturum. Hoc etenim Angelorum ministerium, quod ipsi Christo, tanquam capiti præstant, in illius simul corporis & singulorum membrorum, hoc est, Ecclesiæ & fidelium singulorum certissimam salutem redundat. In quibusuis ergo vel grauissimis nostris tentationibus, quibus Diabolus nos in horrido isto, vt dixi, deserto mundi inter bestias & feras constitutos, ad diffidentiam, ad incredulitatem, ad desperationem adigere conatur, non dubitemus, quin Dominus noster Iesus Christus per Spiritum sanctum perq; Angelos suos nos ita sit corroboraturus, vt superiores Diabolo fieri, & tentationes eius vincere possimus. Nam, vt Paulus inquit,*
1. Cor 10 Deus fidelis non sinit nos tentari supra id, quod possumus, sed præstat vnà cum tentatione etiam euentum siue euasionem, vt simus sustinendo.

Vt autem Christo in deserto, in grauissima illa tentatione Diaboli Angeli præstò fuerunt ad ei inseruiendum: sic eidem tempore mortis, quæ ei pro vita & salute generis humani subeunda erat, in horto genibus flexis oranti, & amarissimum & acerbissimum istud poculum, quod ei à Deo propinatum hauriendum erat, deprecanti; deniq; præ extremo metu atq; mœrore sanguinis guttas in terram profundenti, Angelus è cœlo apparuit, eumq; corroborauit. Quare, vt illi ob mortis vicinæ metum consternato Angelus Domini è cœli machina adfuit & apparuit ad eum consolandum & erigendum: ita homo Christianus non dubitet Angelos Dei, qui ei sæpè in acie nouaculæ, id est, extremo vitæ discrimine constituto adfuerunt, sibi quoq; in agone mortis, animam iam iam exhalaturo adfuturos ad sese consolandum & confirmandum contra quasuis tentationes Diaboli & afflatus. Nam quo alio tempore: tunc profectò, quando non solùm temporalis, sed etiam æterna nostra salus agitur & periclitatur, diuina angelicaq; huiusmodi consolatione nobis maximè est opus. Luc. 22

Consideratione etiam dignissima sunt illa Christi verba, quæ ad Petrum, qui illum vi atq; gladio aduersus iniquam & iniustam vim hostium, bono quidem zelo & animo, sed imprudenter atq; temerè tueri conabatur, fecit: An, inquit, non existimas, me nunc captum ab hostibus meis patris mei cœlestis opem implorare posse, qui mihi plures, quàm duodecim legiones Angelorum mitteret & subministraret, ad me ex hostium meorum manibus eripiendũ, & ad hostes meos omnes subitò trucidandos internecioneq; delendos. Quomodo igitur impleretur scriptura, quod sic oportet fieri? In his Christi verbis rursus quiuis homo fidelis animo suo reputet militũ illorũ auxiliariũ cælestium copiã atq; multitudinẽ, quã nouit sibi aduersus quasuis maximas vel peditũ vel equitũ legiones atq; turmas hostiles maximo posse esse secundum Dei clementiã auxilio atq; præsidio. Deinde quemadmodũ Christus, cùm sciret, ita ferre Dei & volũtatẽ atq; gloriã, et humani generis

Testimoniũ Christi de duodecim legionibus Angelorũ Matth. 26

salutem, vt mortem pro illo oppeteret, illam non est deprecatus, nec illius euitandæ gratia angelica ope vti voluit, sed patientissimè eam subijt atq; perpessus est: ita quis Christianorum non nouit sibi liberationem quibusuis ex malis ea conditione à Deo petendam esse: siquidem illa non repugnet naturæ, voluntati atque gloriæ Dei & suæ saluti?

Angeli apparuerunt etiam post passionem Christi.

Porrò, vt Angeli Christi & conceptionis & natiuitatis admirabilis ac salutiferæ prænuntij fuerunt atq; præcones, & vt ei in grauissima illa lucta cum Diabolo, nec non in ipso mortis agone, in quo totius mundi salus agebatur, præstó fuerunt, eum consolati sunt atque animarunt: ita eiusdem tùm resurrectionis gloriosæ, tùm ascensus in cœlos triumphalis prædicatores fuerunt, & denique secundi illius aduentus, iudicij, resurrectionis vniuersalis mortuorum erunt administri.

Nuntij fuerunt resurrectionis Christi. Matth. 28

Quantum ad resurrectionem eius miraculosam, gloriosam & salutiferam attinet, Angeli illius primi fuerunt nuntij fidelissimi: quemadmodum 4. Euangelistæ clarissimè testantur, qui hanc Christi resurrectionem diligentissimè descripserunt. Ac Matthæus quidem Euangelista primùm terræmotus facit mentionem, qui extiterit. Deinde causam eius subiungit: Nam Angelus, *inquit*, Domini, cùm è cœlo descendisset, accessit ad monumentum, & lapidem, *qui vt Marcus testatur, erat valdè magnus*, ab eius ostio auoluit, supraq; eum sedit. Erat autem aspectus eius tanquam fulgur, & vestis eius instar niuis. Itaq; monumenti custodes erant tanto metu perculsi, vt essent quasi mortui.

Mulieribus apparuerũt Marc. 16

Marcus mulieres, ingressas monumentum, scribit, vidisse iuuenem sedentem à dextris, indutum stola alba, cuius aspectu valdè fuerint attonitæ & consternatæ. Lucas & Iohannes duorum faciunt mentionem, quos Lucas duos viros vocat, indutos vestibus fulgurantibus. Iohannes, duos Angelos albatos, quorum vnus quidem sedebat ad caput, alter ad pedes, illic vbi iacuerat corpus Christi. Quantum verò ad angelicam orationem attinet, Angeli primùm quidem

quidem mulieres illas pias & religiosas prae metu trepidantes, atque etiam lacrymantes allocuti metum iusserunt deponere & abijcere. Deinde illas de Christi resurrectione certiores fecerunt: Scio enim vos, *vt est apud Matthaeum*, Iesum crucifixum quaerere, *vel vt est apud Marcum*, Iesum quaeritis Nazarenum crucifixũ. *Addunt Angeli (vt est apud Matthaeum & Marcum)* Non est hîc. Resurrexit enim, prout dixit: Adeste, accedite, videte locum, vbi iacebat Dominus, *siue*, vbi posuerunt eum. *Addunt deinde mandatum:* Abite, *inquiunt*, citò, & nuntiate discipulis eius & Petro, eum resurrexisse à mortuis: Quia ecce praeit vos in Galilaeam, illic eum videbitis, vt vobis dixit. *Lucas paulò aliter:* Quid inter mortuos quaeritis eum, qui viuit? Non est hîc, sed resurrexit, mementote, vt locutus sit vobis, cùm adhuc in Galilaea esset, dicens: Oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi & die tertio resurgere. *In tota hac resurrectionis Christi narratione, siue historia rursus nos, tanquam in speculo Angelorum naturam, ingenium, vires, robur, actiones, officium atq; munus ad doctrinam & consolationem suam salutarem contemplabimur.*

Vsus harũ apparitionum.

Angelus hic de coelo dicitur descendisse, Dei scilicet mandato ac voluntate: sic Angeli in coelo, tanquam in patrio suo solo habitantes, ibiq; Deũ assiduè contemplantes & laudantes aliquando inde descendunt in terras ad homines, à Deo nimirum missi ad exequenda eius iussa et mandata. Angelo hoc descendente è coelo terraemotus dicitur extitisse: Vnde colligi potest Angelos diuina armatos virtute coelos atq; terras, & reliqua elementa mouere, regere atq; gubernare pro Dei voluntate & arbitrio.

Angeli huius vultus siue aspectus fulguris similis indicat Angelorum cùm celeritatem admirandam, tùm vim atq; robur maximum; tùm vindictam & vltionem diuinam: cuius Angeli nonnunquã sunt administri & executores.

Quid vultus Angelorum fulguris similis notet.

Albus & candidus, siue niueus huius Angeli habitus symbolum

Quid habitus albus.

est Angelorum cùm lætitiæ, victoriæ atq; triumphi, tùm candoris, castitatis, sinceritatis, puritatis, sanctitatis & innocentiæ.

Quid forma iuuenilis. Angeli siue Angelorum horum forma iuuenilis significat Angelos non hominum instar mortalium caluescere, canescere, marcescere, consenescere, sed in perpetuo semper esse flore & vigore: Vnde etiam Cherubim dicti.

Quid situs. Angelus hic, siue Angeli hi duo conspiciuntur sedentes: & quidem à dextris vnus ad caput, alter ad pedes corporis Christi: quo situ indicatur Angelos assiduos esse in suo munere, mentes esse non turbidas, sed sedatas & compositas, sedere à dextris Christi, sedere ad corporis illius caput & pedes, hoc est, adesse & assidere semper ad tuenda & defendenda Christi membra cùm summæ, tùm mediocris, tùm etiam infimæ sortis atq; fortunæ.

Quid lapidis deuolutio facta per Angelos. Angelus hic lapidē siue saxum ingens ab ostio monumenti amouit: Vnde colligimus, Angelos quæuis vel maxima regni Christi, gloriæ Christi, salutis Ecclesiæ obstacula et impedimēta amoliri atq; tollere posse.

Qui quod territarunt milites. Angelus hic horridos & feroces istos milites atq; satellites, qui ad custodiendū Christi monumentū collocati fuerāt, aspectu suo fulgurante terret, exanimat, fugat, vt mulierib. Christiq; discipulis aditus ad eius monumentū pateret: ita Deus sæpè Angelorū suorū opera vtitur ad territandos & fugandos Christi & Euangelij hostes, qui Christum in suis membris, quasi in sepulchro, vi retinere conantur, vt electis atque fidelibus aditus ad ipsius cognitionem patefiat atq; muniatur.

Quòd consolati mulieres. Angeli mulieres has Christū quærentes, anxias, meticulosas & lacrymantes, in primis Mariam Magdalenā, lætissimo resurrectionis Christi nuntio consolati sunt, docuerunt, atq; instituerunt, deq; Christi resurrectione ijs præceperunt, vt eandē Christi discipulis annuntient: sic in genere Angeli à Deo mittuntur ad homines vtriusq; sexus cùm consolandos, tùm admonendos & docendos de Christi mysterijs & de ijs, quæ ad illorum munus atq; officium pertinent.

Aug de Agone Chr. c. 24. Christum autem, vt hoc quoq; addā, cum tali corpore resurrexisse,

quale

quale positum fuit in sepulchro, non est dubitandum: Unde S. Aug. de Agone Christiano c.24. pulcherrimè sic ait: Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positũ est in monumento. Si enim tale non fuisset, nõ ipse dixisset post resurrectionem Discipulis: Palpate & videte, quoniã spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sacrilegium est enim credere Dominum nostrum, cùm ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum.

Quantum verò ad Christi ascensionem in cœlos attinet; qua nobis aditum & viam ad cœlos, qui nobis propter peccata nostra interclusi fuerãt, rursus aperuit; eius quoq; testes et praecones fuerunt Angeli, ut Lucas in suis Actis testatur. Nam cùm Christus habita prius ad discipulos suos oratione, aspicientibus ipsis euectus esset sursum, & nubes eum susceptum abstulisset ab eorum oculis, ipsiq; intentis oculis cœlum intuerentur: ecce duo viri illis adstiterunt albo vestitu, qui illos his verbis affati sunt: Viri Galilaei, quid statis, intuentes cœlum? Hic Iesus, qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentẽ in cœlum. *Hi Angeli albati stantes Christi cùm ascensionis in cœlum, tùm secundi aduentus ad iudicium sunt praedicatores. De hac Christi ascensione in cœlos eiusq; praeconio angelico lubet hîc attexere illa Cypriani verba de Ascensione.* Eleuatis igitur manibus haereditariam eis benedictionẽ relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus: sed naturae diuinae propria vsus virtute, carnẽ cœlo intulit, & corpus glorificatum Patris conspectibus pręsentauit. Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus: sed praecedentes & subsequentes applaudebant victori & concinentes in iubilatione modulabantur canticũ nouum, & implebat cœlos consonantiae illius harmonia, thronis & dominationibus pausantibus, filio iuxta Patrem consessum, Cherubim & Se-

Angeli nunctij fuerunt ascensionis Christi.
Luc. 1

Cyp. de Ascensione.

raphim, pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndiq; diuinis claritatibus & splendoribus super cœlestibus, quos nec ardor perseuerans consumit, nec turbinis alicuius adflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscōdit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœlestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Betleemitis decantauerunt in sublimi præconia, modò expressiorib. conatib. & intensioribus iubilis reuertenti ad patrē solenniora obsequia impendebant, & festiuis affectib. venerabantur hominē supra se sublimatū; quem gloria & honore coronauerat pater & ad dextram suam collocatū, hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine eius omē genu flecteretur, & sup omne nomē, eius nomē excellētius coleret.

Aug. epist. 57. ad Dardanum.

Huc etiam hæc S. Augustini pertinent, qui in illa Angeli verba egregiè disserit epistola 57. ad Dardanum: Et sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ille visus est ire in cœlum, id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc sententiam non est putandus vbiq; diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatē astruamus hominis, vt veritatē corporis auferamus. Non est autē consequens, vt, quod in Deo est, ita sit vbiq;, vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit: Quòd in illo viuimus, mouemur & sumus. Nec tamen sicut ille vbiq; sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrunq; est Deus Christus Iesus, vbiq; per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod homo. Quanquam & in eo ipso, quod dicitur Deus vbiq; diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus auocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cūcta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur.

Idem

Idem de agone Christi cap.25.inquit: Nec eos audiamus, qui negant ipsum corpus secum leuasse in cœlum, Dominum nostrum. Et commemorant in Euangelio, quod scriptum est: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Et dicunt: Quia corpus non descendit de cœlo, nō potuisse ascendere in cœlum. Non enim intelligunt, quoniam corpus non ascendit in cœlum. Dominus enim ascendit: Corpus autem non ascendit, sed leuatum est in cœlum, illo leuante, qui ascendit. August. de agone Christiã cap.25.

Quemadmodum autem non solùm post, sed etiam ante Christi incarnationem Angeli fuerunt vates & prænuntij secundi Christi aduentus, vniuersalis & vltimi iudicij diuini, mortuorumq́ resurrectionis: sic eiusdem erunt administri, socij atq; comites, vt sacra veteris & noui testamenti pagina satis superq; testatur. Ipsius Christi hac de re, tanquam testis locupletissimi, hoc est testimonium, quod Matthæus & Marcus prodiderunt his verbis: Et mittet, *Christus videlicet, filius hominis, qui venturus est in nubibus cœli cum potentia & gloria multa,* Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à 4. ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminum eorum. Item: Veniet Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cū eo. Item apud Matthæum: Messis est consummatio mundi: messores autem sunt Angeli. Vt igitur colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione mundi huius. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & facientes iniquitatem, & conijcient eos in caminum ignis. *Idem in quadam parabola:* Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, proijcient eos in caminum ignis: vbi erit fletus & stridor dentium. *Quiuis ergo Christianus his Christi verbis fidem adhibens credit Angelos Christi secundum aduentū sua ornaturos esse præsentia atq; comitatu pulcherrimo & splendidissimo, & cùm resurrectionis, tùm vltimi*

Angeli erūt secundi aduetus Christi prænuntij.

Matth.24. Marc.13.

Vsus.

iudicij, & vltimæ sententiæ, quæ à Christo feretur de electorum præmijs, & reproborum supplicijs fore executores. His congruunt illa
2.Cor.5. Pauli verba: Vltima tuba, scilicet angelica, canēte mortui suscitabuntur incorrupti & nos mutabimur. Tubæ huius Ar-
1.Thess.4 changeli, ad cuius clangorem resurgent mortui, idem Apostolus meminit, cuius hæc sunt verba: Archangeli iussu & voce, & in tuba Dei Dominus descendet de cœlo, & mortui qui sunt in Christo, resurgent primi.

Angeli ergo Christo ministrarunt, & ante eius ἐνανθρώπησιν siue ἐνσάρκωσιν, & post eam. Ac ante quidem eius aduentum in carne vt Patri & Spiritui sancto: ita ipsi quoq; tanquam Filio Dei, & vero Deo ministrarunt partim in cœlo, Deum cōtemplando & laudando, partim in vniuersali mundi ac totius generis humani, nec non speciali Ecclesiæ gubernatione. Ministrarunt etiam Christo peculiari quodam modo ante eius aduentū in carnem, & totū omnino redemtionis opus, quod per illum erat peragendum, cùm per se, tùm per Prophetas, in quibus & per quos locuti sunt, prædicendo ac prænunciando.

Postquam verò hic Christus, Filius Dei venit in carne, ei in his terris frequentissima fidelissimaq; ministeria præstiterunt, vt tota historia Euangelica testatur, partim eius conceptionem, natiuitatem, resurrectionem, ascensionem in cœlos, aduentum secundum ad iudicium annunciando, partim eum in tentationibus, in ipso agone mortis consolando & corroborando. Nunc sedenti Christo in cœlis ad dextram Patris inseruiunt, partim eum illic & in terris laudando, ei canticum & laudes canendo, Apocalyps. quinto & Isaiæ sexto. partim eius regnum siue corpus, Ecclesiam nimirum curando, fouendo, tuendo, docendo, monendo & consolando.

Ministrabunt denique Christo in vltimo illo die & fine seculi atque mundi, aduentum eius in hunc mundum comitando & ornando, electos ex omnibus terræ partibus colligendo, iudicium & extremam sententiā iudiciariam exequendo, electos nimirū in cœlestes sedes de-

des deducendo, reprobos verò cum Diabolis in tartara, infernum, caminum siue stagnum ignis inextinguibilis detrudendo. Omnia autem officia atque ministeria, quæ Angeli & præstiterunt Christo, & adhuc ei præstant, & ad finem vsq; Mundi ei sunt præstituri non solùm in Christi gloriam, sed etiam in Ecclesiæ & eius membrorum, hoc est, fidelium & electorum gloriam atque salutem certissimè redundant.

Quàm verò Angeli erga homines, quorum causa conditi fuerunt, benè affecti sint & animati Christus ipse non vno in loco significauit. Vt Angelos puerorum dicit videre faciem Patris eorum cælestis: quibus verbis docet, Angelos perpetuam & fidelem puerorum secundum Dei voluntatem curam gerere, aduersus quosuis casus aduersos, incommoda & infortunia. Item cùm ait: Angelos vel vnius hominis conuersione ac pœnitentia gaudere: Vnde constat Angelos pro ardentissima sua erga Deum hominesq; charitate salutis humanæ esse amantissimos. Testimonia de amore Angelorum erga homines.

Quemadmodum autem Angeli homines, quamdiu hîc viuunt, perpetua & quidem singulari cura prosequuntur, eos custodiunt atque tuentur: ita ijs quoque morituris adsunt, spiritus malignos, qui ipsis insidiantur, arcent, & illorum tandem animas ex corporibus migrantes in cœlestem illam sedem atque domicilium deferunt: vt Christus ipse in illa narratione de Epulone diuite & luxurioso & Lazaro mendico testatur, cuius animam dicit ab Angelis in sinum Abrahæ fuisse deportatam. Et vt Lazaro morienti præstò fuerunt, eius animulam, iam iam corporis miserrimi ergastulo atque carcere exituram, sibi multorum peccatorum consciam, aduersus Diaboli insidias atque tentationes custodierunt, tandemque in beatissimas illas & æternas sedes detulerunt: Sic quiuis Christianus sperat sibi quoque morituro Deum per Angelos suos nequaquam defuturum, animam suam consolaturum, illamq; è corpore egressam in beatorum regionem translaturum esse. Angeli etiā morituris hominibus adsunt & ministrant. Luc. 16

Epistola beati Macarij.

Macarij Aegyptij, patris sanctiss. hac de re extat homilia 22. quã iuuat hîc totam subijcere, cùm sacræ Scripturæ, & huic nostro instituto optimè conueniat. Sic igitur scribit: ὅταν ἐξέλθῃ ἐκ τοῦ σώματος ψυχὴ ἀνθρώπου, μυστήριόν τι μέγα ἐκεῖ ἐπιτελεῖται. ἐὰν γὰρ ᾖ ὑπεύθυνος ἐν ἁμαρτίαις, ἔρχονται χοροὶ δαιμόνων, καὶ ἄγγελοι ἀριστεροί, καὶ δυνάμεις σκότους παραλαμβάνουσι τὴν ψυχὴν ἐκείνην, καὶ κρατοῦσιν εἰς τὸ ἴδιον μέρος, καὶ οὐκ ὀφείλει τις ἐπὶ τούτοις ξενίζεσθαι. Εἰ γὰρ ζῶν, καὶ ὢν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ὑπετάγη, καὶ ὑπήκουσε, καὶ δοῦλος ἐγένετο αὐτοῖς, πόσῳ μᾶλλον ὅταν ἐξέρχηται ἐκ τοῦ κόσμου, κατέχεται καὶ κρατεῖται ὑπ' αὐτῶν. ἀπὸ τοῦ μέρους τοῦ ἀγαθοῦ, ὀφείλεις νοῆσαι ὅτι οὕτως ἔχει τὰ πράγματα. καὶ γὰρ τοῖς ἁγίοις δούλοις τοῦ θεοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν εἰσὶν ἄγγελοι παραμένοντες, καὶ πνεύματα ἅγια κυκλοῦντα αὐτοὺς καὶ φυλάττοντα. καὶ ὅταν ἐξέλθωσιν ἀπὸ τοῦ σώματος, οἱ χοροὶ τῶν ἀγγέλων παραλαμβάνουσιν αὐτῶν τὰς ψυχὰς εἰς τὸ ἴδιον μέρος, εἰς τὸν καθαρὸν αἰῶνα. καὶ οὕτως αὐτοὺς προσάγουσι τῷ κυρίῳ, *hoc est,* Quando anima hominis migrat ex corpore, mysterium illic grande peragitur. Nam si peccatorum rea sit, chori dæmonum aduolant, ac Angeli praui ac potestates tenebrarum eam auferunt, ad propriamq; deturbant & præcipitant regionem. Neq; sane id cuiquam mirum debet videri. Etenim si viuens & existens in hoc Mundo illis subdita obtemperauit & inseruiuit: quantò magis cùm è Mundo excedit quasi dominatu ab illis detinetur? De conditione boni hominis idem debes iudicare, nempe ita se rem habere. Nam sanctis Dei seruis statim ab ineunte infantia adsunt Angeli, & spiritus sancti eos circumstipant, custodiunt ac tuentur: cumq; ex hoc corporis ergastulo egrediuntur chori Angelorum animas ipsorum recipiunt, & ad suam quoq; regionem eas deferunt, ad purissimam videlicet sedem æternitatis, atq; ita illos Domino adducunt.

Et hæc quidem est cõmunis & firma persuasio atq; fides omniũ piorum, qui

rum, qui, quando morituri animas suas, Christi Stephani & omnium fidelium exemplo, Dei manibus commendant: non dubitant, quin Angelorum manibus in sinum Abrahæ, hoc est, in æternam & beatissimam illam quietem sint deferendæ. Nam cùm, teste sacra scriptura, teste ipsa experientia, Angeli nobis in minoribus leuioribusq; periculis adsint, pro incredibili & Dei & illorum ipsorum erga nos charitate, quis dubitet, quin multo magis animam agentibus, in extremo illo agone atq; periculo adsint, nosq; sua ope, auxilio atq; consolatione minimè destitutos esse patiantur? Cùm igitur mors appropinquat, nemo est tàm ferus & ferreus, qui, vt Poëtæ illius verbis vtar, non refrigeat timido sanguine, atq; exalbescat metu. Hîc ergo angelicæ præsentiæ, tutelæ atq; custodiæ cogitatio nos erigat & corroboret. Qui igitur appropinquatione mortis anguntur, qui incerto mortis horrore & terrore horrescunt, ij Angelorum, qui Christo quoq; simili in casu adfuerunt, cogitatione mirificè reficiuntur ac recreantur. His addamus pulcherrima & consolationis plenissima illa S. Augustini verba lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 31. Sancti verò Angeli, *inquit*, ad quorum societatem & congregationem in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem: ita cognoscendi facilitatem & requiescendi felicitatem, sine difficultate nos adiuuant, quoniam spiritalibus mentibus puris & liberis non laborant. August de Ciuit. Dei lib. 11. c. 31.

Non est etiam hîc silentio prætereunda Hierosolymitana illa κολυμβήθρα, id est, piscina natatoria, Hebraicè cognominata Bethesda, *id est*, domus benignitatis, *vel, vt alij interpretantur*, fluxionis: *quæ etiam* Probatica *fuit appellata, quòd pecudes sacrificijs destinatæ ibi congregarentur, & intestina ipsorum eluerentur: quæ quinq; habebat porticus, id est, fornicatas extructiones. In his iacebat magna multitudo ægrorum, cæcorum, claudorum, morbis difficillimis laborantium, qui aquæ commotionem expectabant. Nam certo tempore Angelus in piscinam illam descendebat, & aquam turbabat. Is igitur, qui aqua commota atque turbata primus illam* Historia de piscina Hierosol. turbata per Angelũ Ioh. 5.

egrediebatur, vel in illam conijciebatur, is morbo, quo laborabat, quamuis incurabili & desperato statim liberabatur. Huic comparari potest piscina illa Siloam (quod est, si interpreteris, Missus) in quam cùm cæcus ille, cuius oculis Christus lutum illeuerat, Christi iussu descendisset, oculosq́ suos aquis illis abluisset, illicò videns factus est.

Cuius rei symbolum piscina.

Vtraq́ue hæc piscina Ecclesiæ videtur esse imago, in quam cùm Angelus ille magni consilij, id est, Christus descendisset, eiusq́ue aquas perturbasset, ingens ægrorum non tàm corpore, quàm animo numerus sanitatem animi recepit. Hodie quoq́ plurimi in turbulentissimis piscinæ Probaticæ & Bethesda huius spiritualis, id est, Ecclesiæ aquis, ærumnis nimirum & afflictionibus statu turbulentissimo per fidem & pœnitentiam animi morbis liberantur atque sanantur.

Angeli etiã Apostolis ministrarunt.

Vt autem Christus: ita eius discipuli & Apostoli angelica hæc ministeria atq́ præsidia aliquoties in maximis suis periculis sunt experti, & de ijs sancti Spiritus instinctu egregiè disseruerunt, vt illorum testantur literarum monumenta: Hinc legimus Act. 5. Apostolos ab eis è carcere liberatos & in templo docere iussos esse. Vt ergo hîc Angeli Apostolos & ex carcere liberarunt, & ad Euangelij, quod est verbum vitæ, prædicationem incitarunt; ita hodie quoque Angeli sæpè fideles Euangelij doctores ex maximis periculis eripiunt, ijsq́ animum addunt, vt Euangelium contra omnes Mundi & tyrannorum minas promulgent.

Act. 8

Deinde legimus, Angelum Domini alloquutum fuisse Philippum (quem Philochristum veriùs dixeris) eique præcepisse, vt ingressus meridiem versus, viam, quæ Hierosolymâ versus Gazam ducit, ad Eunuchum, Candaces reginæ thesaurarium, contenderet, eius nimirum ad veram religionem Christiq́ cognitionem conuertendi gratia & baptizandi: id quod etiam accidit, Angelo nimirum eum comitante & deducente. Hæc autem Eunuchi huius regij ad fidem conuersio viam

sio viam muniuit ad totius Aethiopiæ conuersionem ad veram religionem. Ex hoc ergo exemplo colligimus, Angelos officij & viarum esse monstratores, monitores atque ductores fidelissimos.

Cornelio Centurioni quoque oranti astitit Angelus, qui eum monuit, vt missis nuntijs Ioppen Petrum Apostolum, à quo instituatur & doceatur, quid facto opus sit ad suam salutem, ad se accerseret. Vnde discimus, quicquid agimus vel boni, vel mali, illud ab Angelis custodibus nostris spectari & obseruari, eosdem preces nostras ad Deum deferre, eumque inuocantibus adesse, vt ex Tobiæ duodecimo capite patet: Quum orastis, *inquit*, orationem vestram Deo obtuli. *Vnde sanctus Augustinus libro secundo Meditat. capite tertio sic inquit:* Dicuntur enim Angeli orationes & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant: qui omnia antequam fiant, sicut & posteaquam facta sunt, nouit, sed quia eius voluntatem super his consulunt, & quod Deo iubente com pletum esse cognouerint, hoc nobis euidenter, vel latenter reportant. Vnde hominibus ait: Quum orastis, orationem vestram obtuli Deo. Similiter & nos cùm oramus non Deum docemus, quasi nesciat quid velimus, & quo indigeamus: Sed necesse habet rationalis creatura temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo, quid erga se fiat, siue consulendo quid fiat.

Angelus apparuit Cornelio Centurioni.

August lib. 2 Medit. cap. 3

In eandem sententiam idem Pater scribit epistola 120. ad Honoratum: Annuntiant Angeli non solùm nobis beneficia Dei, verumetiam illi preces nostras offerunt. Nam scriptum est, vbi Angelus hominibus dicit: Ego obtuli memoriam orationis vestræ: non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus. Nouit enim Pater vester, ait Dominus, quid nobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo: Sed quia necesse habet rationalis

creatura obtemperans Deo temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo, quod erga se fiat, siue consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur. *Vnde rursus colligimus, quàm diligentes & fideles sint Angeli in ijs, quæ ad salutem hominum spectant & incolumitatem.*

§.

Exhortatio Chrysostomi ad precũ publicarũ studium.

Quoniam autem Angeli aliquoties in sacris literis vota precesque piorum ad Deum deferre & cœtibus atq; supplicationibus sacris & publicis interesse, & preces suas cum piorum hominum precibus coniungere dicuntur: idcircò S. Chrysostomi elegantem simul & neruosam ad publicarum precum studium exhortationem ex tertia illius homilia περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου, *id est, de Incomprehensibili excerptam, hoc in loco inserere volui: in qua docet, non concionem tantùm sacram diligenter attenteq; esse audiendam, sed etiam communibus vacandum esse precibus, quibus Angeli ipsi intersint, & quibus* ἐνεργούμενοι, *id est, à Dæmonibus obsessi & agitati liberentur: Vnde simul ritus quidam antiqui Ecclesiæ primitiuæ colligi possunt. Sic igitur* χρυσοῤῥήμων *ille scribit:* τὸ δὲ εὐθέως ἀκούοντας ἀποπηδᾶν· σημεῖόν ἐστι τοῦ μηδὲν δέξασθαι τῶν εἰρημένων καὶ ἐναποθέσθαι τῇ διανοίᾳ. εἰ γὰρ ἐναπέκειτο τὰ λεγόμενα ταῖς ψυχαῖς· πάντως ἂν ὑμᾶς ἔνδον κατεῖχεν, καὶ πρὸς τὰ φρικωδέστατα μετὰ πλείονος εὐλαβείας παρέπεμψε. νῦν δὲ ὥσπερ κιθαρῳδοῦ τινὸς ἀκούσαντες, οὕτως ἔρημοι πάσης ὠφελείας, παυσαμένου τοῦ λέγοντος, ἀναχωρεῖτε. ἀλλὰ τίς ἡ ψυχρὰ τῶν πολλῶν ἀπολογία; εὔξασθαι, φησι, καὶ ἐπὶ τῆς οἰκίας δύναμαι· ὁμιλίας δὲ καὶ διδασκαλίας ἐπὶ τῆς οἰκίας οὐ δυνατὸν μετασχεῖν. ἀπατᾷς σεαυτὸν ἄνθρωπε. εὔξασθαι μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς οἰκίας, δυνατόν· οὕτως δὲ εὔξασθαι, ὡς ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας, ἀδύνατον· ὅπου πατέρων πλῆθος τοσοῦτον, ὅπου βοὴ πρὸς τὸν θεὸν ὁμοθυμαδὸν ἀναπέμπεται. οὐχ οὕτως εἰσακούῃ, κατὰ σαυτὸν τὸν δεσπότην παρακαλῶν· ὡς μετὰ τῶν σῶν ἀδελφῶν. ἐνταῦθα γάρ ἐστί τι πλεῖον, οἷον ἡ ὁμόνοια καὶ ἡ συμφωνία, καὶ τῆς ἀγάπης ὁ σύνδεσμος, καὶ αἱ τῶν ἱερέων εὐχαί. διὰ γὰρ τοῦτο ἱερεῖς προεστήκασιν· ἵνα αἱ τοῦ πλήθους εὐχαὶ ἀσθενέ-

στεραι

στραι οὖσαι, τῶν δυνατωτέρων τούτων ἐπιλαβόμεναι, ὁμοῦ συνανέλ-
θωσιν αὐταῖς εἰς τὸν οὐρανόν. ἄλλως δὲ τί γένοιτ' ἂν ὄφελος ὁμιλίας,
ὅταν εὐχὴ μὴ ᾖ συνεζευγμένη; πρότερον εὐχὴ καὶ τότε λόγος. οὕτω
καὶ οἱ ἀπόστολοί φασιν: ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διανοίᾳ τοῦ λό-
γου προσκαρτερήσομεν. οὕτω καὶ Παῦλος ποιεῖ ἐν τοῖς προοιμίοις
τῶν ἐπιστολῶν εὐχόμενος: ἵνα ὥσπερ λύχνου φῶς, οὕτω τὸ τῆς εὐχῆς φῶς
προοδοποιήσῃ τῷ λόγῳ. ἐὰν ἐθίσῃς σαυτὸν εὔχεσθαι μετὰ ἀκριβείας
οὐ δεήσῃ τῆς παρὰ τῶν συνδούλων διδασκαλίας: αὐτοῦ σοι τοῦ θεοῦ
χωρὶς μεσίτου τινός, καταυγάζοντος τὴν διάνοιαν. εἰ δὲ εὐχὴ μό-
νου τοσαύτην ἔχει δύναμιν: πολλῷ μᾶλλον ἡ μετὰ πλήθους. μεί-
ζονα γὰρ ταύτης τὰ νεῦρα, καὶ πλείων ἡ παρρησία πολλῷ, τῆς ἐν οἰκίᾳ καὶ
κατ' ἰδίαν. πόθεν τοῦτο δῆλον; αὐτοῦ τοῦ Παύλου λέγοντος ἄκουσον:
ὃν ἐκ τηλικούτων θανάτων ἐρρύσατο ἡμᾶς, καὶ ῥύεται, ἠλπίκαμεν δὲ
ὅτι καὶ ἔτι ῥύσεται, συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει:
ἵνα τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν προσώπων εὐχαριστηθῇ ὑ-
πὲρ ἡμῶν. οὕτω καὶ Πέτρος τὸ δεσμωτήριον διέφυγε. προσευχὴ γὰρ
ἦν ἐκτενὴς ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ αὐτοῦ γινομένη πρὸς τὸν θεόν. εἰ δὲ
Πέτρον ὠφέλησε τῆς ἐκκλησίας ἡ εὐχή, καὶ τὸν στῦλον ἐκεῖνον ἐξέβαλε
τοῦ δεσμωτηρίου: πῶς σὺ καταφρονεῖς τῆς δυνάμεως αὐτῆς εἰπέ μοι,
καὶ ποίαν ἕξεις ἀπολογίαν, ἄκουσον καὶ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ λέγοντος, ὅτι δυσω-
πεῖται τὸ πλῆθος, μετ' εὐνοίας αὐτὸν παρακαλοῦν. πρὸς γὰρ τὸν
Ἰωνᾶν ἀπολογούμενος περὶ τοῦ φυτοῦ τῆς κολοκύνθης, φησί: σὺ μὲν
ἐφείσω ὑπὲρ τῆς κολοκύνθης, ὑπὲρ ἧς οὐκ ἐκακοπάθησας, οὐδὲ ἐξέ-
θρεψας αὐτήν: ἐγὼ δὲ οὐ φείσομαι ὑπὲρ Νινευὶ τῆς πόλεώς μου τῆς
μεγάλης, ἐν ᾗ κατοικοῦσι πλείους ἢ δώδεκα μυριάδες ἀνδρῶν. οὐχ
ἁπλῶς τὸ πλῆθος προβάλλεται: ἀλλ' ἵνα μάθῃς, ὅτι ἡ μετὰ συμ-
φωνίας εὐχὴ μεγάλην ἔχει τὴν δύναμιν. τοῦτο καὶ ἐξ ἀνθρωπίνης
ἱστορίας ὑμῖν ποιῆσαι βούλομαι φανερόν. πρὸ γὰρ δέκα τούτων ἐτῶν ἑ-
άλωσαν ἐπὶ τῇ τυραννίδι τινές, καθάπερ καὶ ὑμεῖς ἴστε. εἶτα τῶν ἐν
δυναστείαις τις ὢν ὑπεύθυνος τοῖς ἐγκλήμασι φανείς, ἀπαρτίον
ἐπὶ τοῦ σώματος λαβών, ἐξήγετο τὴν ἐπὶ θανάτῳ ὁδόν. τότε δὴ
πᾶσα ἡ πόλις ἐπὶ τὸν ἱππόδρομον ἐξέχει, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἐργαστη-

ρείων ἐξῆγον, καὶ κοινῇ πᾶς ὁ δῆμος ἀνελθὼν, ἐξήρπασε τῆς βασιλικῆς ὀργῆς τὸν καταδικασθέντα καὶ οὐδεμιᾶς ὄντα ἄξιον συγγνώμης. εἶτα βασιλέως μὲν ὀργὴν ἐπιγείου καταλῦσαι βουλόμενοι, μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν συνετρέχετε πάντες· τὸν δὲ οὐράνιον βασιλέα μέλλοντες ἵλεων ποιῆσαι, καὶ ἐξαρπάσειν τῆς ὀργῆς αὐτοῦ οὐχ ἕνα, καθάπερ τότε, οὐδὲ δύο καὶ τρεῖς καὶ ἑκατὸν, ἀλλὰ πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἁμαρτωλοὺς, καὶ τοὺς δαιμονῶντας ἀπαλλάττειν τῆς τοῦ διαβόλου μάστιγος, ἔξω καθέζεσθε; καὶ οὐ συντρέχετε κοινῇ πάντες, ἵνα ὁ θεὸς τὴν συμφωνίαν ὑμῶν αἰδεσθεὶς, κἀκείνοις ἀφῇ τὴν κόλασιν, καὶ * ἡμῖν συγχωρήσῃ τὰ ἁμαρτήματα. εἰ γὰρ ἐπ᾽ ἀγορᾶς τύχοις ὢν κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, εἰ γὰρ ἐπὶ τῆς οἰκίας, εἰ γὰρ ἐν ἀπαραιτήτοις πράγμασιν· οὐχὶ παντὸς λέοντος σφοδρότερον ἅπαντα διαρρήξας τὰ δεσμὰ, πρὸς τὴν κοινὴν ἱκετηρίαν αὐτομολήσεις; καὶ ποίαν ἕξεις σωτηρίας ἐλπίδα, εἰπέ μοι; κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἀγαπητὲ, οὐκ ἄνθρωποι μόνοι βοῶσι τὴν φρικωδεστάτην ἐκείνην βοήν· ἀλλὰ καὶ ἄγγελοι προσπίπτουσι τῷ δεσπότῃ, καὶ ἀρχάγγελοι δέονται. ἔχουσι καὶ τὸν καιρὸν αὐτοῖς συμμαχοῦντα, τὴν προσφορὰν βοηθοῦσαν. καὶ καθάπερ ἄνθρωποι κλάδους ἐλαιῶν ἐκκόψαντες ἐπισείουσι τοῖς βασιλεῦσι· διὰ τοῦ φυτοῦ ἐλέου καὶ φιλανθρωπίας αὐτοὺς ἀναμιμνήσκοντες· οὕτω δὴ καὶ οἱ ἄγγελοι τότε, ἀντὶ κλάδων ἐλαιῶν, αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν προτεινόμενοι, τὸν δεσπότην παρακαλοῦσιν ὑπὲρ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, μονονουχὶ λέγοντες· ὅτι ὑπὲρ τούτων δεόμεθα, οὓς αὐτὸς οὕτως φθάσας ἀγαπῆσαι καταξίωσας, ὡς τὴν ψυχὴν ἐπιδοῦναι τὴν σεαυτοῦ· ὑπὲρ τούτων παρακαλοῦμεν, ὑπὲρ ὧν τὸ σῶμα κατέθυσας. διὰ τοῦτο τοὺς ἐνεργουμένους κατ᾽ ἐκεῖνον ἵστησι τὸν καιρὸν ὁ διάκονος. καὶ κελεύει κλῖναι τὴν κεφαλὴν μόνον, ἐπὶ τῷ σχήματι τοῦ σώματος ποιεῖσθαι τὰς ἱκετηρίας. εὔχεσθαι γὰρ αὐτοῖς μετὰ τοῦ κοινοῦ συλλόγου τῶν ἀδελφῶν, οὐ θέμις. διὰ τοῦτο αὐτοὺς ἵστησιν, ἵνα καταλεήσας αὐτοὺς καὶ τῆς συμφορᾶς καὶ τῆς ἀφωνίας, τῇ οἰκείᾳ παρρησίᾳ πρὸς τὴν ἐκείνων ἀποχρήσῃ προστασίαν. ταῦτα οὖν ἅπαντα εἰδότες· συντρέχωμεν κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην, ἵνα ἐπισπασώμεθα ἔλεον, καὶ χάριν εὕρωμεν εἰς εὔκαιρον βοήθειαν.

* ὑμῖν.

θέαν. Hoc est: Quòd autem audita concione è vestigio diffugitis, id non leui est argumento, nihil vos eorum, quæ dicta sunt, animis vestris percepisse, nihilq́ in mentibus vestris recondidisse. Nam si ea, quæ dicta fuerunt, mentibus vestris inhærescerent, ea vos omninò in templo retinerent, vosq́ ad tremenda venerandaq́ illa mysteria atq́ sacra tantò maiori religione inuitarent. Nunc verò non secus atque audito aliquo citharœdo, simul atq́ Ecclesiastes dicendi finē fecit, omni fructu vacui disceditis. Sed quàm frigida ac friuola est nonnullorū excusatio dicentiū se domi quoq́ posse precari: at cōcionis & doctrinæ domi se nō posse fieri participes. Falleris multū, ô homo. Nā fieri quidē potest, vt domi ac priuatos contra parietes quis precetur, at vt ita, sicut in Ecclesia, fieri nō potest: quippe cùm in illa tanta sit patrū multitudo, et clamor vna voce atq́ mēte ad deū tollatur. Nō igitur sic te exaudiri existimes, quando solus, vt quando simul cum fratribus tuis Deum inuocas? Maius enim hîc quiddam est & amplius, quàm domi, nempe & vocum animorumque consensus, quasique concentus, & charitatis vinculum, & ipsorum sacerdotum vota atque preces. Hanc ipsam enim ob causam sacerdotes non adsunt tantùm, sed etiam præsunt, vt multitudinis vota precesque aliquantò infirmiores cum sacerdotum precibus tanquam validioribus & firmioribus coniunctæ, illisq́ adiutæ tantò faciliùs in cœlum vsq́ penetrent. Et quæ nam concionis fuerit vtilitas, nisi preces cum illa coniungantur? Concio igitur præcedit, precatio hanc sequitur: Vnde etiam Apostoli aiunt: Nos verò precibus verbiq́ ministerio, hoc est, præconio incumbemus. Idem etiam Paulus docuit omnes suas epistolas exorsus à precibus, vt nimirum, quod lumen est lucernæ: Sic precum lumen concioni quasi viam monstret ac muniat. Quando igitur aßiduitate & exercitatione quotidiana precibus assueueris religiosis & ardentibus, non opus tibi erit conseruorum doctrina ac institutione ipso nimirum Domino, siue Mediatore aliquo mentem tuam illuminante. Quòd si verò vel vnius tantùm alicuius precatio tantam vim habet atque pondus, quantò maio-

ris ponderis atq; momenti erunt illæ preces, quæ ab vniuersa multitudine ad Deum funduntur: quarum maiores profectò longè sunt nerui, maiorq; est libertas quàm illarum, quæ priuatos intra parietes fiunt. Vnde verò id constat? Ipsum audi Paulum sic dicentem: Qui ex tot me liberauit mortibus, & adhuc liberat, & vt speramus, in posterum quoq; liberabit, cooperantibus etiam vobis pro nobis precatione, vt gratuitum Dei donum in vos collatũ per multas personas pro nobis gratis animis celebretur. Hoc etiam pacto Petrus è carcere euasit, cùm piæ religiosæq; preces pro ipso ad Deum ab Ecclesia fuissent adhibitæ. Si autem Petro profuerunt Ecclesiæ preces, & illud Ecclesiæ columen è carcere eripuerunt, cur tu vim illarum contemneres, & qua nam vti posses excusatione? Ipsum nec audi Deum, qui testatur: se multitudinem revereri quodammodo atq; suspicere: eaq; ad misericordiam flecti: quæ quidem illum bono animo inuocat. Ionam enim de Colocyntha planta sese excusando sic affatur: Tu quidem Colocynthæ voluisti parci, cuius causa nihil laborasti, & quam non nutriuisti, cur ego igitur non parcerem Niniuæ ciuitati meæ magnæ & populosæ, quam plures quàm centum viginti millia virorum incolunt? Non sine causa autem multitudinis mentionem facit, vt sic discas, preces coniunctas atq; cõcordes maximam vim habere. Hoc ipsum verò humanæ quoq; siue prophanæ historiæ appositione vobis faciam manifestum. Nam cùm ante decennium, vt nostis omnes, nonnulli tyrannidis fuissent conuicti, & Optimatũ quidam iam condemnatus, fune ori eius iniecto ad supplicium duceretur, tota ciuitas procurrens in Hippodromum omnes, qui erant in ergastulis emisit, vniuersusq; populus ascendens, eum qui iam condemnatus erat, venia licet indignißimũ, ex regia ira atq; manibus eripuit. Tunc temporis igitur terreni illius Principis iram sedandi ac reprimendi gratia cum vxoribus atque liberis vestris concurristis omnes. Nunc verò vt cœlestem illum Regem regum ac Dominum dominorum placare, & non vnum atq; alterum, aut tres, aut etiam centum, sed vt omnes, quotquot sunt, per totum terrarum orbem miseros peccatores,

catores, & à dæmonibus obsessos, à Diaboli flagello liberare possitis, extra templum cœtumq; sacrum sedebitis oscitantes ac securi, ac non potius concurretis vndiq;, vt Deus consensum consessumq; hunc vestrum, quasi reueritus, pœnam miseris illis remittat, vobisq; peccata vestra condonet?

Annon illo tempore etiamsi vel in foro atq; in publico, vel domi tuæ negotijs fueris occupatus atq; distentus necessarijs, tamen maiore impetu, quàm quiuis leo, ruptis omnibus vinculis, ad publicas illas supplicationes tua sponte decurres? Cogita enim quanta illo die tibi salutis spes ostendatur. Non etenim homines solùm tunc temporis clamorem illum tollunt tremendum, sed etiam Angeli sese coram Domino prosternunt supplices, & ipsi quoq; Archangeli orant, precesq; suas cum hominum precibus coniungunt, quas quidem vel ipsum tempus sacrificiumq; illud vehementer adiuuat. Quemadmodum igitur homines sæpè oleæ ramos amputatos Regibus protendunt, misericordiam illorũ atq; humanitatem hac planta captandi & aucupandi gratia: sic Angeli illo tempore pro oliuæ ramis ipsum corpus Dominicũ protendentes Dominũ pro genere humano deprecantur, his quasi vtentes verbis: Ecce, ô Domine, pro his oramus, quos tu prior amore ductus & impulsus, infinito quantumuis indignissimos, dignos existimasti, pro quibus animam tuam traderes. Pro illis deprecamur, pro quorum salute corpus tuum obtulisti. Et idcirco illo ipso tempore Diaconus τοὺς ἐνεργουμένους, id est, à Diabolis obsessos, in quibus ille operatur, sistit, ijsq; præcipit, vt capita tantùm sua inclinent, & hoc tantùm corporis gestu supplices precentur. Nam cum communi fratrum cœtu precari illis non est licitum: & ideo Diaconus eos sistit, vt cœtus sanctus illorum misertus miseriæ, & quod loquendi facultate sint destituti, hac propria sua libertate ad illorum vtatur patrocinium atq; auxilium. Hæc cùm nouerimus, hora illa concurrimus, vt Dei eliciamus misericordiam & gratiam consequamur ad auxilium opportunum.

His cognata et affinia sunt hæc, quæ hom. ilia sequẽti 4. cõtinentur:

ἐπὶ τὴν συνήθη τρεψώμεθα τοῦ λόγου παραίνεσιν. τίς δὲ ἡ συνήθης ἡμῖν παραίνεσις; εὐχῆς ἐκτενοῦς ἔχεσθαι, νηφούσῃ διανοίᾳ καὶ ἀγρυπνούσῃ ψυχῇ. καὶ γὰρ καὶ πρώην περὶ τούτων διαλεχθεὶς εἶδον ἑτοίμως ἅπαντας ὑπακούσαντας. ἄτοπον οὖν, ῥαθυμοῦσι μὲν ἐγκαλεῖν, κατορθοῦντας δὲ μὴ ἐπαινεῖν. ἐπαινέσαι τοίνυν ὑμᾶς βούλομαι σήμερον, καὶ χάριν ὑμῖν ἀποδοῦναι τῆς ὑπακοῆς ἐκείνης. ἔσαι δὲ ἡ χάρις, ἂν διδάξωμεν ὑμᾶς, τίνος ἕνεκεν ἐκείνη γίνεται πρὸ τῶν ἄλλων ἡ εὐχὴ, καὶ τί δή ποτε τοὺς δαιμονῶντας καὶ μανίᾳ πονηρᾷ κατεχομένους εἰσάγεσθαι κελεύει τότε ὁ διάκονος, καὶ κλίνειν τὰς κεφαλάς; τίνος οὖν ἕνεκεν τοῦτο ποιεῖ; ἅλυσις πονηρὰ καὶ χαλεπὴ τῶν δαιμόνων ἐστὶν ἡ ἐνέργεια, ἅλυσις παντὸς σιδήρου δυνατωτέρα. καθάπερ οὖν δικαστοῦ πρόοδον ἔχοντος, καὶ ἐφ' ὑψηλοῦ τοῦ βήματος προκαθέζεσθαι μέλλοντος, οἱ δεσμοφύλακες τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἅπαντας ἐξαγαγόντες τοῦ οἰκήματος, πρὸ τῶν κιγκλίδων καὶ τῶν τοῦ δικαστηρίου παραπετασμάτων καθίζουσιν, αὐχμῶντας, ῥυπῶντας, κομῶντας, ῥάκια περιβεβλημένους. οὕτω δὴ καὶ οἱ πατέρες ἐνομοθέτησαν, τοῦ Χριστοῦ μέλλοντος ὥσπερ ἐφ' ὑψηλοῦ προκαθέζεσθαι βήματος, καὶ ἐπ' αὐτῶν φαίνεσθαι τῶν μυστηρίων, τοὺς δαιμονῶντάς τινας εἰσάγεσθαι. οὐχ ἵνα εὐθύνας ὑπόσχωσι τῶν πεπλημμελημένων, καθάπερ ἐκεῖνοι οἱ δεδεμένοι, οὐδ' ἵνα κόλασιν ὑπομείνωσι καὶ τιμωρίαν: ἀλλ' ἵνα τοῦ δήμου καὶ τῆς πόλεως ἁπάσης ἔνδον παρούσης, κοιναὶ περὶ αὐτῶν ἱκετηρίαι γίνωνται. πάντων ὁμοθυμαδὸν τὸν κοινὸν δεσπότην ὑπὲρ αὐτῶν ἐξαιτουμένων καὶ ἐλεῆσαι παρακαλούντων μετὰ σφοδρᾶς τῆς βοῆς. τότε μὲν οὖν ἐνεκαλοῦμεν τοῖς καταλιμπάνουσι τὴν τοιαύτην εὐχὴν, καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἔξω διατρίβουσι: νυνὶ δὲ τοῖς ἔνδον μένουσιν ἐγκαλέσαι βούλομαι. οὐχ ὅτι μένουσιν ἔνδον: ἀλλ' ὅτι μένοντες τῶν ἔξω διατριβόντων οὐδὲν ἄμεινον διάκεινται, κατὰ τὸν φρικωδέστερον ἐκεῖνον καιρὸν ἀλλήλοις διαλεγόμενοι. τί ποιεῖς ἄνθρωπε; ὁρᾷς τοσούτους δεσμώτας ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν τῶν σῶν ἑστηκότας πλησίον: καὶ σὺ περὶ τῶν οὐδὲν προσηκόντων

κόντων διαλίγῃ πραγμάτων; ἡ γὰρ ὄψις μόνη οὐχ ἱκανὴ καταπλῆξαί σε, καὶ εἰς συμπάθειαν ἀγαγεῖν; ὁ ἀδελφός σου ἐν δεσμοῖς, καὶ σὺ ἐν ῥαθυμίᾳ· καὶ ποίαν ἕξεις συγγνώμην, εἰπέ μοι, οὕτως ἀσυμπαθὴς ὤν, οὕτως ἀπάνθρωπος, οὕτως ὠμός; οὐ δέδοικας μή ποτε σου διαλεγομένου, ῥαθυμοῦντος, ὀλιγωροῦντος, δαίμων τις ἐκεῖθεν ἐκπηδήσας, σχολάζουσαν καὶ σεσαρωμένην εὑρὼν τὴν ψυχὴν, ἐπεισέλθῃ μετ' ἀδείας πολλῆς, ἀθύρωτον τὴν οἰκίαν εὑρών; οὐ γὰρ δεῖ πάντας κοινῇ πηγὰς δακρύων ἀφιέναι κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην; καὶ διαβρόχους ὁρᾶσθαι πάντων τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θρήνους καὶ οἰμωγὰς γίνεσθαι παρὰ τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης; ὅτι μετὰ τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων, μετὰ τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ λουτροῦ, μετὰ τὸ συντάξασθαι τῷ Χριστῷ, ἴσχυσεν ὁ λύκος ἐκεῖνος ἁρπάσαι ἐκ τῆς ποίμνης τοὺς ἄρνας, καὶ κατέχειν μεθ' ἑαυτοῦ· καὶ σὺ ὁρῶν τὴν συμφορὰν, οὐ δακρύεις; καὶ ποῦ ταῦτα ἀπολογίας ἄξια; οὐ θέλεις συναλγῆσαι τῷ ἀδελφῷ· καί γε ὑπὲρ σαυτοῦ δεῖσον, καὶ διανάστηθι. εἰ τὴν τοῦ γείτονος οἰκίαν εἶδες ἐμπυριζομένην, εἰπέ μοι, εἰ καὶ πάντων πολεμιώτατος ἦν ὁ γείτων· οὐκ ἂν ἔδραμες ἐπὶ τὸ σβέσαι τὴν πυρὰν, δεδοικὼς, μὴ τὸ πῦρ * ὁ βαδίζον, καὶ τῶν σῶν ἅψηται προθύρων; τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν δαιμονώντων λογίζου. καὶ γὰρ πυρά τίς ἐστι, καὶ ἐμπρησμὸς χαλεπὸς, τῶν δαιμόνων ἡ ἐνέργεια. σκόπει δὴ, μὴ καὶ τὴν σὴν προκαταλάβῃ ψυχὴν ὁδῷ βαδίζων ὁ δαίμων. καὶ ὅταν ἴδῃς παρόντα· μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς πρόσφυγε τῷ δεσπότῃ, ἵνα ἰδὼν σου τὴν θερμὴν καὶ διεγηγερμένην ψυχὴν ὁ δαίμων, ἄβατον αὐτῷ νομίσῃ λοιπὸν εἶναι τὴν διάνοιαν τὴν σήν. ἂν μὲν γὰρ ἴδῃ χασμώμενον καὶ ῥαθυμοῦντα· ὡς εἰς ἔρημον καταγώγιον ταχέως ἐπεισελεύσεται. ἂν δὲ συντεταμένον καὶ διεγηγερμένον, καὶ τῶν οὐρανῶν αὐτὴν ἐκκρεμάμενον· οὐδὲ ἀντιβλέψαι τολμήσει λοιπόν. ὥστε εἰ καὶ τῶν ἀδελφῶν καταφρονεῖς, ἀλλὰ σαυτοῦ φεῖσαι, καὶ τὴν κατὰ τῆς σῆς ψυχῆς εἴσοδον ἀπόφραξον τῷ πονηρῷ δαίμονι. οὐδὲν δὲ οὕτως αὐτοῦ τὴν καθ' ἡμῶν ἔφοδον ἀποτειχίζειν εἴωθεν, ὡς εὐχὴ καὶ δέησις ἐκτενής. καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο, τὰ παρακελεύεσθαι τὸν διάκονον ἅπασι, καὶ λέγειν· στῶμεν ὀρθοὶ, στῶμεν καλῶς· οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ εἰκῇ νενομοθέτηται. ἀλλ' ἵνα τοὺς χαμαὶ

* ὁμόσε.

συρομένους λογισμοὺς ἀνορθώσωμεν· ἵνα τὴν ἔκλυσιν τὴν ἐκ τῶν βιωτικῶν ἡμῖν γινομένην πραγμάτων ἐκβαλόντες, ὀρθὴν ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ ἀναστῆσαι δυνηθῶμεν ἡμῶν τὴν ψυχήν. καὶ ὅτι τοῦτο ἐστὶν ἀληθές, καὶ οὐχὶ πρὸς τὸ σῶμα, ἀλλὰ πρὸς τὴν ψυχὴν ὁ λόγος ἀποτείνεται, ταύτην κελεύων ἀνορθοῦν· ἀκούσωμεν καὶ Παύλου τοῦτον τὸν τρόπον ταύτῃ κεχρημένου τῇ λέξει. πρὸς γὰρ ἀνθρώπους καταπεπτωκότας, καὶ πρὸς τὴν τῶν δεινῶν *ἀπαγορεύσαντας γράφων, ἔλεγε· τὰς παρειμένας χεῖρας, καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε. τί οὖν ἂν εἴποιμεν; ὅτι περὶ χειρῶν καὶ γονάτων λέγει τῶν τοῦ σώματος; οὐδαμῶς. οὐ γὰρ δρομεῦσί τισιν ἀνθρώποις, οὐδὲ παγκρατιασταῖς διαλέγεται· ἀλλὰ τὴν ἰσχὺν τῶν ἔνδον λογισμῶν προκαταβεβλημένην ὑπὸ τῶν πειρασμῶν ἀναστῆσαι διὰ τῶν ῥημάτων τούτων παρήνεσεν. ἐννόησον, τίνος πλησίον ἕστηκας, μετὰ τίνων μέλλεις καλεῖν τὸν θεόν; μετὰ τῶν χερουβείμ. ἀναλόγισαι σὺ τοὺς συγχορευτάς· καὶ ἀρκέσει σοι τοῦτο εἰς νῆψιν. ὅταν ἐνθυμηθῇς, ὅτι σώματι περικείμενος, καὶ σαρκὶ συμπεπλεγμένος, μετὰ τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων κατηξιώθης ὑμνεῖν τὸν κοινὸν ἁπάντων δεσπότην. μηδεὶς τοίνυν διαλελυμένος τὴν προθυμίαν, τῶν ἱερῶν κοινωνείτω καὶ μυστικῶν ὕμνων ἐκείνων· μηδεὶς βιωτικοὺς κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἐχέτω λογισμούς· ἀλλὰ πάντα τὰ γήινα τῆς διανοίας ἐξορίσας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ὅλον ἑαυτὸν μεταθείς, ὡς αὐτοῦ πλησίον ἑστὼς τοῦ θρόνου τῆς δόξης, καὶ τῆς μεγαλωσύνης θεοῦ. διὰ τοῦτο καὶ ἑστάναι καλῶς κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν κελευόμεθα. τὸ γὰρ καλῶς ἑστάναι, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ' ἢ τὸ οὕτως ἑστάναι, ὡς προσῆκόν ἐστιν ἄνθρωπον ὄντα ἔμπροσθεν ἑστάναι θεοῦ, μετὰ φρίκης καὶ τρόμου, μετὰ νηφούσης καὶ ἐγηγερμένης ψυχῆς. ὅτι γὰρ πρὸς τὴν ψυχὴν καὶ αὕτη ἡ λέξις ἀποτείνεται· καὶ αὐτὸ τοῦτο πάλιν ὁ Παῦλος ἐδήλωσεν, εἰπών· οὕτω στήκετε ἐν κυρίῳ, ἀγαπητοί. καθάπερ γὰρ ὁ τοξότης, ἐὰν εὔστοχα μέλλῃ ἀφιέναι τὰ βέλη, πρότερον τῆς στάσεως ἐπιμελεῖται τῆς ἑαυτοῦ, καὶ καταντικρὺ τοῦ σκοποῦ μετὰ ἀκριβείας ἑαυτὸν στήσας, τῆς ἀφέσεως ἔχεται τῶν βελῶν· οὕτω καὶ σύ, μέλλων τοξεύειν τὴν πονηρὰν τοῦ διαβόλου κεφαλήν, τῆς στάσεως τῶν λογισμῶν ἐπιμελοῦ πρότερον, ἵνα ὀρθήν τινα καὶ ἀπαρεμπόδιστον κατὰ σαυτὸν στηρίξας τὴν στάσιν, εὔστοχα ἀφῇς κατ' ἐκείνου τὰ

* ἐφόρμησιν, aut simile, deest.

νυ τὰ βέλη. καὶ περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς ταῦτα. *Hoc est, Ad vsitatam adhortationem nostra redeat oratio. Qua nam, inquies, est illa? Vt precibus demus operam attentis & religiosis mente sobria animoq́; vigilanti. Nuper enim cùm de his ipsis verba fecissem, animaduerti vos omnes attentos & alacres ad me audiendum. Absurdum itaq́; & à ratione alienum esset me negligentes quidem & oscitantes reprehendere, eos autem, qui rectè sese gerunt, non laudare. Certum itaque mihi est, vos hodie laudare, vobisq́; pro attentione hac & obedientia vestra referre gratiam. Gratia autem hæc mea erit, vt vos doceã, quare precatio hæc solennis ante alia celebretur, & cur Diaconus tempore illo à Dæmonibus obsessos & furore correptos & agitatos introducat, eosq́; capita sua inclinare ac deorsum iubeat demittere. Cur, quærat non nemo hæc, ab illo fiunt? Vinculum profectò atq́; catena grauis, dira & funesta est Dæmonum ἐνέργεια, id est, operatio in obsessis, quouis ferro robustior atq́; validior. Quemadmodum igitur iudice aliquo in forum progrediente, & in sublimi considente tribunali carceris custodes captiuos omnes è carcere eductos ante cancellos, & vela tribunalis sistunt squallidos sordidatos, barba atq́; capillis promissis, laceris indutos vestibus: sic etiam Patres sanxerunt, vt eo tempore, quo Christus quasi tribunal suum sublime & excelsum est conscensurus & in ipsis mysterijs est appariturus, Dæmoniaci siue à Dæmonibus obsessi & agitati introducãtur, non quidem, vt, quemadmodum vincti illi, causam dicant, ac rei peragantur suppliciaq́; subeant, sed vt ab vniuerso populo atq́; ciuitate præsente preces pro ijs fiant, cunctis simul vna mente communem Dominum magna oris ac pectoris contentione deprecantibus, vt eorum misereatur, ijsq́; sit propitius. Antea igitur eos meritò reprehendimus & obiurgauimus, qui neglecta contemptaq́; communi hac supplicatione tempore illo extra templum vagãtur. Nunc verò eos volo castigare, qui in templo quidem manent, sed nihilo meliùs sunt animati ijs, qui foris sunt: quippe cùm tremendo illo tempore sermones inter sese conferant & confabulentur. Quid agis, o homo? Quæ tua hæc est mens? Tan-*

tam vides ex fratribus tuis captiuorum multitudinem, qui Diaboli vinculis constricti tenentur, & tu nulla habita eorum ratione, nulla tactus eorum commiseratione, de rebus nugaris nihil ad rem & instituturn præsens pertinentibus? Annon vel solus aspectus istorum tristis ac miserandus te terrere, & ad misericordiam commouere debet? Frater ecce tuus diris detinetur vinculis, & tu securitati indulges atq; socordiæ? Quam quæso speras te à Deo impetraturum gratiam atq; veniam, cùm adeò sis ferus, inhumanus omnisq; misericordiæ expers? Annon times, ne dum tu garris, & securitati socordiæq; vacas, Dæmon inde aliquis exiliens in animam repentè tuam, tanquā in domum vacuam, scopis versam & purgatam, apertam reperiens impetum faciat, irruat & ingrediatur? Annon omnes nos quasi fontes lacrymarum illa hora profundere, oculosque lacrymis planè habere madidos, gemitus, suspiria, planctus, eiulatus atq; lamenta à cuncta Ecclesia fieri decet, quòd post mysteriorum communionem cum Christo immanis ille lupus agnos ex grege potuit abripere, eosq; in manu potestateq; sua detinet? Tu igitur qui vides istam calamitatem, & non lacrymaris, qua nam quæso vti poteris excusatione? Quòd si nulla fratris tui commiseratione tangeris, fac saltem pro ipsius salute preceris atq; surgas. Annon si vicini tui domum videres ardere, etiamsi capitales tibi cum illo intercederent inimicitiæ: tamen maxima celeritate ad ignem illum restinguendum aduolares, ne ille longius serpens tuum quoq; vestibulum inuaderet? Idem fac de Dæmoniacis istis cogites. Nam quid quæso ista Dæmonum ἐνέργεια, id est, vis & operatio in obsessis est aliud quàm rogus, quàm incendium quoddam triste, dirum & funestum? Vide igitur ne Dæmon longius progrediens tuam quoque domum inuadat atque corripiat. Quando igitur illum vides præsentem, omni studio atque contentione ad Dominum confugias, vt dæmon, postquam animum tuum viderit excitatum, & vigilantem, omnem nouerit sibi posthac ad mentem cogitationemque tuam aditum planè esse interclusum. Nam si te viderit

derit oscitantem, securum atque socordem, confestim te, tanquam receptaculum & diuersorium desertum inuadet, & occupabit. Sin verò te animaduerterit attentum, impigrum, vigilem, & ab ipsis pendentem cœlis, te missum faciet, ac ne intueri quidem te posthac audebit. Quod si igitur fratres tuos contemnis; tuæ saltem ipsius salutis fac rationem ducas, animumque tuum aduersus maligni maleficique istius Dæmonis impetum præmunias & obsepias. Nullum autem aduersus eius vim & impetum munimentum ac propugnaculum est validius, quàm assidua ardensque precatio. Quamobrem illa ipsa Diaconi admonitio his verbis fieri solita, στῶμεν ὀρθοὶ, στῶμεν καλῶς, id est, stemus recti, stemus pulchrè & benè; non temerè, ac sine graui causa sancita est ac instituta. Eius autem hæc vis est atque sensus, vt cogitationem nostram humi quasi repentem ac voluntatem sursum tollamus, animumque nostrum quasi incuruatum depressum & abiectum propter rerum ad hanc vitam pertinentium curam atque sollicitudinem excitare, erigere, & coram ipso Domino sistere valeamus. Quò meliùs autem intelligamus, veram hanc esse admonitionem, & non ad corpus, sed ad animum potius, de illo nimium tollendo & erigendo pertinere, ipsum audiamus Paulum, qui simili vsus est oratione. Nam ad homines lapsos & propter malorum vim atque molem quasi desperabundos scribens ait: Remissas manus & genua dissoluta erigite. Quid enim? Putatisne illum loqui de manibus & genibus? Minime. Non enim ad cursores vel pugiles verba facit. Sed cogitationum internarum vim atque robur tentationum impetu prostratum & abiectum his verbis iubet excitare. Cogita quæso prope quos tu stes, quibuscum Deum inuoces, quosque habeas chori huius socios, nempe Cherubinos; id quod te meritò ad sobrietatem debet incitare, quando nimirum etiam atque etiam cogitabis, te corpore indutum & carne inuolutum ad eam dignitatem esse erectum, vt cum incorporeis illis

potestatibus communem omnium Dominum hymnis celebres. Nemo igitur animo dissoluto ac negligente sacris ac mysticis illis hymnis operetur; nemo terrenis atque prophanis illo tempore cogitationibus indulgeat atque vacet. Sed terrenis cogitationibus omnibus eiectis ex animo tuo & ad cælum mente cogitationeq; tua conuersus, tanquam astans prope thronum gloriæ & maiestatis diuinæ, iuberis rectè & pulchrè stare. Nã quid est quæso aliud rectè & pulchrè stare, quàm ita stare coram Deo, vt par est, cum timore atque tremore atque animo sobrio ac vigilante? Nam verba hæc ad animum esse referenda ipsemet Paulus alio in loco his verbis declarauit: sic state in Domino dilecti. Nam quemadmodum sagittarius siue iaculator vt benè iaculetur, scopumq; attingat, de statione primum est sollicitus, vt rectè stans è regione scopi telum deinde emittat: Sic tu quoq; malignum Diaboli caput petiturus, da primum operam vt mentis cogitationisq; tuæ statio sit certa firma atq; stabilis, vt ita sine errore benè certoq; tela tua in eum dirigas et emittas. Et hæc de precib.

Angeli adfuerunt Apostolo Petro. Actor. 12

Sed & Petrus Apostolus hæc angelica ministeria optimè est expertus. Nam cùm à Rege Herode propter Euangelij prædicationem in carcerem atq; vincula fuisset coniectus, & quidem arctißima militum custodia contineretur: ita vt nulla inde euadendi spes esset reliqua; illa ipsa nocte, cùm crastino die ad supplicium esset ducendus, ei dormienti inter duos milites duabus catenis constricto, custodibus ianuam diligenter custodientibus Angelus Domini adfuit, lumine in toto habitaculo refulgente, & catenis ferreis sponte decidentibus. Deinde eum ex somno excitatum, pallio indutum per medios custodes, perq; portas, quarum postrema fuit ferrea, eduxit. Vnde cum Angelus ab eo discessisset, & ipse ad se redijsset, dixit: Nunc verè noui Dominum misisse Angelum suum, qui me eripuit atq; liberauit ex manu Herodis. *Idem Angelus postea Herodem tyrannum regia indutum veste & in suggestu magnificè concionantem & diuinam sibi arrogantem gloriam percußit: ita vt vermiculari morbo correptus miserrimè interierit. Ex hac quoque historia*

eximia

eximia manifestissimè constat, Angelos Dei imperio atque iussu, piorum quidem esse liberatores: impiorum autem vltores ac punitores potentissimos. Multa hic hominum Christianorū exempla possent proferri, qui à Deo per Angelos mirificè ex multis carceribus atque custodijs, & infinitis mortis periculis mirificè fuerunt erepti, cùm contra grauissimi & sæuissimi ipsorum hostes miserrimè interierint.

Quid dicam de Paulo Apostolo, electo illo Dei organo, qui in illis innumeris, quæ pro Christo subijt, mortis periculis hanc angelicam præsentiam, custodiam atque tutelam sæpissimè expertus est? Cui Angelus primùm in forma viri Macedonis apparuit, Act. 16, eumque rogauit, vt profectus in Macedoniam Macedonibus succurreret, Euangelium scilicet illis prædicando, & salutis viam patefaciendo. Deinde cùm in nauigatione Italica esset Apostolus, & naufragium cum reliquis vectoribus suis, qui erant 270. esset facturus, Angelus Domini ipsum, vt ipsemet testatur, admonuit, quòd vnà cum nauigationis socijs omnibus saluus & incolumis inde esset euasurus. Id quod etiam accidit. Quòd autem Angeli illius se esse testatur seruum siue clientem, eique se λατρεύειν, id est, seruire, inde videtur colligi posse, hūc Angelum fuisse Christum, cùm nulli creaturæ λατρεία debeatur. Angeli Paulo adfuerūt Act. 16.

Idem hic Apostolus Angelorum cùm naturam, tùm officium breuiter quidem, sed plenè complexus est his verbis, dum illos definiuit spiritus administratorios, in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Idem in eadem epistola pluribus de Angelis disserens, docet Christum Angelis longè superiorem: etsi secundum humiliationem carnis illis aliquantò factus sit inferior. Sic Petrus quoque Christum, profectum in cœlum, dicit sedere in dextera Dei, subiectis ei Angelis & potestatibus & virtutibus. Ac rursus Paulus ab Angelorum superstitioso cultu nos dehortatur. Testimonia Pauli de officio Angelorum Heb. 1. et 2. 1. Pet 3. Col. 2.

Iudas quoque Thaddæus Apostolus in epistola sua, cùm bonorum, tùm malorum Angelorum luculentam mentionem facit. Quantum ad malos Angelos et Apostatas illos, ait, Dominum illos, qui, non seruata sua origine, reliquerant suum domicilium, iudicio magni Testimonium Iudæ Thaddæi de Angelis.

illius diei vinculis æternis sub caligine reseruasse. Deinde Archangeli Michaelis facit mentionem, quem ait, cùm aduersus Diabolum certans disceptaret de corpore Mosis, non ausum fuisse impingere notam maledicti, sed dixisse: Increpet te Dominus. Vt autem Michael Archangelus pro Mosis corpore cum Diabolo dicitur pugnasse, ita Angeli omnes cùm corpora, cùm animas nostras tuentur aduersus Diabol perennis & capitalis nostri hostis vim & impetum. Quod verò Angelus nolebat sciri, vbi nam Mosis corpus esset, ne forte adoraretur: inde colligimus, bonorum Angelorum officium esse curare, vt omnis idololatriæ & cultus reliquiarii occasio præcidatur. Nam huius quidem rei causa, vt interpretes nonnulli exponunt, ne sepulchrum Mosis, quod Diabolus conabatur, in apricum proferretur, hæc inter Michaelem & Diabolum pugna fuerat oborta.

Postremò addit Apostolus, Dominum venturum cum sanctis millibus suis (Angelis) vt faciat iudicium aduersus omnes.

Angelis præ aliis familiarissimè vsus est Iohannes Apostolus.

Verùm præ cæteris Apostolis omnibus Iohannes, qui Christo percharus & iucundus fuit, Angelis familiarissimè vsus est (vt olim præ omnibus Prophetis Daniel) sicuti Apocalypseos liber abundè id testatur. Ex illis enim statim initio constat, Christum Angeli opera ac ministerio vsum esse ad mysteria illa, quæ in illo libro continentur, Iohanni discipulo & Apostolo suo charissimo in insula Pathmo Domitiani temporibus reuelanda & patefacienda, quem cùm semel atque iterum Iohannes honoris & gratitudinis ergò adorare voluisset, Angelus honorem illum, tanquam soli Deo debitum, detrectauit, & Iohannem ad Deum solum adorandum grauissimè est adhortatus. Liquidò etiam ex toto hoc Apocalypseos libro constat, Angelos fidelissimos Dei Ecclesiæque ministros, indefesso perpetuoque studio Deum quidem Christumque διηνεκῶς contemplari atque laudare, Ecclesiam autem eiusque membra, id est, pios & fideles aduersus omnes magni illius Draconis, id est, Diaboli & portentosæ illius bestiæ atque meretricis, id est, Antichristi, mundi denique & tyrannorum insidias

insidias, technas, fraudes, vim atque impetum tueri & defendere.

In Christi deniq; & Ecclesiæ hostes visibiles & inuisibiles vltionem atq; vindictam diuinam sibi à Deo mandatam exerere & exercere.

Obseruandum tamen est per Angelos, qui creberrimè in tota hac Apocalypsi introducuntur, aliquando intelligi Christum, Angelum illum magni consilij atq; fœderis: aliquando Angelos bonos Christi, Ecclesiæq; ministros: aliquando Angelos & spiritus impuros & malos: aliquando Ecclesiæ ministros verbiq; diuini præcones, qui cùm ob doctrinæ splendorem, cùm vitæ morumq; puritatem & stellæ & Angeli appellantur: aliquando etiam hæreticos et doctores falsos atq; fucatos intelligi.

Est autem tota hæc Apocalypsis nihil aliud, quàm, vt vno verbo dicam, clara & illustris quædam cùm Christi, eius personæ, naturarum diuinæ & humanæ, officij sacerdotalis, regij iudiciarijq;, tùm Ecclesiæ, & in hoc mundo militantis, & in cœlo triumphantis: tùm deniq; Diaboli, Antichristi & omnium cùm visibilium, tùm inuisibilium Christi Ecclesiæq; hostium, descriptio quasiq; pictura. Quiuis ergo Christianus in hac & Christi, & Ecclesiæ, & Antichristi Apocalypsi seu patefactione animo cogitationeq; sua defixus ad illa Christi reuelantis verba, quæ sub finē ponuntur: ναὶ ἔρχομαι ταχὺ ἀμήν, Etiam venio citò Amen, *cum Iohanne, cui hæc fuerunt à Christo per Angelum reuelata, toto pectore assiduè precabitur:* ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ, *id est*, Ita sanè, Veni Domine Iesu.

Postremò lubet hîc ijs, quæ de Angelorum officio ex veteri & nouo testamento proposuimus, subiungere ea, quæ Augustinus de eodem planè pleneq; disserit, cap. 27. Soliloquiorum Animæ ad Deum: Dilexisti enim, *inquit*, me amice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me, omnibus creaturis tuis præposuisti me: quam dignitatem tunc quidem seruo, cùm nouerim te propter quem fecisti me. Testimoniū luculentissimū August. de Angelorū officio.

Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, vt custodiant me in omnibus vijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis nouæ tuæ Hierusalem & montes in circuitu eius vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat, vt leo, animas nostras, dùm non esset, qui eriperet, ille antiquus Serpens, aduersarius noster Diabolus, qui quasi leo rugiens semper circuit quærens, quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus vijs suis, confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciues suos per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, solliciti discurrentes inter nos & te, Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te: vt impetrent nobis facilem benignitatis tuæ propitiationem & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio prauæ nationis conseruemur: quantoque studio & desiderio quæramus regnum Dei & iustitiam eius, quantoque timore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis & eius cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis erga nos. Et hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis,

qua

qua dilexisti nos. Diligunt enim, quos tu diligis: custodiũt, quos tu custodis: deserunt, quos tu deseris, nec diligunt operantes iniquitatem: quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus, gaudent Angeli, & tristantur Dæmones. Quoties à bono deuiamus, Diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente: sed Diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. *Atque hactenus Augustinus.*

ETsi verò nos Christiani sacris edocti literis persuasum exploratumq; habemus maximam Cœlitum horum præstantissimorum apud Deum esse gratiam, incredibilem illorum esse potestatem atq; robur, summam dignitatem, vt qui Deo semper astant, singularem erga genus humanum charitatem, pro qua Dei ipsius iussu atq; mandato fidelissimè hominum saluti & animæ & corporis inuigilant atq; consulunt, illam contra quosuis Dæmonum atq; hominum insultus tuentur atq; defendunt, pro illa Deum deprecantur, hominum vota precesq; ad Deum deferunt: tamẽ nequaquam nobis persuaderi patiamur, vt illos Gentilium exemplo, more atq; ritu Deorum loco habendos & diuinis honoribus afficiendos, religiosoq; cultu colendos esse arbitremur. Non igitur in Angelis, sed in solo Deo omnem salutis nostræ cùm temporalis, tùm æternæ spem reponamus secundum illa S. Augustini verba lib. 6. de Ciu. Dei, c. 30. Quamuis propter aliquas causas hominibus Angelos mittat, & multa per Angelos agat Deus, non tamen ex Angelis homines, sed ex seipso, sicut Angelos beatificat. Ab hoc vno & vero Deo vitam speramus æternam. *Non igitur in Angelos, sed in solum Deum, & eum, quem misit Iesum Christum Immanuelem, siue θεάνθρωπον, vnicum Dei hominumq; mediatorem, generis humani redemtorem & seruatorem credimus, non Angelos, sed solum Deum per Christum vnicum mediatorem & aduocatum nostrum inuocamus & adoramus. Hoc*

Sequitur tractatus de vero & falso cultu Angelorũ.

Angelos non esse ad orandos probatur primùm ab exemplo Christi.

etenim nouimus ex ipsius S. spiritus oraculis, & Dei, & Christi, & ipsorum Angelorum, & deniq; Patrum primitiuæ Ecclesiæ voluntati atq; sententiæ esse consentaneum. Nam primùm quidem Christus ipse cùm ab impuro & immundo illo spiritu atq; Angelo, hoc est; à Satana (qui mos est malorum Angelorum) tentatus, atq; ad ipsius adorationem cultumq; religiosum sollicitatus fuisset, Christus contra illum ex lege Dei ita pronuntiauit Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Atqui constat præcipuam cultus diuini religionisq; partem atq; adeò neruũ esse inuocationem. Vnde ipsum Inuocationis nomen sæpè pro toto cultu diuino vsurpatur, secundum illa Pauli verba Rom. 10. Quicunq; inuocauerit no-

Ab exemplo Dauidis.

men Domini saluus erit. Quamobrem Dauid, qui de Angelorum præstantia, dignitate, munere, officio, & custodia egregia multa cecinit Psal. 19. & 104. quiq; Angelis familiarißimè est vsus, illorum fidam custodiam atq; tutelam in plurimis grauißimis suis ærumnis atq; periculis sæpißimè est expertus: nunquam tamen in toto illo aureo Psalmorũ atq; precum 150. libro legitur, Angelorum aliquem inuocasse, sed solum Deum: ad illum, inquam, solum omnes illi Psalmi atq; preces diriguntur.

Ab exemplo reliquorum sanctorum.

Hoc exemplum secuti sunt omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & sanctißimi quiq; homines, qui etsi Angelorum familiaritate, consuetudine, amicitia, opera, consolatione, institutione, admonitione & beneficentia multiplici sæpè vsi fuerunt: tamen non Angelos, sed solum Dominum atq; principem Angelorũ inuocandum sibi & adorandum esse duxerunt, & ad illum vota precesq; suas fuderunt.

Quin etiam ipsis Apostolorum temporibus ἀγγελολατρεία, siue, vt Pauli verbis vtar, ἀγγελοθρησκεία, hoc est, Angelorum religiosus seu superstitiosus potiùs cultus, maximoperè culpatus atq; damnatus fuit: id quod ex fidißima illa D. Pauli admonitione, qua omnes Christianos ab illo cultu dehortatur, satis superq; apparet: quamuis in hac ipsa Colossensium ciuitate (quæ Cona postea dicta est) Michaëli Archangelo & templa & sacra quædam instituta fuisse legimus, teste Oecumenio. Huc ac-

Huc accedit ipsorumet Angelorum auctoritas, qui, si aliquando sancti homines, quibus illi apparuerunt, & inseruierunt, timore correpti, imprudentia quadam, aut peruerso præposteroq́ quodã zelo illos adorare fuerunt conati, magna statim contentione grauitateq́ pro singulari sua erga Deum & ipsos homines charitate, hunc illorum conatum, tanquam idololatricum represserunt, illosq́ ad Deum solum adorandum incitarunt. Sic etenim exempli gratia, Angelus ille Iud. 13. qui Manohæ iudici apparuit, non sibi, sed Iehouæ holocaustum offerri iussit: quo monemur, nos vitulos labiorum nostrorum, hoc est, preces votaq́ nostra (quo nullum Deo gratius & iucundius est sacrificium) non Angelis, sed soli Deo debere offerre. Ab auctoritate Angelorum.

Sed vel vnicus ille Apocal. liber, qui Angelicis visionibus & apparitionibus abundat, satis superq́ docet, Angelos nolle se ab hominibus adorari, & diuinis affici honoribus. Nam cùm S. Iohan. in angelicarũ huiusmodi visionũ palæstra optimè exercitatus Angelũ illum, per quẽ Christus illi maxima illa mysteria aperuerat, nescio qua religione, improuiso illius aspectu motus, flexis genibus semel atq́ iterum adorare voluisset, grauiter ab Angelo reprehensus fuit his verbis: Vide ne feceris. Cõseruus enim tuus sum, & fratrũ tuorum Prophetarũ, & eorũ, qui habent testimoniũ Iesu, & seruãt verba prophetiæ libri huius. Deum adora. *Grauis hæc & solida est ratio, qua illũ à sui inuocatione auocat. Q. d. Solus omniũ Dominus adorandus est à seruis suis, non aũt conseruus à conseruis. Atqui ego non sum dominus, sed conseruus tuus. Quare non sum à te adorandus. Sancti ergo Angeli, qua sunt modestia, humilitate, pietate & charitate erga Deum atq́ homines, diuinos honores nequaquã sibi deferri volunt, sed illos respuunt & aspernantur. Non etenim honoris, sed ignominiæ atq́ dedecoris loco ducunt: quando honorem cultumq́ soli Deo debitũ homines ad ipsos conantur transferre: id quod clarißimis verbis sunt testati. Quod si igitur Angelos honorare volumus, vt certè debemus, obtemperemus his illorum præceptis atque monitis fidelißimis, nempe vt non ipsos, sed Deum, quem etiã ipsi adorant, adoremus & inuocemus solum.* A testimonio totius libri Apocalypseos.

Ab auctoritate & consensu Patrũ Ecclesię primitiuæ.

Huc accedit Patrum primitiuæ Ecclesiæ auctoritas & consensus. Lactantius, *qui Constantini Imp. ætate vixit, ait Instit. lib. 2. cap. 7. Angelos bonos, vt non patiuntur se vocari Deos: sic neq; honorem, qui soli Deo debetur, sibi permittere: malos verò spiritus vtrunq; ab hominibus exigere.*

1. Lactantij

Neq; Angeli, *inquit*, cùm sint immortales, dici se Deos aut patiuntur aut volunt: quorum vnum solumq; officium est seruire nutibus Dei. Itaq; nullum sibi tribui honorem volunt: quorum honor in Deo est: Illi autem qui desciuerunt à Dei ministerio: quia sunt veritatis inimici & præuaricatores, Dei nomen sibi & cultum Deorum vendicare conantur.

2. Augustini

Augustinus *similiter hunc Angelorum cultum improbat lib. de vera relig. cap. 55. Sic enim ille primùm de sanctis hac vita functis scribit:* Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, vbicunq; sunt, non sunt colendi. *Postea de Angelis subdit:* Hoc etiam optimos ipsos Angelos & excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neq; enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos & his congratulamur. Nec inuidemus, quòd eò paratiores vel nullis molestijs impedientibus ea perfruuntur, sed magis eos diligimus: quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim sic se honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaq; scribitur, hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret: sed

vnum

vnum Deum, ſub quo eſſet & ille conſeruus. *Deinceps docet hoc proprium eſſe Diabolorum, quærere ſe adorari & coli.*

Idem Confeſſ. lib. 10. cap. 42. Quem, *inquit*, inuenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? qua prece? quibus ſacramentis? Multi conantes ad te redire, neq; per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentauerunt hęc: & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum: & digni habiti ſunt illuſionibus. Diabolus enim erat transfigurans ſe in Angelum lucis, &c. *Et cap. ſequenti:* Verus autem Mediator, quem ſecreta tua miſericordia demonſtraſti humilibus, homo Chriſtus IESVS, inter mortales peccatores & immortalium iuſtus apparuit. Merito mihi ſpes valida eſt in illo, quòd ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis: alioquin deſperarem, &c. *Docet ſolum Chriſtum interceſſorem eſſe omnium eoq; ſolum Deum per vnicum Ieſum Chriſtum eſſe inuocandum.*

Idem Lib. 10. de Ciuit. Dei. cap. 7, Merito illi, *inquit*, in cœleſtibus ſedibus conſtituti, immortales & beati, qui creatoris ſui participatione congaudent (cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere ſancti ſunt) quoniam nos mortales & miſeros, vt immortales beatiq; ſimus, miſericorditer diligunt: nolunt nos ſibi ſacrificare: ſed ei, cuius & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe nouerunt. Cum ipſis enim ſumus vna ciuitas, &c. *His ergo verbis docet Auguſt. Angelos nolle ſibi ſacrificium vllum offerri, ſed ſoli Deo. Eadem fuſiſſimè tradit eodem lib. cap. 16. quorum ſumma eſt:* Eos, qui ſibi petunt ſacrificari, non eſſe Angelos bonos, ſed malos & Diabolos. *Idem lib. 20. cap. 21. contra Fauſtum Manich.* Ipſi ſancti, vel homines vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & in Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Licaonij illis,

tanquam Dijs immolare voluerunt. Conscissis enim vestimentis suis, cōfitentes & persuadentes eis se Deos nō esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, sicut etiam in Apocal. legimus Angelum se adorari prohibentem ac dicentem adoratori suo: Conseruus tuus sum, &c. ista sibi planè superbi spiritus exigunt, Diabolus & Angeli eius: sicut per omnia templa & sacra gentilium.

Idem contra Maxim. Arianum Episcopum lib. 1. Nonne si templum, *inquit*, alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei: quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantùm debetur Deo? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturę, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?

Idem in Psal. 96. in illum versum: Confundentur omnes, qui adorant sculptilia, *egregiè explicat hanc doctrinam, & dehortatur nos à cultu cùm sanctorum hominum, tum beatorum Angelorum: ac dicit,* Angelos bonos, quia milites sunt, non quærere gloriam, nisi imperatoris sui. Diabolum autem & eius Angelos arrogare sibi honorem diuinum: *& concludit ex Angeli sententia in Apocal. illum solum esse adorandum, qui fecit cælum & terram.*

Idem de hæresib. ad Quod vult Deum hæresi 19. inter Hæreticos commemorat eos, qui in cultu Angelorum occupantur, eosque Hæreticos Angelicos vocat.

Idem de Pastoribus cap. 8. in illa verba Psal. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniret auxilium meum. Et vide, *inquit*, quia non in montibus tibi spes est. Auxilium, *inquit*, meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Noli putare iniuriam te facere montibus sanctis, quando dixeris, Auxilium

xilium meum à Domino, &c. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat. Audio schismata in vobis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi, Leua oculos in istum montem, audi quid dicat, & in ipso remaneas. Nunquid Paulus est crucifixus pro vobis? Ergo postquàm leuaueris oculos tuos in montes, vnde venit auxilium tibi, id est, in auctores scripturarum diuinarum. Attende omnibus medullis tuis, omnibus ossibus tuis clamantẽ: Domine quis similis tibi? Vt securus sine vlla iniuria montiũ dicas: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Non solùm tibi tunc non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis fauebunt. Si in ipsis spem tuam posueris, magis contristabuntur. Angelus multa miracula diuina ostendens homini, ab homine adorabatur, tanquam leuante oculos in montem, ait ille reuocans eum ad Dominum: Noli, *inquit*, facere Deum adora. Nam ego conseruus tuus sum, & fratrum tuorum.

Irenæus Hæreticos olim Angelorum inuocationibus vsos fuisse testatur lib.1.c.23. Et cap. 22. ponit formulam huiusmodi inuocationis: O Angele te oro, &c. *His verò Angelorum inuocationibus quibus vtebantur Hæretici, idem pater deinde opponit Ecclesiæ Catholicæ iudicium & consuetudinem, lib.2. cap. 38.* Ecclesia, *inquit*, per vniuersum mundum varias gratias à Deo accipiens in nomine Christi perficit: Non inuocationibus angelicis faciens aliquid, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigens ad Deum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi. 3. Irenæl.

Theodoretus explicans illud Pauli Coloss. 2. In humilitate & religione Angelorum, *inquit*, Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, fuisse legem per eos datã. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus, quæ conuenit Lao- 4. Theodo.

dicex, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vsq; diem, licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, vtiq; humilitate vtentes, dicentes vniuersorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perueniri, & oportere per Angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare. Et hoc est quod Paulus dicit: In humilitate & cultu Angelorum. Hoc autem (in ijs, quæ non vidit incedens) pro eo, quod est proprijs rationibus & cogitatis vtens. *Idem repetit in 3. caput*: Præcipit Paulus, vt Deo Patri gratiarum actionem emittant per Christum, non per Angelos. Hanc etiam legem sequens Laodicæa Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, cauit ne precaretur Angelos & ne relinquerent Christum.

Idem de Græcorum affectionum curatione, Ser. 11. aduersus Græcos infideles eorum de Angelis, Dijs & Dæmonibus obiectioni, qua Dæmonum & Deorum suorum venerationem excusare volebant, eò quòd Christiani quoq; crederent esse Spiritus quosdam & potestates inuisibiles, sic respondet: Equidem confiteor nos sacris edoctos monumentis credere esse potestates quasdam, quæ oculis videri nequeant quæ hymnis Creatorem celebrent, & diuinæ eius voluntati inseruiant. οὐ μὴν θεοὺς τούτους νομίζομεν, (*& vt idem in epitome dogmatum diuinorum ait*, θεοποιοῦμεν) οὐδὲ θεῶν αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας, οὐδὲ μερίζομεν εἰς τὸν (ὄντως) ὄντα θεὸν καὶ τούτους τὴν θείαν προσκύνησιν: ἀλλὰ τούτους τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δὲ εἶναι φαμὲν, *id est*, Neq; verò hos esse Deos asserimus, neq; diuinum illis tribuimus cultum & honorem, neq; adorationem, quæ soli Deo debetur, Deo & Angelis ex æquo partimur, sed illorũ hos, hominibus quidem dignitate præstantiores, conseruos esse arbitramur.

9. Chrysost. *Chrysostomus de Ascensione Dom. Serm. 25. inquit*, Disce, quod non nostra deprecatione, qui eum offenderamus sed postulatu

stulatu Christi, qui iustè nobis fuerat iratus, pax facta est. Pro Christo nanque ait legatione fungimur, tanquam Deo regnante per nos. Quid hoc est? Ipse rogat, qui iniuriam passus est? Valde, inquit. Nam Deus clemens & ipse: tanquam pater misericors deprecatur. Et vide, qui medicus, qui reconciliator accessit: non Angelus, non Archangelus, sed ipse filius deprecatur. Et sicut duobus iurgio separatis, vnus in medio positus altercantiũ litem discordiamque soluit: ita & Christus fecit.

Idem Pater multis in locis non nobis aduocatis & intercessoribus opus esse vel Angelis, vel hominibus docet, vt nobis aditus ad Deum pateat, vt Homil: de profectu Euangelij: Hom.4. de pœnitentia. Hom.12. de muliere Cananæa. Hom.5. in 1. cap. Matth. & in 23. Hom.45. Vnde in epist. ad Hebr. cap.1. Hom.3. reprehendit eos, qui Angelos suspiciunt, colunt & inuocant, cùm nostri sint conserui & spiritus ministratorij.

Sic Ambrosius in Comment. epist. ad Rom. Solent, *inquit*, misera vti excusatione, dicentes: Per istos posse iri ad Deum, sicut per comites ad Regem. Age, nunquid tàm demens est aliquis aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regis vendicet comiti, cùm hac de re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis? Et isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino cõseruos adorant, quasi sit aliquid plus, quod seruitur Deo? Nam & ideò ad Regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique Rex, & nescit quibus debeat Remp. credere Ad Deum autem, quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit, promerendum, suffragatore non est opus, sed mente deuota. *Hæc Ambrosius.* 6. Ambrosij.

Quamobrem quiuis homo Christianus his rationibus & auctoritatibus grauißimis motus & edoctus non Angelos, non sanctos, qui in cælis viuunt, sed solùm Deum cæli terræque creatorem omnium An-

gelorum & sanctorum principem per solum mediatorem vnicum, quouis tempore, vel diurno, vel nocturno, vel secundo, vel aduerso adorabit & inuocabit: idq; secundum ipsius Dei, Christi, Prophetarum, Apostolorum Angelorumq; voluntatem, præcepta, monita & exempla. Nam quando Deus vetat in suo verbo, ne exercitus cœli adoremus, non modò Solis, Lunæ aliarumq; stellarum, sed Angelorum quoque, qui Dei sunt exercitus, cœliq; stellæ splendidißimæ, adorationem prohibet. Quòd autem in veteri præsertim testamento legimus, adoratos fuisse Angelos, sciendum est illis in locis, vel per Angelum intelligi Filium Dei, vel adorationem non religiosam, sed ciuilem & politicam, qua Reges legimus fuisse cultos. Atq; ita homo Christianus etsi à superstitiosa Angelorum inuocatione, adoratione cultuq; abhorret, tamen libentißimè iisdem defert & exhibet eum honorem, qui illis debetur. Non igitur fide atq; fiducia, non votis, precibus, inuocatione & supplicatione, non templis, sacellis & altaribus, non simulachris atq; statuis, non thure & thymiamate, nō vestibus anathematis & donarijs pretiosis, non peregrinationibus Angelos colendos esse arbitratur, sed eo modo, quo & Deus illos vult coli, & ipsimet se cupiunt honorari.

Quomodo in vet. test. adorati fuisse dicantur Angeli.

Hic verò honos atq; cultus Angelis tribuendus in his ferè consistit: nempe primùm vt piè & honorificè de ijs & sentiamus & loquamur. Deinde vt & eorum monitis atq; præceptis fidem adhibeamus & obtemperemus: tùm vt illos amemus & reuereamur. Postremò, vt illorum virtutes imitemur.

Quomodo Angeli honorandi & colēdi, nēpe vt primū de ijs rectè sentiamus.

Primùm igitur Christiani homines Angelos sibi colendos esse ducent, rectè, verè, honorificè, sobriè, modestè sacrisq; literis conuenienter & consentaneè de illis sentiendo, iudicando & loquendo: ita vt nec nimiū illis tribuant, quàm illis tribuendū esse sacræ literæ docent, nec eos nimium eleuent & contemnant, vel etiam omnino ex rerum natura opinione sua tollant: quin potius errores & opiniones aliorum sacris literis contrarias culpent atq; damnent. Inter quas sunt

Saddu-

Sadducæorum & Epicuræorum deliria atque somnia, qui neque Angelum, neq; spiritum vllum esse dicebant. Act. 23. sed saltem phantasmata atq; spectra quædam inania esse credebant, vel affectus motusq; animorum. Hæc inquam execrabuntur omnes Christiani, & credent secundum scripturæ sacræ auctoritatem, & firmas solidasq; rationes, quæ inde promuntur, Angelos esse substantias seu res verè subsistentes, siue ὑφιστάμενα, atq; substantias quidem non corporeas, sed spirituales, ἀΰλους καὶ ἀσωμάτους, id est, materiæ molisq; corporeæ expertes. Rursus credent, spiritus esse creatos, iuxta illud Psal. 104. & quidem administratores, Dei hominumq; seruos & conseruos: & idcirco nequaquam diuinis esse colendos honoribus.

Cæterum de reliquis, de quibus sacræ literæ silent, non curiosè nimis & subtiliter nobis inquirendum & scrutandum esse arbitrabimur: vt de tempore, quo sunt conditi, Angelos non credent esse æternos, siue substantias æternas, quæ Peripateticorum fuit opinio. Quod autem Moses de productione & creatione eorum in descriptione sua rerum creatarum nihil scribit, Sanctus Athanasius in Quæstione ad Antiochenum testatur, factum esse de industria, nimirum ob procliuitatem hominum ad idololatriam.

Augustinus de incarnatione verbi capite sexto, Constat, *inquit*, esse Angelos Dei quasdam virtutes bonas: qui ei ministrant ad consummandam hominum salutem, sed quando illi creati sint, aut quales, aut quomodo, non satis manifestè distinguitur.

Idem libro vndecimo de Ciuitate Dei, capite nono: Vbi de mundi constitutione sacræ literæ loquuntur, non euidenter dicitur, vtrum vel quo ordine creati sint Angeli, sed si prætermissi non sunt, vel cœli nomine, vbi dictum est, in principio creauit Deus cœlum & terram, vel potiùs lucis huius, de qua loquor, significati sunt.

Quod ad hierarchias, ordines & distinctiones Angelorum attinet, contentus sit homo Christianus humili modestaq; illa S. Augustini sententia: qua vtinam omnes Christiani essent contenti. Ea in Enchiridio ad Laur. cap. 58. sic habet: Quomodo autem se habeat beatissima illa & suprema societas, quæ ibi sint differentiæ personarum: vt cùm omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur: sint tamen illic Archangeli: & vtrum ijdem Archangeli nominentur virtutes, & quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo: siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor. *Laudabilis, & imitatione dignissima est hæc Augustini modestia. Magna enim Christianæ sapientiæ pars est multa ignorare & velle & posse. In huiusmodi itaq; rebus secundum S. Pauli Rom. 2. admonitionem,* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, *id est,* sapere ad sobrietatem, *sic idem ad Orosium contra Priscillianistas & Origenem cap. 11. ait:* Et esse itaq; sedes, seu thronos, siue dominationes, siue principatus & potestates, in cœlestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quò me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, & inter se differant, nescio. Nec sanè ex ignorantia periclitari me puto, sicuti nō obedientia, si Domini pręcepta neglexero.

Idem pater in Enchirid. cap. 59. de Angelorum apparitionibus, de modo collocutionis cum hominibus, de corporum assumtorum qualitate: Quis explicet, *inquit*, cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non solùm cernerentur, sed tangerentur? tandem concludit: sic cùm ista quæruntur, & ea, sicut potest quisq; coniectat, non inutiliter exercentur ingenia,

si ad-

si adhibeatur moderata disceptatio, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, vt hæc atque huiusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine discrimine nesciuntur? *Hanc modestiam Augustinus passim in suis scriptis declarat, vt lib. 3. & 9. de Trinit. Dei, & sæpissimè in libris de Genes. ad literam: quam si secuti essent multi Theologi, nō sese & alios vanissimarum, inutilium, & curiosarum quæstionum & opinionum labyrinthis inextricabilibus inuoluissent.*

Plurima igitur de Angelis subtiliter magis quàm vtiliter & curiose potius ac superstitiose, quàm fructuosè & religiose disputata fuerunt ab acutis Theologis, & adhuc quæruntur ac disputantur. At nos de Angelis non altiùs philosophandum esse existimabimus, quàm Canonicæ literæ nos docent.

Deinde quiuis alius Christianus beatissimos illos spiritus colendos sibi honorandosque esse iudicat amore & charitate, secundum illa Aug. verba, Lib. 55. de relig. Honorandi sunt sancti non seruitute, sed charitate. *Et Serm. 11. in Psal. Qui habitat, &c.* Quare honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus *&c. Et S. Bernhardus:* Adsunt, *inquit*, igitur Angeli & adsunt tibi, non modò tecū, sed etiam pro te. Adsunt, vt protegant, adsunt vt prosint. Simus ergo deuoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, honoremus eos quantùm debemus: totus tamen ei reddatur & amor & honos noster, à quo tàm ipsis quàm nobis est totum: vnde honorare possumus, vel amare: vnde amari honorariue meremur.

Angeli deinde colendi & honorandi amore.

Sic cùm nos ab Angelis amari persuasissimum habeamus ex sacris oraculis, idque sæpè reipsa simus experti cùm secundis, tùm aduersis in rebus, atque in maximis periculis, meritissimo optimoque iure illos nobis redamandos esse existimemus. Nam si homines mortales, qui nos amant, amore vicissim complecti & prosequi debemus, nisi ingra-

ti & impij velimus esse: quantò magis immortales & cælestes illos spiritus, qui ardentissimo nos amore constantissimoq; complectuntur, proq; illo suo erga nos amore plurimis & maximis nos, Dei iussu ac voluntate, beneficijs cumulant, redamare debemus? Et hæc quidem inter alias causa est, ob quam Deus Angelos vult nostros esse ministros atq; famulos, vt liberalissimo hoc famulatu ac ministerio illorum mutuus inter illos & nos amor magis augeretur, & ita amicitia inter nos magis coalesceret. Etsi verò quiuis Christianus magno Angelorum amore flagrare debet: illum tamen amorem debito suo erga Deum amori longè postponet, nec se hoc suo in Angelos amore ita in transuersum rapi atq; seduci patietur, vt honorem cultumq; diuinum, hoc est, adorationem & inuocationem soli Deo debitam, Angelis deferat & ad eos transferat: imò suum erga Angelos amorem eo maximè declarabit, quòd illorum cùm exemplo & imitatione, cùm doctrina, monitis, iussis præceptisq; impulsus, solum Deum sibi adorandum & inuocandum esse sentiet. Præterea sanctissimas illas mentes idem colet & honorabit, dum illas reuerebitur, ita vt illorum præsentia, licet inuisibili, commotus, sibi à peccatis præsertim grauioribus temperet & abstineat, ne illos offendat, illosq; à se arceat & propellat. Nam si hominis alicuius mortalis, cuiq; magna præsertim est dignitas, auctoritas & existimatio, nos meritò, si vel mica verecundiæ atq; pudicitiæ nobis inest, à fœdis, illicitis & obscœnis dictis atque gestibus deterret: quantò magis, vt nihil de Dei & Christi præsentia dicam, potentissimorum, iustissimorum, castissimorum & sanctissimorum illorum spirituum inuisibili præsentia (de qua minimè dubitare debemus, etiamsi illa non incurrat in oculos nostros) nos ab omni dictorum, factorum & gestuum turpitudine arcere & auocare debet? Quamobrem Paulus in epist. ad Corinth. 1. 14. vbi in publico cœtu mulierem operto velatoq; capite esse iubet: quò testetur, se viro subditam esse, mox addit: propter Angelos, *præsentes scilicet, & nostrarum actionum spectatores & obseruatores: quibus verbis ostendit, illam, si propter homines nolit, & nullo hominum præsentium pudore*

Tertiò Angeli colendi & honorandi reuerentia. Probatur à simili.

A testimonio Pauli.

dore moueatur: tamen ob Angelos testes, qui Christianorum conuentibus intersint, quibusq; debeatur reuerentia, ipsis caput velandũ esse. Quòd si igitur propter Angelorum præsentiam atq; reuerentiam, quæ illis debetur, velanda esse docet capita, quantò magis nobis cùm publicè, tùm priuatim piè, honestè, modestè castéq; est viuendum, ne purissimas sanctissimasq; illas mentes vllis vel verbis vel factis, vel etiam cogitatis, obscœnis & turpibus offendamus, & à nobis abalienemus, illorum consuetudinem, familiaritatem, amicitiam ac beneuolentiam amittamus, & in diabolorum consuetudinem atq; communionem, in illorum deniq; laqueos & retia pestifera incurramus.

Sic legimus sæpè in sacris literis etiã sanctissimos homines, cõscios sibi suæ impuritatis, suorum peccatorum & delictorum, Angelorum sanctissimo conspectu, perterritos vehementer & exanimatos fuisse. Multò magis igitur vereamur, nosq; pudeat turpe quid & obscœnum in Angelorum illorum conspectu atq; præsentia committere, pudore, inquam & robore suffundamur: quando cogitamus eos, præter Deum, fidelissimos illos nostros tutores, curatores, defensores, comites, custodes, pædagogos esse scelerum flagitiorumq; nostrorum testes, spectatores, auditores: quorum etiam erunt iudices, vltores ac vindices iustissimi. Etsi enim hominum oculos, quando peccamus, sæpè effugimus: tamen Dei omnipræsentis Angelorumq; faciem Dei Patris intuentium, nobis sæpè præsentium, oculos nequaquam effugere poterimus. Omni enim credenti in Dominum, Angelus assidet, nisi ipsum prauis nostris operibus fugauerimus, vt pulchrè inquit Basil. in Ps. 33. ὡς γὰρ τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει, καὶ τὰς περιστερὰς δυσωδία ἐξελαύνει· οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον, ἡ πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἀφίστησιν ἁμαρτία. Hoc est, Quemadmodum enim apes fugat fumus & columbas graueolentia expellunt: sic custodem vitæ nostræ Angelum lachrymabile & graueolens abigit peccatum.

Ab exemplo sanctissimorum.

His conuenienter S. Bernhardus in Serm. de Michaële dicit: Quæ cùm ita sint, pensate, quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando præuocati peccatis & negligentijs indignos nos iudicauerint præsentia & visitatione sua. *Et paulò post:* Quòd si tàm necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cauenda nobis eorum offensa est, & in his maximè exercendum, quibus eos nouimus oblectari.

Omninò igitur quemadmodum Angelorum præsentia hominibus est solatio in quibusuis malis & periculis: ita ijsdem calcar quidam debet esse & stimulus ad piè, castè, sobrieq́; viuendum ex Dei voluntate & imitatione: ita contrà frænum ad cohibendam & reprimendam illorum peccandi licentiam atq́; libidinem.

Quartò Angeli colendi & honorandi obedientia erga Deum.

Adhæc Angelos quiuis Christianus coli & honorari debere existimabit, illorum cùm vaticinijs, tùm monitis atq́; præceptis verissimis & salutaribus fidem adhibendo & obediendo. Ac vaticinia quidem illorum de Christo partim iam impleta & euentum suum sortita sunt, partim iam implentur & adhuc sunt implenda: cuiusmodi sunt illa de Ecclesiæ militantis persecutionibus & afflictionibus duraturis ad finem vsq́; mundi, de Antichristi tyrannide, de Christi secundo aduentu, de ipsius iudicio extremo & vniuersali, de mundi fine & occasu, de mortuorum resurrectione, de electorum beatitudine & reproborum damnatione atq́; supplicijs æternis. Præcepta autem illorum atq́; documenta religionis, vitæ atq́; morum sunt varia & multiplicia, quibus admonemur duplicis nostri officij erga Deum & erga homines: quæ quidem ipsi Dei instinctu atq́; impulsu hominibus tradiderunt. Horũ omniũ caput est, vt Deum vnum essentia, trinũ hypostasi, vera & viuifica fide & fiducia, charitate, spe, timore, adoratione & inuocatione colamus atq́; veneremur: vt idololatriam atq́; superstitiones omnes, id est, creaturarum adorationem & inuocationem, &

ipsius Dei illicitos & illegitimos, eius verbo & voluntati contrarios cultus vitemus atq; fugiamus.

His addi possunt plurima Angelorum solatia, quæ in sacris literis extant. Hic igitur Angelis gratißimus est honos, quando Deum secum vnà eo, quo par est, modo colimus & veneramur. Quoniam autem Angeli illi tenebrarum, sese transformantes in Angelos lucis, magnam veritatis pietatisq; speciem præ se ferentes, hominibus pietatis prætextu superstitionum & idololatriæ documenta, opiniones atq; errores prauos inculcare & instillare, illos ad suijpsius et creaturarum cultum potius, quàm solius Dei cultum & veneratiōnē pellicere conantur (id quod Christo ipsi in illo deserto accidit) idcircò quiuis Christianus pia religiosaq; prudentia nō facilè & temerè, quibusuis Angelorum apparitionibus, visionibus, traditionibus atq; præceptis fidem adhibebit, sed ea examinabit, probabit, explorabit ad sacræ scripturæ Lydium lapidem, cui si illæ Angelorum apparitiones atq; præceptiones erunt consentaneæ, ea recipiet & approbabit, ijs credet & obtemperabit: sin verò sacræ scripturæ & antiquißimorum illorum Angelorum, quorum in sacra scriptura fit mentio, præceptis atque monitis repugnabunt, eas reijciet, repudiabit & detestabitur. Memor erit semper admonitionis illius Paulinæ ad Galathas: Sed si vel Angelus è cœlo aliud vobis Euangeliū prædicauerit præter id, quod nos vobis prædicauimus, sit anathema. Boni namq; Angeli, quoniam & Legis & Euangelij fuerunt promulgatores, vt habetur ad Gal.3. Act.7. ad Heb.1. nihil alienum ab hac Dei Lege & Euangelio suggerunt, iuxta id quod S. August. lib.10. de Ciuit. cap.12. docet. Quæcunq; miracula siue per Angelos, siue quocunq; modo ita diuinitus fiūt, vt Dei vnius, in quo solo vita beata est, cultum religionémue commendent ea verè ab eis, vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemq; diligunt, fieri ipso Deo in illis operante credendum est.

Postremò Angelos quiuis Christianus imitatione sibi, & alijs

Vltimo Angeli colendi & honorandi imitatione.

Christianis honorandos esse ducet, secundum illa Augustini verba: Sancti honorandi sunt propter imitationem non adorandi propter religionem. *Quòd si homines sanctos (secundum illa Pauli,* Estote mei imitatores, sicut ego sum Christi) *imitari debemus in his terris, quorum tamen non perfecta est sanctitas, sed multis polluta vitijs, quantò magis purissimas & sanctissimas illas mentes atq; spiritus nos imitari atq; æmulari decet?*

Præterea quoniam, Christo teste Matth. 22. futuri sumus Angelis in cœlis similes: idcirco in terris quoq; & in hac vita mortali, similem, quoad eius fieri potest, Angelis, non Diabolis, angelicam, inquam, non diabolicam, siue dæmoniacam vitam agere debemus, si angelicæ illius beatitudinis atque gloriæ fieri cupimus participes.

Præ cæteris hominibus potissimùm personæ publicæ Angelos imitatione colere debent. Probatur ex affinitate nominis.

Etsi verò omnes homines sedulos & strenuos decet esse angelicarum virtutum imitatores: tamen inprimis cùm Ecclesiarum, tùm Rerumpublicarum & regnorum rectores ac moderatores id facere conuenit, qui sæpissimè in sacris veteris & noui Testamenti monumentis & אלהים Elohim, *id est,* Dij, *&* מלאכים Maleakim, *id est,* Angeli *appellantur, cùm inter illos & Angelos maxima sit cùm dignitatis & potestatis, tùm officij atq; muneris cognatio & affinitas. Huc pertinent mulieris illius sapientis verba, cuius mentio fit 2. Sam. 14. quæ ad Dauidem regem sic inquit:* Sicut Angelus Dei: sic est Dominus meus Rex, vt audiat, quod bonum est & quod malum, & Iehoua Deus tuus sit tecum. *His verbis sapientissima illa mulier docet, Reges Angelis debere esse similes, & Regum munus esse munus angelicum: quod idem de cunctis Rerumpublicarum & Ecclesiarum moderatoribus atque antistitibus potest dici, qui & ipsi sæpè Angeli, vt suprà dictum est, in sacris literis appellantur. Quemadmodum igitur Angeli mittuntur à Deo è cœlis in terras, vt audiant & bona & mala, & bonas & malas causas, vt tueantur bonos & innocentes: puniant sontes,*

sontes: ita Reges & principes similiter sunt Dei ministri, quorum officium est bona & mala facta atq; causas patienter audire, in quibus requiritur partim sapientia & prudentia angelica, qua vera à falsis, recta à prauis, iusta ab iniustis & iniquis, bona deniq; à malis dignoscere atq; discernere valeant, partim iustitia angelica, qua iusta & recta mandare & imperare, & exequi. Item iniusta & iniqua prohibere, iustos & probos tueri atq; præmijs afficere, iniustos & improbos coërcere atq; punire velint, minimeq; dubitent. Quòd si verò boni Reges & Principes, qui benè suo munere funguntur, Angelis bonis comparantur, contrà Reges & Principes improbi, siue tyranni: Diabolis sunt conferendi, quorum etiam imaginem & similitudinem referunt. Nam contraria contrariorum sunt consequentia.

Rectißimè autem Reges & Principes, & magistratus quiuis Angelis comparantur in sacris literis, cùm Angelorum & Regum siue nomina, siue vocationem, siue dignitatem, siue virtutes, siue officium atq; munus vtrorumq; spectes, maxima sit similitudo. — Hæ personæ rectißimè Angelis comparantur.

Ac primùm vt Angeli non sua sponte currunt, sed vocati à Deo atque missi legationis suæ munus obeunt: ita nulli Reipublicæ regniq; administrationi quis sua se sponte, temerè & audacter ingerere atque intrudere debet, nisi iusto legitimoq; iure vel hæreditatis & succeßionis, vel electionis ad id sit vocatus. Hoc ipsum enim est discrimen inter Regem & tyrannum, quod Rex est, qui iure atque legibus: tyrannus, qui contra ius, phas atque leges siue vi, siue fraude regnum suum siue dominium est adeptus & consecutus. — Probatur ex legitima vocatione.

Angeli rerum diuinarum & humanarum magnam habent cognitionem, illarum & initia atq; causas & progreßus atq; incrementa vident & intelligunt. Veri itaq; sunt Philosophi, qui & vitæ atq; morum & rerum physicarum, id est, naturalium, & dicendi atque differendi, & deniq; rerum metaphysicarum sunt præditi scientia: de — Ex cognitione rerũ.

qua S. August. sic scribit lib. de cognit. veræ vitæ. Igitur constat Angelos verè esse, & cuncta nobis occulta patenter nosse: sed hoc differt inter illorũ & nostram scientiam, quod ipsi omnes causas rerum, antequam eueniunt, præsciunt: nos autem vix & cum magno labore inuestigamus eas, *&c. ita in Regibus maxima requiritur rerum & diuinarum & humanarum, & politicarum, & ecclesiasticarum artium, cùm pacis, tùm belli scientia atq; cognitio.*

Etsi verò in malis quoq; Angelis siue Dæmonibus maxima inest quarumuis rerũ cognitio, vnde δαίμονες quasi δαήμονες ob excellentem scientiã, & intelligendi vim à Græcis Philosophis fuerunt appellati: tamen inter bonos & malos Angelos ingens est hac in re interuallum, quòd boni quidem Angeli ad Dei gloriam, & totius generis humani, præcipuè autem Ecclesiæ salutem hac sua scientia vtuntur: mali autem Angeli ea vtuntur contra Dei gloriam, hominumq; salutem, hoc est, abutuntur. Idem discrimen est inter Reges & tyrannos. De illa autem scientia Angelorum pulchrè sic scribit August. lib. 9, de Ciuit. Dei, cap. 22. Hic igitur Angelis bonis omnis corporalium rerumq; temporalium scientia, qua inflantur dæmones, vilis est: non quòd earũ ignari sint, sed quòd illis Dei, qua sanctificantur, charitas chara est, præ cuius non tantùm incorporali verumetiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, cuius sancto amore inardescunt, omnia quæ infra sunt, & quod illud est nõ sunt, seq; ipsos inter illa contemnunt: vt ex toto quod boni sint, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur. Et ideò certius etiam temporalia & mutabilia ista nouerunt: quia eorum principales causas in verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur.

Angelorum porrò incredibilis sagacitas, solertia, acumen, iudidicium, memoria est. His quoq; dotibus Reges ornatos & instructos

esse conuenit ad arduum & difficile hoc suum munus benè feliciterq́ obeundum.

Angelorum bonorum incredibilis est cum dignitas atq́ gloria, tùm potestas, vis atq́ robur: Vnde throni, principatus, potestates, dominationes, imperia, virtutes *appellantur à Paulo: sic Regum & Principum in his terris maxima cùm dignitas est, tùm potestas: quæ vtraq́ tamen non est, vt Dei, immensa & infinita, sed limitata.* Omnia quippe, *vt S. Augustinus inquit, lib. 10 de Ciuit. Dei, cap. 13.* quæ præstare hominibus vel Angeli vel homines possunt, in vnius esse Omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit. *Etsi verò Diabolorum quoq́ summa est potestas, qua illi ad Dei gloriam deformandam, ad hominum piorum inprimis atq́ fidelium pestem & perniciem abuti conantur: tamen illa à Deo certis definita est ac circumscripta terminis: ita vt ne minimum quidem noxæ atq́ incommodi hominib. afferre poßint, nisi id illis à Deo fuerit concessum & permissum: atque adeò hæc ipsa illorum hominibus pijs nocendi voluntas, conatus atq́ facultas à Deo ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ eiusq́ membrorum salutem conuertitur. Vnde S. Aug. de Trinit. 3. cap. 8.* Sed nec boni, *inquit,* Angeli hoc, nisi quantum Deus, iubent, nec mali hęc iniustè faciunt, nisi quantũ iustè ipse permittit. Nam iniqui malitia voluntatem habet iniustam: potestatem autem non nisi iustè accipit, siue ad pœnam suam, siue ad aliorum, vel ad pœnam malorum, vel ad laudem bonorum. A dignitate & robore.

Angelorum flagrantißima est erga Deum charitas (vnde etiam Seraphini ab ardore dicti sunt) de qua sic scribit Augustin. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 9. Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per spiritum S. qui datus est eis, nec tantum hominum, sed primitus præcipueq́ Angelorũ bonum esse, quod scriptum est: Mihi autem adhærere Deo bonum A charitate erga Deum.

eſt: Hoc bonum, quibus commune eſt habent & cum illo, cui adhærent, & inter ſe ſocietatem ſanctã, & ſunt vna ciuitas Dei, eademq́ꝫ viuum ſacrificiũ eius, viuumq́ꝫ templum eius, &c. *Ita Regum quoq́ꝫ erga Deum, à quo ad tantum dignitatis atq́ꝫ honoris faſtigium fuerunt euecti ardentiſſimo conſtantiſſimoque amore complecti debent.*

A celebratione Dei.

Angeli pro ardentiſſimo hoc ſuo erga Deum amore illius faciem aſſiduè contemplantur, eius nutum ac voluntatem, tanquam patris et Domini ſui filij (ſic enim apud Iob.1. & 3. Filij Dei *appellantur, ſcilicet ex gratia, ſicut etiam electi non natura, iuxta illud Hebr.1.* Cui vnquã Angelorũ dixit: Filius meus es tu?) *ſemper intuentur, eum perpetuis hymnis atq́ꝫ laudibus celebrant, ad eius nutum intenti iuſſa & mandata eius promptiſſimè celerrimeq́ꝫ capeſſunt, faceſſunt & exequuntur: vnde Damaſcenus inquit: Angeli ſunt* ἰσχυροὶ, καὶ ἕτοιμοι πρὸς τὴν τοῦ θείου θελήματος ἐκπλήρωσιν. *Et alibi:* ἓν ἔργον ἔχουσιν ἐν οὐρανοῖς ὑμνεῖν τὸν θεὸν, καὶ λειτουργεῖν τῷ θείῳ αὐτοῦ θελήματι. *Quibus addi poteſt illud Theodoreti,* ἡ τῶν ἀγγέλων λειτουργία ἐστὶ ὑμνῳδία: *ita Reges præ cæteris hominibus quibus longè antecellunt, Deum & res diuinas atq́ꝫ cæleſtes aſſiduè contemplari, eius voluntatem ipſius verbo patefactam, tanquam Dei Patris cæleſtis filij & miniſtri ſemper ſpectare, totam vitam omneſq́ꝫ actiones ſuas ad illam dirigere, ei parere et obtemperare, Deum ſine intermiſſione laudare, eius opem & auxilium implorare, pro acceptis beneficijs gratias agere debent.*

A perpetuis officijs.

Angeli Chriſto, & ante & poſt eius aduentum in carne, miniſtrarunt fideliſſimè, adhuc miniſtrant, eiq́ꝫ miniſtrabunt in perpetuum: ita Reges Chriſtum, filium Dei vnigenitum, mundi mediatorem & redemptorem, ſine ceſſatione oſculari, amare, laudare, inuocare, atq́ꝫ venerari, eiq́ꝫ omni ſtudio etiam in ipſius corpore atq́ꝫ membris inſeruire atq́ꝫ parere debent.

A charitate erga homines.

Angelorum bonorum, vt maxima eſt erga Deum: ita erga hu-

manum quoque genus, cui sunt præpositi, est charitas. Sunt enim φιλανθρωπίςατοι, hominum amantißimi, vt contrà mali eorundem sunt hostes & osores infestißimi. Vnde Christus: Diabolus, inquit, homicida fuit à principio, id est, homicidijs, cædibus & latrocinijs delectatus est, vt Caini, Abelis, immò parentum primorum nostrorum historia docet, quibus quidem & nobis, illorum posteris serpens ille antiquus mortem non solùm temporalem, sed etiam æternam serpentina illa sua calliditate atq; malitia conflauit: sic Reges quidem veri sunt φιλάνθρωποι, id est, humani generis amantißimi; tyranni autem μισάνθρωποι, id est, eiusdem hostes.

Angeli pro gemino hoc suo erga Deum hominesque amore incredibili salutis eorum & temporalis & æternæ cura tanguntur, ei omni suo studio atque opera consulunt. Et hunc quidem præcipuum ministerij Euangelici finem esse testatur Apostolus in sua epistol. ad Heb. nimirum, vt promoueant salutem animi & corporis electorum: ita Reges pro eodem suo erga Deum & homines amore cùm omnium hominum, tùm subditorum præsertim suorum salutem animi atque corporis curare, tueri, custodire, defendere ac promouere debent. Ac si præstantißimi illi spiritus incredibili alacritate feruntur ad inseruiendum cùm temporali, tùm æternæ nostræ vtilitati atque saluti: quantò magis nos homulos mortales ad nostræ inuicem vtilitati atque saluti inseruiendum & ad nobis gratificandum atq; commodandum promptißimos esse decet? A cura vtriusq; salutis hominũ.

Angeli alieni ab omni odio & inuidia bona, siue temporalia, siue spiritualia Dei iussu & mandato bonis bona libentißimè communicant, maxima & constantißima est [illegible] erga humanum genus vt beneuolentia: ita benignitas & beneficentia: immò munificentia: sic Reges quoque decet benignos, beneficos atque munificos esse erga bonos: quæ quidem beneficentia illos maximè decet. A beneuolentia erga homines.

A studio gloriæ Dei

Angeli non φιλαυτίᾳ laborantes sua tantùm quærunt commoda & emolumenta, sed Dei gloriam, hominum & quidem potißimùm electorum salutē: ita Reges publicæ potius, quàm priuatæ suæ vtilitatis decet esse studiosos, & publicam salutem atq; vtilitatem suæ priuatæ anteponere.

A cōcordia.

Angeli boni pacis, amicitiæ & concordiæ sunt amantißimi: abhorrent ab omnibus discordijs, rixis, contentionibus, vt contra mali & impuri illi spiritus siue diaboli abhorrent à concordia, ac discordia hominum pascuntur, illamq; omnibus suis viribus excitare, fouere atq; augere student: ita Reges veri pacis atq; concordiæ sunt studiosißimi, omniaq; sua studia ad illam referunt: bella atq; discordias oderunt, omnes ijs vias intercludere conantur, quibus tyranni delectantur plurimum, pacis atq; concordiæ hostes acerbißimi.

Ab amore erga Ecclesiam.

Angeli boni etsi erga vniuersum genus humanum optimè affecti sunt & animati, tamen Ecclesiam inprimis tenerrimè feruentißimeque amant, illam aduersus dæmonum atq; tyrannorum huius mundi conatus, impetus atq; insidias sartam tectam tueri satagunt: eius sunt custodes & tutores perpetui. Vnde Apoc. 12. Michaelem legimus pro defensione Ecclesiæ & singulorum piorum pugnasse cum Dracone, id est, diabolo aduersus omnes eius insidias atq; iniurias. Quò etiam referri potest illud ante citatum in epist. Iudæ: ita Reges vt Christum, ita eius corpus atq; sponsam, id est, Ecclesiam summo amore, fauore, fide, cura, benignitate atq; beneficentia prosequi, illam ornare, omni bonorum genere cumulare student, eius sunt nutritij, tutores, defensores patroni atq; patres fidelißimi, Ecclesiam inquam Christi suæ fidei tanquam matrem suam atq; patriam habent commendatam: dantq; operam, vt eam cùm aduersus vim apertam tyrannorum, tùm aduersus technas, fraudes atq; fallacias cùm tyrannorū huius mundi, tùm hæreticorum & falsorum doctorum tueantur atq; defendant, vt purus putus Dei cultus atq; religio pia religiosaq; disciplina Dei verbo consentanea in ea exerceatur, vt in pace & tranquillitate conseruetur, vt antiquißimos illos, & Israelitarum veteris testamenti & Eccle-

Ecclesiæ primigeniæ Reges fecisse legimus.

Vt mali genij atq; spiritus: ita tyranni contrà Christi Ecclesiam oderunt, execrantur, persequuntur, extinctam cupiunt, omnibus viribus & opibus suis illam oppugnant, illam deformare, vel etiam penitus conuellere & labefactare conantur.

Angeli boni veræ doctrinæ, genuinæ religionis atq; cultus sunt præcones, amatores, propagatores, errorum, superstitionum, hæreseon osores & oppugnatores acerrimi contra naturam & consuetudinem spirituum immundorum: tales sunt Reges veri hoc nomine digni: contrà tyranni Dæmonibus hac quoque in parte sunt simillimi. A studio veræ religionis.

Angeli lucis doctores sunt veritatis, in qua etiam persliterunt, & religionis: sunt sinceri, candidi, integri, ab omni fuco, simulatione & dissimulatione, & perfidia penitus abhorrentes. Angeli verò tenebrarum sunt seductores, impostores, doctores falsitatis, errorum, superstitionum et hæreseon: ita veri Reges veritatem, pietatem, religionem, candorem, atque simplicitatem & ipsi quodammodo docent, & per veros & legitimos doctores doceri & propagari curant: contrà tyranni Dæmonum exemplo & imitatione veritatem detestantur, mendacijs, imposturis, erroribus, superstitionibus delectantur. A studio veritatis.

Angeli Dei homines ad virtutis & pietatis studium cùm suo exemplo, tùm præceptis atq; documentis incitant & impellunt: Angeli contrà mali homines à virtutis studio auocant, ad vitiorum, scelerum & flagitiorum amorem atque studium cùm blanditijs, tùm minis accendunt & inflammant: ita boni Reges cùm exemplo, tùm legibus, edictis, statutis, item præmijs & pœnis sunt ijs, qui ipsorum imperio sunt subditi, virtutum magistri, auctores & impulsores: contrà tyrannorum & exemplum vitæ, & omnia illorum edicta & statuta sunt impietatis, improbitatisq; incitamenta. A studio virtutum.

Quemadmodum Angeli non ipsi publicum in Ecclesia docendi munus vsurpant & obeunt: cùm illud non sibi, sed hominibus grauissimas ob causas impositum esse nôrint, sed dant omnem operam, A docendi munere.

vt illud in Ecclesia conseruetur, ac rectè legitimeq; per alios obeatur: Ita Reges non ipsi quidem munus publicè docendi in Ecclesia & concionandi suscipere atq; obire debent, sed in illo instituendo, tuendo & conseruando diligentiam adhibere.

Ab humilitate.

Angeli boni in sublimi, excelso, cœlesti, planeq; diuino beatitudinis dignitatisq; loco atq; statu collocati, pro singulari sua modestia, humilitate atq; charitate erga homines, electos præcipuè, eò sese demittunt atq; deiiciunt, vt ex cœlis in terras descendant, cùm hominibus se longè inferioribus, atq; adeò cum vilissimis etiam & abiectissimis consuetudinem sæpè & colloquia habeant, iis voluntatem, iussa atq; mandata diuina familiariter exponant, illos, quæ ad salutem eorum pertinent, fidelissimè doceant, moneant, hortentur & consolentur. Hinc ergo mortales ταπεινοφροσύνης, φιλανθρωπίας & εὐπροσηγορίας exemplum capiant. Nam si cœlestes & immortales illi spiritus nos homunciones, mortales, ex argilla & luto fictos, atq; adeò vilissimos quosq; hominum suo dignantur colloquio, pudeat nos homulos, qui lutum, puluis atq; cinis sumus, nostræ insolentiæ, arrogantiæ, fastus atq; superbiæ, qui hominum sæpè, præsertim eorum, qui tenuioris sunt sortis atq; fortunæ à nostro arcemus conspectu atq; colloquio, conspectum illorum auersamur, detrectamus, fastidimus & contemnimus, more & consuetudine malorum Angelorum.

Etsi verò omnes homines, tùm verò atq; inprimis Reges & principes, quò maiori sunt in honoris gradu positi, tantò demissiùs sese atq; humiliùs Angelorum exemplo gerere, & quosuis etiam humillimos & abiectissimos ad conspectum colloquiumq; suum admittere debent, vt contra tyranni sunt superbi, elati & inflati: quales sunt Angeli illi tenebrarum, qui non contenti beatissimo suo altissimoq; statu, in quo à Deo fuerunt collocati, superbia, arrogantia, fastuq; cōmoti & instigati ad statum Deo æqualem aspirarunt: vnde originem & habitationem suam deseruerunt, & in aërem hunc, quasi in carcerem caliginosum & tempestuosum detrusi fuerunt. Id quod etiam August. testatur

statur his verbis libro decimo quarto de Ciuit. Dei capite vndecimo. Angelus malus à Deo ad se per superbiam conuersus, & quodammodo quasi tyrannico fastu eligens gaudere de subditis magis, quâm esse subditus de spiritali paradiso cecidit. *Huic Angelo malo, seu Lucifero Gregorius M. comparat eum, qui sibi in Ecclesia Episcopi, seu pastoris Oecumenici, seu vniuersalis titulum arrogat.*

Angeli lucis contristantur quidem & exacerbantur hominum A compas-
peccatis & omnipotentia, contrà autem gaudent & delectantur, atq; sione.
adeò lætitia exultant, & tripudiant vel vnius peccatoris conuersione atq; pœnitentia, vt contrà Angeli tenebrarum ἐπιχαιρέκακοι *hominum pœnitentia dolent, impœnitentia gaudent: quanto igitur magis nos nostra & aliorum pœnitentia, id est, vitæ morumq; correctione & emendatione lætari, contrà nostris aliorumq; hominum peccatis atq; delictis contristari decet?*

Angeli minimè sunt otiosi & ignaui, sed ad plurima & maxi- A sedulita-
ma opera obeunda à Deo conditi sunt, quæ tamen sine negotio, la- te.
bore molestiaue peragunt, vt Dei seruiant nutibus Ecclesiæque saluti: ita Reges abhorreant ab otio & ignauia: operosissimi contrà sint & laboriosissimi, gaudeant pijs honestisque operibus impigri sint semper & alacres ad res gerendas vtiles & honestas.

Angelorum bonorum inuicta est constantia ac perseuerantia in A constan-
statu sanctitatis, innocentiæ ac beatitudinis (vnde standi *verbum* tia.
sæpe illis in sacris literis tribuitur) malorum contrà & reproborum Angelorum inconstantia & apostasia (de qua Iobus 4. cap. In Angelis suis reperit prauitatem, *& Christus Ioh. 8.* Diabolus fuit homicida, & in veritate non stetit, *et 2. Pet. 2.* Deus Angelis, qui peccauerunt, non pepercit) *Hæc igitur Regibus ad constantiam in pietate, omniumque virtutum genera esse incitamento; contrà ab inconstantia & leuitate eos deterrere debet.*

Angeli boni sunt iustissimi, vt mali sunt iniustissimi, nec tantùm A iustitia.

ßimi illi, sed iustitiæ diuinæ executores: sic Regis veri proximus propriaq; nota est iustitia: tyranni autem iniquitas & ... citia. Vnde Salomon, Rex sapientißimus, In iustitia, *inquit,* Regis exaltatur solium & in veritate Regis solidantur gubernacula populorum. *Hinc Cyprianus in lib. de 12. Abusionibus seculi, nouum abusionis gradum ponit* Regem iniquum & iniustum. *Deinde docet, in quibus Regis iustitia consistat his verbis:* Iustitia Regis, *inquit,* est neminem iniustè per potentiam opprimere sine personarum acceptione, inter virum & proximum suum iustè iudicare, aduenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos nō exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periuratos viuere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & ariolorum phytonissarumq; superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriā fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas cōgruas cibum non gustare.

Huius postremæ iustitiæ regalis effectus atq; fructus his verbis pulcherrimè exprimit: Regis, *inquit*, iustitia est pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum & sibi metipsi spes futuræ beatitudinis.

Hūc pertinent scitißima verißimaq; hæc S. Chrysostomi verba in Hom. de Ozia Rege, M. scripta, nondum in lucem edita: qui sic inquit:

quit: ὁ τὴν ἁμαρτίαν ποιῶν, δοῦλος ἐστὶ τῆς ἁμαρτίας, κἂν μυρίους ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχῃ στεφάνους. ὁ δὲ τὴν δικαιοσύνην ἐργαζόμενος καὶ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως βασιλικώτερος ἐστὶ, κἂν πάντων ἔσχατος ᾖ, *id est*, Qui peccatum facit, peccati seruus est, etiamsi ille decem mille coronas suo gestet capite. Qui verò iustitiæ studet, is vel ipsum Regẽ regia dignitate superat, etiamsi omnium sit infimus.

Angeli boni castitatis sunt amantes, homines libidinibus inflammatos & furentes oderunt ac detestantur: & matrimonio licet non vtantur, sed cælestem cæloq; dignam (vnde cælibatus nonnullis videtur esse dictus) vitam agant: de quo vide plura apud Theodoretum, & in epitome sua Christianorum dogmatũ, & Serm. 3. aduersus Græcos infideles de Angelis & Dæmonibus: tamen à matrimonijs iustis & legitimis nequaquam sunt alieni: quin imò eorum fautores sunt atq; conciliatores fidelißimi, contraq; amoribus impuris grauißimè offenduntur, illos oderunt, detestantur, vlciscuntur: vt Tobiæ historia satis superq; docet. Sic cùm quiuis homines, tum etiam Reges & Principes vitam castam debent agere, & contrà ab impuris libidinibus, à venereis voluptatibus, ab adulterijs, à stupris, incestibus, scortationibus abhorrere, & eiusmodi flagitiorum acerrimi debent esse vltores ac vindices: ex quibus maxima sæpè excitantur miseriarum incendia.

Quòd autẽ (vt hoc quoq; addam) nonnulli ex illis Moysis verbis, Filij Dei videntes filias hominũ, quòd essent pulchræ, duxerunt ex illis vxores filiorũ Dei, *Angelos intelligentes, inde colligerunt Angelorũ cũ hominibus thori consuetudinẽ, id refutans Theodoretus, locum illum de posterorum Sethi Patriarchæ connubijs cum Caini posteris contractis intelligendum esse docet, quæ quidem ἐπιμιξία πορνείαν introduxerit, vel certè auxerit. Ibidem Angelis neq; sexus discrimen, neque ἐπιμιξίας ἀκολάστους affingendas esse docet.*

Angeli sunt vigilantißimi, vnde vigiles *appellantur, dies noctesq; hominum, electorum præcipuè, saluti cùm temporali, cùm æter-* A vigilantia.

næ inuigilantes summa sunt velocitate agilitateq; præditi, vnde sæpè alæ illis tribuuntur: ita Reges decet esse vigilantissimos salutis suorum custodes, magnam in rebus & negotijs necessarijs conficiendis adhibere celeritatem.

A sobrietate.

Angeli boni cibo potuq; ad naturæ suæ sustentationem non indigent, sed illorum pastus, nectar, ambrosia, deliciæ, cupediæ voluptates deniq; sunt Deus, eius contemplatio, visio, laudatio, eius voluntati obediendi studium: quas voluptates & lautitias quò affluentiùs hauriunt, eò gratiùs & ardentiús sitiunt: sicuti Christus quoq; hunc suum esse dicit cibum gratissimum pastumq; suauissimum, facere voluntatem sui Patris, id est, ei satisfacere. Sic Reges sobrios esse decet, ab ebrietate & gula alienissimos: ita vt omnibus delitijs, cupedijs & voluptatibus longè anteponant studium diuinæ voluntati obtemperandi. An autem & quando Angeli comederint, malo S. Augustini verba & sententiam, quàm meam proferre, quæ extat lib. 12. de Ciu. Dei cap. 22. Angeli quoq; visibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, vt hominibus congruerent, sui ministerij quadam humanitate comederunt. Neq; enim illud in phantasmate fecisse credendum est: quando eos homines hospitio susceperunt: quamuis vtrum Angeli essent, ignorantibus, consimili nobis indigentia vesci viderentur, *Et tandem concludit:* Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus auferetur. *Idem lib. 13. de Ciu. Dei, ca. 22.* Verè quidem comederunt, *inquit,* Angeli: at non ad indigentiam, verùm ad consuetudinem & familiaritatem contrahendam.

Ad affabilitate.

Angeli non muti sunt & elingues, sed affabiles, qui & cum Deo & cum hominibus & inter se colloquuntur, de qua Angelorum voce, lingua & locutione admirabili potiùs, quàm explicabili, vide Thomam in Apoc. cap. 5. & contra Gentiles lib. 2. cap. 98. & 200. 101. & Damascenum, qui de colloquio illorum mutuo sic scribit: οὐ γλώσσης καὶ ἀκοῆς δέονται, ἀλλ' ἄνευ τοῦ λόγου προφορικοῦ μεταδιδόασι ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα καὶ βουλεύματα, *hoc est,* Non indigent lingua, neq; auditu, sed sine sermone externo communicant ac pa

tefaciunt sibi inuicem proprios suos sensus atque consilia. *Ita Reges non mutos & elingues, sed disertos & facundos esse conuenit, qui & cum ipso Deo, illum inuocando & precando & cum alijs Regibus atque principibus & cum consiliarijs & officiarijs suis, & deniq; cum subditis suis etiam vilißimis colloqui non grauentur de rebus vtilibus salutaribus, necessarijs ad suam & totius regni salutem & dignitatem pertinentibus.* *Præterea in Angelos nulla cadit perturbatio atq; affectus inordinatus. Nulli eos metus nimij terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus, sed affectus illorum sunt, qualis est natura, spirituales, placidi, rationi voluptatique diuinæ congruentes.* *Vnde de Angelorum affectibus Augustin. pulchrè sic scribit:* Sancti Angeli & sine ira puniunt, quos accipiunt æterna lege puniendos, & miseris sine miseriæ compassione subueniunt, & periclitantibus ijs, quos diligunt, sine timore opitulantur: & tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpantur propter quandã operũ similitudinẽ, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, non tamen vlla passione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus. *Similiter Regum & principũ animus sedatus, quietus esse debet & tranquillus, quoad eius fieri potest: qualis est maris nulla ne minima quidem aura fluctus commouente, tranquillitas.*

Ab ἀπαθείᾳ.

Lib. 9. de Ciu. Dei cap. 5

Denique laudabilißima & imitatione dignißima est Angelorum gratitudo erga Deum creatorem & benefactorem suum. Angeli enim quicquid sunt, quicquid possunt, quicquid habent virtutum atque bonorum, id sunt, possunt & habent non à seipsis vel ab alijs, sed à solo Deo, sine cuius gratia nihil essent, nihil possent, nihil haberẽt boni, & quod reliquis deficientibus à Deo & veritate ipsi in veritate & beatißimo illo statu perstiterunt. Vnde Augustinus libro nono de Ciuit. Dei, cap. 22. Angeli, *inquit*, non solùm æterni, verùm etiã beati sunt. Bonum autem, quo beati sunt, Deus illis est,

A gratitudine erga Deum.

à quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione & contemplatione perfruuntur. *Quamobrem gratissimi sunt erga Deum, ei soli dotes, virtutes atq́; bona sua omnia accepta referunt, gratias ei pro illis agunt & habent assiduè, ei deniq́; se fidelissimis suis obsequijs, studijs atq́; ministerijs gratissimos præbent. Pari modo Reges cùm animis, tùm operibus pijs & religiosis Deo se gratissimos præstare debent, à quo tantis honoribus atq́; muneribus fuerunt cumulati.*

At quæ de Regibus, principibus & magistratibus dicta sunt, eadem ad Ecclesiarũ præsules et antistites possunt accommodari: qui & ipsi in Apocalypsi & in alijs S. scripturæ locis Angeli appellantur, & ijs comparantur, ratione, vt Thomas Aquinas in Apoc. docet & charitatis & prudentiæ, & sanctitatis in viuendo, & scientiæ in cognoscendo, & informationis in instruendo, & medicationis in curando, & velocitatis in discernendo, & officij in ministrando, & zeli in suffragando, & discretionis in contemplando. Hinc August. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. Angelos scribit fuisse etiam Dei homines nuncupatos. Nam de Iohanne scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. *Et Malachias Propheta propria quadam, id est, sibi propriè impertita gratia dictus est* Angelus. *Pertinent deniq́; hæc, quæ de Angelorum officio & imitatione sunt dicta, ad quosuis homines Christianos*

Et hæc de Angelis angelicaq́; humani generis custodia, non quidem pro rei ipsius dignitate, sed pro ingenij iudicijq́; mei tenuitate sint dicta secundum sacrarum literarum seriem crassa pinguiq́; Minerua. Nam ad Angelorum naturam & præstantiam benè perfecteq́; vel comprehendendam, vel intelligendam, vel verbis exprimendam, non humano profectò, sed angelico ac diuino opus fuerit cùm ingenio atq́; iudicio, tùm stilo atq́; lingua. Etsi autem hæc doctrina de Angelis eorumq́; ministerio omnibus temporibus vtilis sit ac fructuosa, tamen hac præsertim temporum intemperie nobis ad pœnitentiam consolationemq́; nostram apprimè vtilis est atq́; necessaria, quibus cum totus ter-

tus terrarũ orbis, Orientalis & Occidentalis, bellis flagrat funestissimis, tùm orbis Christianus, partim omni superstitionum, scelerum flagitiorumq; genere, partim inimicitijs & discordijs politicis & ecclesiasticis est distractus, tumultibus atq; bellis grauissimè laborat, partim deniq; Turcarum, Tartarorum & aliorum populorum barbarorum & immanissimorum incursionibus, deuastationibus, incendijs atque cædibus horrendum miserandumq; in modum deuastatur & infestatur.

Faxit igitur Deus Opt. Max. eamq; mentem vniuersi orbis Christiani Regibus, principibus atq; populis inijciat, vt depositis intestinis istis dissidijs atq; bellis, quibus contra religionem Christianam, quam profitentur, contra ius omne atq; fas in sua inuicem viscera sæuiunt: deposita abiectaq; effrænata ista sua & indomita peccandi libidine, communi pœnitentiæ studio, coniunctissimis animis, votis, precibus, opibus atq; operis aduersus communem illum nostrum, & immanissimum hostem Sultanum Amurathem, Vngariam, Croatiam & alias orbis Christiani partes ferro flammaq; longè lateq; depopulantem, expeditionem bellumq; suscipiant atq; gerant: ad quod quidem RODOLPHVS II. augustissimus, inuictissimus & potentissimus S. imperij Rom. Moderator, omnes Reip. Christianæ rectores atque ciues optimo meritissimoq; iure, magno studio, contentione atq; zelo per literas & legatos suos adhortatur.

Postremò lectorem Christianum, qui hæc in manus sumserit, rogo, oro atq; obtestor per Deum immortalem, vt hæc, quæ bono, sincero candidoq; animo à me cõscripta & elucubrata, & piorũ ac doctorũ virorum hortatu auctoritateq; in lucẽ fuerũt edita, æquo beneuoloq; animo legere, accipere, interpretari, de ijs iudicare, ea deniq; contra calumniatorum & obtrectatorum, quorum nostra hac ætate, seu potiùs tempestate, seges est vberrima, morsus atq; cauillationes tueri atq; defendere dignetur.

FINIS.

INDEX RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

FINIS.